This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



HARVARD COLLEGE
LIBRARY

BOUGHT FROM THE
EDWARD H. ATHERTON
BEQUEST

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBROS TRES

RECENSUIT

IOH. BAKE.

AMSTELODAMI

APUD FREDERICUM MULLER.

MDCCCLXIII.

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBROS TRES

RECENSUIT

IOH. BAKE.

AMSTELODAMI
APUD FREDERICUM MULLER.
MDCCCLXIII.

Lc 39.253

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
FEB 10 1960

HARLEMI EX TYPOGRAPHEO JOH. ENSCHEDÉ ET FILIORUM

PRAEFATIO.

Quum optanti mihi contigerit ut hanc editionem librorum De Oratore perficerem, restat ut susceptae operae rationem reddam ita, ut simul quale consilium secutus sim defendam, tum ut profitear cuius generis ea sint, quae vel omittere maluerim, vel explere satis non potuerim. Nempe tantum praestiterant novissimi editores, ut nihil abesse videretur, quo multorum studia alerentur vel ad iudicium de oratione vere Tulliana constituendum, vel ad cuiusque sententiae et doctrinae interpretationem firmandam. Nihilominus, ut fit, continuo in praestantibus illis commentariis ea offendere solebam, quae minus mihi probarentur, cuius iudicii specimina primum, brevi postquam Henrichsenii editio prodierat, in IIdo Volumine Scholicorum Hypomnematum prodidi, ubi continui me intra Primum librum et Secundum: aliquot annis post, quum interea Ellendtii editionem cognovissem, eodem modo versatus sum in Tertio libro, quaeque de hoc monenda ducerem edidi in VIImo Volumine Mnemosynae. Interea pervenerat ad nos nova recensio, quae Orellio et Baitero debebatur, et nuperrime tum Pideritii editio, tum ea recensio, quam in voluminibus Tauchnitzianis curaverat Kayserus. Ab his igitur viris doctissimis rationem habitam esse mearum, qualescumque tandem essent, opinionum gratus quidem agnovi; sed quum animadverterem esse quae minus aliis probassem, complura quae ne

commemorarentur quidem, aut quae non integra redderentur, nec pauca esse quae ipsi mihi, instaurata consideratione, falsa viderentur, his ut occurrerem commodissimum mihi visum est cuncta denuo, quantum fieri poterat, diligentissima cura explorare, itaque tum errores, quos commisissem, delere, tum explere opus susceptum additis nonnullis, quae post editas observationes mihi natae essent suspiciones.

De libris manuscriptis, tum antiquioribus, tum iis qui e celebrato libro Laudensi suppleti fuisse videntur, re nunc satis cognita, nihil attinet denuo exponere; nec, ut verum fatear, operae pretium, in tanta copia codicum diligentissime a viris doctis collatorum, esse mihi videbatur paucissimos libros describere, quos ipse explorassem, ut duos Leidenses, et unum Vindobonensem, quibus accesserunt excerpta ex aliis, quae virorum amicissimorum officiis accepta refero. Quam vel inertiam meam, vel tarditatem appellet, qui volet, dummodo non contemni a me existimet, ut alios omittam, Madvigium, verbi causa, qui et alias, et novissime in praeclaris Emendationibus Livianis hoc munus abunde explevit. Admirari me profiteor excellens in tanta diligentia vel acumen, vel artificium; quas tamen laudes imitari nec possum, si vellem, nec vellem, si possem: quod quare ita sentiam, partim certe olim defendi in Scholic. Hypomn. III. p. 266. sq., tum in Mnemos. VIII. p. 195. sqq. Placuit igitur virorum doctorum industria comparatis editisque in hoc genere copiis uti sine ambitiosa commemoratione, potissimum ad genuinam, quae mihi quidem probaretur, lectionem constituendam: tum, omittere fere rerum ipsarum et sententiarum, quae in his De Oratore libris proponerentur, interpretationem, cui quippe muneri laudabiliter satis fecisse mihi videbantur postremi editores, nec quicquam eius generis attingere, nisi quod esset cum iudicio definiendae lectionis coniunctum. Quae ipse minus perspicerem, verbi causa unum alterumque in illa Caesaris disputatione de facetiis, tum versus ipsos, qui subinde e poetis afferuntur, aut quae mihi odiosiora essent, ut contractam illam doctrinam figurarum rhetoricarum in libro Tertio, intacta relinquere malui aliis expedienda.

His tam arctis finibus quum meum munus circumscripserim, non recusabo si mea annotandi opera multis ieiuna, aut indo-

tata et incompta videbitur. Satis mihi, in tam larga segete commentariorum, quibus viri docti horum librorum illustrationi consuluissent, nunc esse videbatur, si parce et breviter indicarem quid mihi placeret, aut quid commendarem, haud raro etiam ne expositis quidem iudicii mei rationibus, ubi has per se satis apertas existimarem. Maxime igitur vitavi eam sedulitatem, quae variarum, ut appellantur, lectionum per libros manuscriptos ortum et progressum, et nescio quas vicissitudines et casus aliis demonstrare conatur, tamquam si haec indagatio certissimam viam veri inveniendi patefaceret, aut tamquam si socordiae, et negligentiae, et temeritatis, et impudentiae, quibus librariorum fraudibus vitiatos codices habemus, certa genera et species definire liceret, quibus cognitis corrigendi quoddam artificium constitueretur. Multum abest ut istiusmodi operam inanem esse sentiam, quae praesertim haud raro suaviter afficiat animum, et ad quidvis fingendum excitet: sed hoc mihi concessum iri spero, multo saepius eam otiosam esse neque necessariam iis, qui multos libros tractare consueverint.

Meam igitur in annotando rationem secutus, quo brevior essem, fortasse tamen nimio brevitatis studio negligentiae culpam contraxisse videbor. Taedebat enim data opera exquirere et colligere quidquid umquam a quoquam de horum librorum vel interpretatione vel emendatione excogitatum et explicatum esset: quo neglecto non mirabor si complura eorum, quae mea videri velim, ab aliis occupata fuisse appareat; neque tamen eo magis vereor ut, qui me norit, fraudem mihi aut vanitatem potius, quam nescio quam desidiam obiiciat. Sed pauca ipsa quae complecti solebam et diligentius, quo meam iudicandi facultatem acuerem, considerare, sic in mea annotatione tractanda iudicavi, ut, nisi perpaucis locis exceptis, nihil disputarem adversus eos, quibuscum dissentirem: tum mea quoque, quae olim edideram, si retinerem, verbo plerumque indicare malui, quam plene iterum describere, et, si vel repudiarem, vel corrigerem, rationibus additis commemorare.

De ipsius dialogi vel scribendi edendique opportunitate, tum de forma hac scriptionis deque auctoritate quam Cicero secutus sit, postremo de ipsius argumenti tractatione nihil opus esse vi-

detur de industria explicare post Ellendtium, maximeque post Pideritium, quorum uterque eiusmodi Introductionem edidit, quae abunde satisfaciat harum literarum studiosis. Igitur pauca tantum nunc attingere lubet, in quibus paullulum ab illorum ratione discedo. Nam, quum Cicero bis de horum librorum forma scripserit, primum ad Lentulum, statim post absolutum opus (ad Div. I. 9. 23), tum, aliquot annis post, ad Atticum (XIII. 19. 4.), et utrobique significaverit se *Aristoteleum morem* secutum esse, errare mihi videtur Pideritius (Introd. p. XII. not. 45), quum statuit, non eodem modo utrobique *Aristotelei moris* appellationem intelligendam, et in illa ad Lentulum epistola non nisi argumentum significari totius operis, in epistola autem ad Atticum eam formam disputationis, ut penes ipsum esset principatus. Manifestum esse puto, in illa ad Lentulum, verba *Aristoteleo more* explicari his, quae statim subiiciuntur, *in disputatione ac dialogo*, atque ab ea forma distingui doctrinam ipsam eorum librorum, qui *omnem Aristoteleam et Isocrateam rationem complecterentur*. Principatum autem illum quare Crasso et Antonio, distributis partibus, committere maluerit, quam ipse sibi vindicare, eleganter defendit in singulorum librorum prooemiis: et tamen nemo umquam dubitavit, quin suam ipse sententiam per illas personas explicuerit, quibus tertia persona accessit Caesaris, cui locus de ridiculis exponendus traditur. Opportune hoc ipsum confirmavit postea, ad Volumnium scribens (ad Div. VII. 32. 2), quum illa faceta et venusta dicta significans addit, *quae sunt a me in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata*, in quibus memoriae lapsus ferendus est, quod illa disputationis parte non ipse Antonius, sed ab hoc excitatus et rogatus Caesar fungitur. Quam mirifice illo genere festivitatis delectaretur, declarat ipse ad Paetum scribens (ad Div. IX. 15).

De dialogi σκηνογραφίᾳ, concedo Pideritio (Introd. p. XXXV. § 20) exemplo esse potuisse Ciceroni Platonis in eo genere artificium: tum iis, quae ille vestigia indicavit servatae auctoritatis Platonicae, addi poterit, quod, quemadmodum Socrates in Phaedro de Isocrate, sic Catulus (III. § 228) de Hortensii, qui superstes erat quum Cicero ista ederet, praeclara oratoria virtute auguratur. Ceterum, ut in reliquis libris, quos postea multos

scripsit Cicero, ita neque in hoc De Oratore sermone ipso ulla similitudo deprehenditur, nec, propter argumenti discrimen, esse poterat cum illo disputandi genere quo Socratem utentem inducit Plato, a quo primum longiores eiusmodi orationes, qualibus apud Ciceronem Antonius, et Caesar, et Crassus utuntur, alienae sunt, tum omnis illa diligentior τεχνολογία, subinde aliquantulum odiosior, multo certe aptior ei disciplinae, quam de suo, ad Brutum scribens, in Oratore persequitur.

De horum librorum praestantia, inde ab Attico (ad Att. IV. 16. 2. et 8.) usque ad hanc aetatem una et consentiens eruditorum vox est; quamquam vix probandum mihi videtur, si eam, pravo Quinctiliani exemplo, *institutionem oratoriam* appellant, quum oporteret *institutionem oratoris*, quo Genitivo indicatur obiectum eius verbi, quod est *instituere* (παιδεύειν): itaque neque *informatio divina*, sed *inf. dei* dicitur; neque usquam cum illis nominibus obiecti significatio nisi per Genitivum iungitur, ut *institutio vitae;* Adiectivum ubi iungitur, nihil pertinet ad obiectum, ut *Graecae institutiones* (Nat. D. I. § 8), quae Graece traduntur, et *puerilis institutio*, non ex quo quis puer evadat, sed quae pueris traditur. Sed gravissima auctoritas eorum, quae per hos libros quum de eloquentiae munere, tum de oratore instituendo disputantur, inde constituitur, quod Cicero ipse optimarum artium disciplinis eruditus, et dicendi studio a prima aetate deditus, eius facultatis usum in foro et in publico consilio egregium contraxerat, itaque multum superabat vel acutissimum rhetorem et de schola magistrum, quantumvis glorietur se omnem Aristoteleam et Isocrateam rationem complexum esse.

Formam operis quod attinet, quamquam multis partibus admirabiliter sermonis fingendi artificio satisfieri videmus, in eoque ipso concedendum est aliquantum istiusmodi mori dialogorum, ea tamen, quae et in II^do^ libro per Antonium, tum III^tio^ libro per Crassum e schola rhetorica explicantur, nec decebant illum in Tusculano institutum sermonem (id, quod ipse Cicero sensisse videtur, ubi explicat Crassus II. § 18 quapropter sibi *ineptus* videatur), et multum superant istorum hominum consuetudinem et voluntatem, quorum uterque *quasi unus e togatorum numero* haberi vellet.

Oratio ipsa, qua in huius dialogi descriptione utitur Cicero, digna sane est eo, penes quem extra controversiam in literis Latinis principatus est copiae, et elegantiae, et acuminis, quique, ut ipse profitetur (Offic. I. § 2), in eo studio aetatem consumserat: (conf. ad Div. IX. 18. 3). Igitur Servius Sulpicius, de cuius mirifico studio, quod et ad dicendum, et ad omnes bonarum artium disciplinas adhibuerit, honorifice scripsit in Bruto § 151, quum in epistola ad Ciceronem *paupertatem orationis* excusasset, eumque *divitias orationis* habere posuisset, hic respondet, »me non esse verborum admodum inopem agnosco: *εἰρωνεύεσθαι* enim non necesse »est." Eas autem laudes, in primis elocutionis emendatae et Latinae, quod Attico *solum et quasi fundamentum oratoris* esse videbatur (Brut. § 258), ratione et scientia consecutus erat: sed hoc ipsum tam splendidis verbis efferri et praedicari a Caesare equidem maluissem in huius libro de ratione Latine loquendi, si superstes esset, legere, quam excitari a Cicerone in ficto sermone, et Attico commemorandum tribui (Brut. § 253). Illas autem *divitias orationis* sic interpretandas esse existimo, nihil ut cogitari in quoquam dicendi argumento potuerit, quin eius Latinis et aptis verbis enuntiandi facultate valuerit Cicero; qua virtute quaque novitate dicendi non tantum superavit aequales, ita ut his ipse demum auctor esset castae et emendatae et copiosae orationis, sed eandem, qui post eius aetatem ediderunt scriptores, qui quidem nobis superstites sunt, — quoniam de perditis monumentis literarum iudicare non licet — assecuti nullo modo sunt, sive eam contemserint, sive quae et qualis esset non senserint, si fortasse eam intellexerint consistere in redundantia verborum et in dilatanda cuiusque sententiae explicatione potius, quam proprio delectu verborum, et apta ac facili compositione, et decora concinnitate orationis.

Sed in hoc laudis genere quum regnare Ciceronem nemo facile negaverit, ita ut, quo modo quidque dicendum esset, egregie invenerit, in iis, quae dicenda essent, non semper servavisse mihi videtur id quod decet, offendique soleo, maxime hos libros De Oratore, tum Brutum legens, non latentibus, sed manifestis vestigiis ambitionis et prorsus ineptae cuiusdam vanitatis. Minus profecto ei succenseo quum, ad Brutum scribens in Oratore (§ 102.

sqq.), suis recitatis tantum non demonstrat se vere esse eum, qui splendidum eloquentis nomen tueri possit: et fortasse ignoscenda sunt ea, quae in Bruto (§ 321. sq.) de se praedicat, ipso itinere disputationis invitante. Sed in libris De Oratore, id est in eo sermone, quem se puero habitum fingit, aegre fero quoties ea colloquentibus illis tribui animadverto, quibus manifesto auguriu quoddam contineatur gloriae, quam Cicero post illos mortuos adepturus esset. Quod enim vel Antonio, vel Crasso deerat quo minus perfecti essent oratores, id non obscure aliquoties significat se assecutum esse (conf. I. § 79. 95. II. § 365. III. § 51. 95. 126. 187. 228): quorum omnium nihil erat quod sermo ipse postularet, eumque deceret.

Non puto huius sive fraudis, sive artificii auctorem ei exsistere potuisse vel Platonem, vel Aristotelem, quorum tam ingenuitate delectamur, quam eloquendi elegantia. Quo magis autem optimus tum cogitandi tum dicendi artifex omnibus commendari solet qui in eadem arte elaborare operae pretium ducunt, tanto diligentius pauca vitia in tam illustri exemplo monstranda sunt, in quibus connivere hominis est nullo nativo sensu praediti eius quod deceat. Omnino non satis esse arbitror, quamquam per se magnum et difficile est, unumquodque de praestantissimis veterum scriptis recte et scienter interpretari; sed eorum potissimum, qui orationis facultate ita excelluerunt, ut sui et proprii ingenii notas et quasi praecipuum characterem in operibus expressum relinquerent, data opera expendendae primum sunt singulae scriptiones, quarum et susceptarum consilium et opportunitas, et perfectarum laudes ponderentur, tum acerrime attendendum sicubi scriptores aberraverint ab eo quod verum, quod rectum et honestum esset. Sed, ne ulterius digrediar, redeo ad illud Caesaris de Cicerone testimonium in Bruto l. c. appositum, ut inscitiae simul et negligentiae specimen ostendam in Plinio H. N. VII. 30 (31) 117 (quem locum a Pideritio nihil suspicanti appositum in pr. Introductionis ad libros De Oratore, describere hic non attinet), qui ex his Bruti verbis, *hanc gloriam testimoniumque Caesaris tuae quidem supplicationi non, sed triumphis multorum antepono*, effecit Caesarem ipsum scripsisse Ciceronem *omnium triumphorum laurea maiorem* esse; quumque Caesar scripsisset eum *bene de nomine ac*

dignitate populi Romani meritum existimandum esse, hanc rationem substituit, *quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperii.* Non decebat Tullianae dicendi facultatis laudes ab eo celebrari, qui nec satis attendisset quid ille scriptum reliquisset, et ipse in verborum tum delectu, tum compositione tam turpiter labatur, ut haud raro neque Latina, neque plana sint quae enuntiet.

Duas has virtutes ut afferret orator postulabat Crassus III. § 37, quibus haec duo adiecit, ut et ornate, et apte congruenterque diceret ad id quodcumque ageret. Horum autem quum vix quidquam sit, quod non in cuiusvis scriptoris officio recte censeatur, eos, qui Ciceronis aetate floruerunt librosque ediderunt, facile credo puri dilucidique sermonis laudi satisfecisse, et tamen eo pertinuisse studium, quod Cicero in Latinis literis colendis adhibuisset, ut sermonem illum insigniter locupletaret, et e medio sublatum, sicut mollissimam ceram, ad suum arbitrium formaret et fingeret (III. § 177). Itaque concedendum ei videtur quum, ad Marcum filium scribens (Offic. I. § 2), dicit, *orationem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem.* Hanc dicendi novitatem, ut ipse appellat, quum ipso florente homines vulgo admirarentur et stuperent, complures tamen erant, qui fastidirent et reprehenderent, quibus nimis redundans, nec sana satis et sicca videbatur, itaque discedere ab Atticorum norma: quorum criminibus respondet in Bruto et in Oratore (conf. Quinctilianus I. O. XII. 10. 12—14). Ipsorum illorum reprehensorum scripta, quae Tullianis opponeremus, ita exaruisse videntur, ut non diu aetatem tulerint. Non fuit in his Caesar, de cuius testimonio modo vidimus, cuiusque et orationes in primis probabantur Ciceroni, et commentarii rerum suarum, ut *recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta* (Brut. § 261. sq.), quos hodieque admiramur. Sed in iis, quae post Ciceronis aetatem edita sunt, — loquor autem de solutae orationis scriptoribus — frustra equidem quaesivi sanitatem illam, et siccitatem, et Atticam sobrietatem, quae recte nimiae scilicet Tullianae redundantiae opponeretur, tum plane desidero Latini sermonis nativam et incorruptam speciem, postremo facilitatem eam, quae e leni et apta comprehensione sententiarum oritur, contra horrida pleraque deprehendo, et dura et incompta,

tum, in iis, quae ornandi causa asciscuntur, violatam verborum proprietatem et quaesitum splendorem e nescio qua insulsitate, et insolentia et temeritate, tamquam insania ac turba verborum. Diserto et prudenti scriptori, cui debemus Dialogum de Oratoribus, cum Taciti scriptis edi solitum, licuit conferre Ciceronem cum aequalibus: qui, quamquam ipse quoque eum iisdem fere verbis, quibus Caesar, laudabat (Cap. 22: *primus excoluit orationem, primus et verbis delectum adhibuit, et compositioni artem*), tamen commemorat non defuisse ei obtrectatores, quaeque ipsi in eo vitiosa notanda videntur, actiones forenses attingunt, non item reliqua ab eo edita volumina, neque omnino laudes cultae et aptae orationis. Sed huius Dialogi scriptor, qui Vespasiano regnante vixit, non solum iudex acutus est virtutis oratoriae, sed ipse haud contemnendus artifex orationis purae et elegantis. Reliquos insanum studium invaserat nescio cuius antiquitatis: et, ut Salustius Catonem maluerat quam praesentium exemplorum sequi auctoritatem, ita, qui post Salustium ediderunt, maxime historiarum scriptores, Salustiani fuerunt. Atque hoc ipsum erat quod Cicero relinquendum esse putabat, itaque novitatem suam illustribus documentis commendabat, quum (ut dicitur in eodem Dialogo cap. 22. init.) aequales eius *antiquos mirarentur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponeret:* quod si Cicero enuntiare voluisset, non *eloquentiam* suorum temporum, sed (ut in Bruto, § 261, conf. Orat. III. § 39) *incorruptam consuetudinem* opposuisset iis, qui *inusitate loqui* studerent. Pertinet huc id, quod movet Ruhnkenius in fine Praefationis ad Velleium Paterculum, quum scribit: »hic aliquis quaerat, »quid sit, quare et Velleius, et ceteri historiarum scriptores, de»serto eloquentissimo Livio, sese certatim ad Salustium imitan»dum contulerint?" Sed fallitur vir praeclarus, si satis ad eam quaestionem responderi putat per notissimum illum Martialis versum, *Primus Romana Crispus in historia:* hoc enim ipsum explicandum erat, qua re Salustius *primus* haberetur. Nam ante hunc Cato a Romanis oratoribus negligebatur et fere ignorabatur (Brut. § 65, 68), fastidio quodam antiquitatis, quod a Cicerone in Bruto, § 65, sqq. severe notatur: ideoque hic de sua aetate iure pronuntiare potuit (ibid. § 69), *maiore honore in omnibus artibus, quam in una dicendi versari antiquitatem.* Contra sentit auctor

Dialogi, cap. 18, *vitio malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.* Non intercedo quo minus sic recte castigaverit ille scriptor suos aequales, quibus asperior et horridior Catonis oratio digna videretur quam prae Tulliana imitarentur: Ciceronis autem aequales et obtrectatores non noverant illud genus antiquum, sed sectabantur studiose id, quod Atticum vocabant: et probanda est Lipsii correctio in Dialogo cap. 18, ut Cicero illis obtrectatoribus *parum Atticus videretur*, quum libri ferant *antiquus*, quippe ista certe aetate prorsus inauditum erat ut *antiquitas* in oratoriis virtutibus numeraretur: conf. Cic. Brut. § 284, sqq.

Unde igitur explicabimus perpetuum illud studium Salustii imitandi, spreta illustri illa ubertate et compositione orationis cuius auctoritatem Ciceronis scripta continebant? Valuit nimirum postea etiam id, quod is, sua studia commemorans, dixit (Brut. § 322) de suis aequalibus: *nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis:* itaque nemo agnoverat *solum et quasi fundamentum oratoris esse locutionem emendatam et Latinam*, et, si barbaries quaedam sermonem infuscavisset, hunc *expurgandum esse, et adhibendam tamquam obrussam rationem* (Brut. § 258.): tum hoc neglectum esse ab iis, qui post literarum monumentis condendis operam darent, quod, a Cicerone exercitandi causa usurpatum, in I° De Oratore libro, § 155, Crasso ab eo tribuitur, ut summorum oratorum Graecas orationes Latine redderet, itaque in primis hunc sermonem locupletaret, multisque modis novam eius formam effingeret. Quo elegantioris Latinitatis studio vel neglecto, vel fastidiose contempto, fieri non poterat quin iam, Augusteo aevo, qui res Romanas conscribere et ornare vellent (nam forensis eloquentia tantum non conticuerat), id scribendi genus amplecterentur, cuius praeter alios nobile profecto exemplum in Originibus reliquerat Cato. Atque de huius operis laudibus honorifice pronuntiavit Cicero in Bruto, § 66—69, sed ita tamen, ut appareat quid ei defuerit, quum dicit: *antiquior est huius sermo, et quaedam horridiora verba; ita enim tum loquebantur: id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros et, ut aptior sit oratio, ipsa verba compone et quasi coagmenta, — iam neminem antepones Catoni.* Quantum autem his laudibus detraheret Atticus, et ibidem, § 294,

videmus, et Legg. I. § 6, ubi, quum haec ei verba tribuuntur, *abesse historiam literis Latinis, eamque rem a Romanis adhuc aut ignoratam, aut neglectam esse*, extra controversiam ipsius Ciceronis iudicium expromitur. Salustius autem, cui, quod ex egregiis illis duobus libris, quos superstites habemus, iudicare licet, tum e perpaucis reliquiis de quinque Historiarum libris, contigit ut non tantum argumenti apta circumscriptione et forma, sed rerum civilium prudentia, sententiarum gravitate, tum, interpositis contionibus, oratoria quoque virtute longe multumque superaret omnes, qui ante eum ediderant, satisfecisse dicendus est iis, quae apud Ciceronem, Orat. II. § 63, in eius operis exaedificatione postulantur, nec tamen sectatus est *genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens*, quod genus et istic commendatur, et Orat. § 66. Sed in illo Salustiano genere historiae tradendae et ornandae animadvertere licet Graecorum exemplorum imitationem, quae centum quinquaginta annis ante, quum Cato scriberet, nondum exstiterat: et credibile est eum Thucydidem sibi proposuisse, cuius speciem intueretur, sicut Velleius eum *aemulum Thucydidis* appellat, II. 36. 2. Hinc nimirum explicandum videtur Salustianum dicendi genus concisum, et obscurum, et torvum, de quo Thucydidis imitatores, qui sua aetate erant, admonet Cicero Brut. § 287, sqq., quem locum his verbis concludit, *ipse Thucydides, si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior*. Non servavit Salustius temporum nec praesentis sermonis mores, sed adscita in verbis quoque et sententiarum comprehensione nimia affectatione eius, quod priscum et diu inusitatum erat, formam induit scriptoris superbi, et austeri, et exaggerati, et perplexi, qui communis sermonis consuetudinem non emendaret nec eleganti delectu accommodaret argumento, sed multis modis etiam ipsius linguae eam vitiaret et contemneret proprietatem et ingenuam veritatem, sine qua multum abest ut recte scribendi officio plene satisfieri possit. Quid in eo veteres ipsi iam requirerent, breviter significavit Bernhardius in Lineamentis Literaturae Romanae, p. 603, sq. Ed. III^tiae^. Sed nihilominus tam splendebant reliquae virtutes in Salustianis historiarum libris, et tam ingenti intervallo ipse superiores post se reliquerat, ut, qui idem institutum post eum sequebantur, neglecto in dies magis diligen-

tiore studio Latinitatis, itaque facile in manifestis etiam flagitiis conniventes quae ipsi cumularent, ad huius exempli similitudinem sua componerent, et fere omnes Salustiani evaderent, adeo ut Tacitus, Ann. III. 30, Salustium appellaret *florentissimum rerum Romanarum auctorem*, quae ipsa verba mirum in modum probae Latinitati adversantur, neque, ut ad Ruhnkenium redeam, defenduntur huius observatione ad Vell. Paterc. I. 13. 3.

Neque ab ea disputatione, quam modo attigi, alienum esse puto expendere ea, quae in illa Praefatione vir ceteroquin elegantissimi iudicii de Velleii Paterculi oratione contendit, quum Burmannus dixisset (Praefat. init., et in Misc. Observ., quem locum indicat Ruhnkenius p. 309.) eam multum a munditia Augustei aevi desciscere. »Id, inquit, non melius refelli a nobis potuit, quam »locutione quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, optimo»rum scriptorum exemplis confirmanda. Alia igitur Velleii vi»tuperatores reprehendant, si volunt, aut possunt: venustum »et exquisitum loquendi genus carpere supersedeant, nisi veteris »elegantiae inscitiam prodere velint." Nescio quid vel simultatis, vel odii a Burmanno disiunxerat Ruhnkenium; et omnis ille conatus refutandi Burmanni non sine cupiditate susceptus fuisse mihi videtur. Non nego semel iterumque iure castigari Burmannum ab adversario, veluti ubi hic, ad I. 8. 2, vindicat locutionem *certaminis victor*: contra, non obtinet bene scripsisse Velleium I. 16. 4, *philosophorum ingenia Socratico ore defluentia*, tamquam si haec expressisset ex Cicerone, Orat. I. § 42 (in eaque sententia non *quanto*, sed *quantillo spatio* rectius ederetur): neque illa *philosophorum ingenia* defenduntur exemplo Ciceronis in Tusc. III. § 69. Sed operae pretium est, quoniam haec quaestio a nobis Ciceronis causa suscepta est, attendere ad hanc locutionem, qua in huius oratoris laude celebranda utitur Velleius I. 17. 3: *oratio ac vis forensis — ita universa sub principe operis sui erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit.* Frustra quaesivi in spisso illo volumine Ruhnkeniano vel qui istis offenderetur, vel qui defenderet: tamen nihil in iis non dico eleganter, sed sane dictum, quorum nunc duo tantum, exempli causa, explorabo. Quid portenti est illud, *oratio*, i. e. perfecta eloquentia, *erupit?* Quae vincta et constricta tenen-

tur, ea *erumpere* dici possunt, ut apud Ciceronem, Syll. § 76, de coniuratione, *ex magnis — rei publicae morbis ista repente vis erupit.* Quod Velleius vitio posuit verbum, pro eo *evolare* dicendum fuerat, ut apud Ciceronem, Orat. II. § 317, *nihil est in natura rerum omnium quod se universum profundat, et quod totum repente evolet.* Rursus ridicula haec est loquendi forma, *delectari ante eum*, quod nihil aliud est, nisi *delectari antequam Cicero delectatur.* Ubi Ruhnkenius explicat, ad II. 34. 3, Ciceronem de novo homine dicere eum *ex se ortum*, nihil defenditur Velleianum hoc de Cicerone ipso, *qui omnia incrementa sua sibi debuit*, inscito vocabuli abusu, ut quos quis deinceps adipiscatur honores *incrementa* dicantur: quodque istis adiicitur, *vir novitatis nobilissimae* (cuius simile est *severitas laetissima*, II. 127. 4), ut innumerabilia alia, sine animadversione praetereunt doctissimi editores, nisi quod Acidalius monet »hac forma sermonis nullam esse aliam Velleio familiariorem." Sed repugnante nativa Latini sermonis indole dicitur *vir nobilitatis*, qualis Genitivus eorum tantum usurpatur, quae quis vel natura afferat, vel studio consequatur, ut si dicitur *vir excellentis ingenii*, aut *multarum literarum:* alterum peccatum est quod Adiectivum additur *novitatis* vocabulo, siquidem ne cogitari quidem possunt ulli gradus novitatis, quae perpetuo absolute appellatur: absurdissimum porro est *novitatem nobilissimam* dici, cuius generis esset vel *nobilitas novissima*, vel *brevitas longissima*, vel *ignorantia doctissima.*

Sed modum faciamus: ne pauca quidem illa in Velleio notare in animum induxissem, nisi vidissem Ruhnkenii superstitionem non Krausium tantum, qui extremo anno superioris seculi Velleium edidit, sed nostra etiam aetate communicatam habere prudentissimum Bernhardium, qui, lib. cit. p. 615, sic pronuntiat, »sermonem Velleii, exceptis fucatis nimiumque quaesitis verbis »et structuris, purum et sincerum esse." Itaque vix ingressus, ne abutar hac praefandi opportunitate, relinquendam video explicationem eius sententiae, quam initio posueram, post Ciceronem illaque tempora paullatim exstingui coeptum esse lumen illud orationis Latinae castae et elegantis, ipsius linguae prudenter exploratis et ratione amplificatis copiis nixae. Cuius perfectae elegantiae observatio, quamquam in eo sermone, cuius et usus, et sonus diu

interiit, non magis ad veterum illorum monumentorum iustam existimationem pertinere mihi videtur, quam ad eiusdem laudis sensum alendum et emendandum in iis, qui hodie sui quisque sermonis facultatem exercere et perficere student. Si nulla alia de causa, haec ideo mihi commemorare placebat, quo excusarem operam in his Tullianis libris De Oratore emendandis positam, ea spe susceptam, ut harum literarum studiosis aliquantulum prodessem, tum ut doctorum virorum, si quid a me dissentirent, iudicia elicerem. Ceterum, si mihi et animus suppeditabit, nec vires deerunt, non cessabo, sed ita pergam φιλολογεῖν, ut veterum literarum studium ad earum rerum prudentiam conferam quibus hac aetate et his moribus omnes uti et necesse est, oportet.

Scripsi m. Octobri a. MDCCCLXIII.

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBER PRIMUS.

Cogitanti mihi saepenumero et memoria vetera repetenti perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima re publica, cum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit cum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum et aetatis flexu constitisset. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum cum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus quietis et tranquillitatis plenus fore videbatur,

1) *decursu honorum et aetatis flexu constitisset.* Nihil video, cur deserem id, quod e Cod. Voss. prolatum probavi, ut *et aetatis* pro aliorum *etiam aet.* legeretur. Primum ita tollitur asyndeton, minime huic loco aptum: tum ne proprie quidem *etiam* poneretur, quod adverbium usurpatur, ubi aliquid inexspectatum et extraordinarium commemorandum est, quodque non necessario cum antecedente coniunctum est, quum *honorum decursus* per se cum *flexu aetatis* cogitandus sit, ideoque nunc utrumque in eodem translationis genere enuntiatur.

2) *locus quietis et tranquillitatis plenus.* Retinui *plenus*, quamquam plerique servarunt alteram lectionem, *plenissimus*. Superlativus recte usurpatur in iis rebus, quae numerantur, sicut Leg. Manil. § 33 Caietae portus

in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris [dediti] fuimus, celebrandas inter nos-
3 que recolendas. Nam et prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris, et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen, et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi in nosmet ipsos redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris, et, quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel res publica tribuet otii, ad scri-
4 bendum potissimum conferam. Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti: nam neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest, neque voluntate.

---

dicitur *celeberrimus atque plenissimus navium*, et Verr. IV. § 118 *fons plenissimus piscium*: non ita in iis, quae qualitate censentur, ut in vitio et in virtute, ut dubitem adeo, an in Acad. Prior. II. § 114 recte edatur *plenissimum temeritatis*: recte contra Sest. § 23 ab Epicureis laudatur *otiosa vita plena et conferta voluptatibus*, ubi Ablativum postulat participium *conferta*, plurale autem indicat seriem et continuationem voluptatum, quarum alia aliam excipiat.

neque vero nobis. — Haec sic enuntiata non nisi paraphrasin continent eorum, quae modo dixerat: et tamen illa formula inchoandae sententiae ita usurpari et solet et debet, si additur aliquid, quod nondum commemoratum sit, aut quo corrigantur superiora: cf. § 21. 62. II. § 98. Propterea suspicor post *vero* excidisse *umquam*.

3) *nam et prima aetate* —. Suscepimus copulam ex uno Cod., quae in hac serie necessaria videbatur.

fluctibus, qui — in nosmet ipsos redundarunt. Revocavi hoc pro altero *redundarent*, quippe simpliciter quod acciderat commemorare voluisse mihi videtur Cicero, sine ulla vel fati, vel necessitatis significatione.

angustiis temporis. His non indicantur "tempora dubia, aleae plena", ut vir doctus putabat, sed otio carere Ciceronem, ut perpetuo *angustiae* vel cum eius rei Genitivo, quae indiget, vel eius, cuius non satis suppetit: itaque h. l. non satis otii nec vacui temporis esse sibi significat: conf. III. § 228. ad Div. XVI. 21, 7.

obsequar studiis nostris. Quoniam *studia* poni solent pro ipsis *artibus* et *disciplinis*, ut modo vidimus in antecedd., vix probandum est ut dicatur quis *obsequi suis studiis*, quippe *obsequimur* vel *necessitati*, vel *consuetudini*, vel alicuius *voluntati* aut *precibus*, non iis rebus, quae per se ipsae nihil a nobis postulant. Ne hoc quidem sumendum, *nostra studia* appellavisse Ciceronem, quod ea erant ei cum fratre communia; dixisset, ut

Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae 2
non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror,
apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri
omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni
ratione dicendi. Vis enim, ut mihi saepe dixisti, 5
quoniam, quae pueris aut adolescentulis nobis ex com-
mentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix
hac sint aetate digna, et hoc usu, quem ex causis,
quas diximus, tot tantisque consecuti simus, aliquid
iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri:
solesque nonnumquam hac de re mecum [in disputatio-
nibus nostris] dissentire, quod ego eruditissimorum
hominum artibus eloquentiam contineri statuam, tu
autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putes,
et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponen-
dam. Ac mihi quidem saepenumero summos homines 6

---

modo, *utriusque nostrum studia*. Probarem, sicubi scriptum inveniretur *obsequar studio nostro*, i. e. meo; nam de fratris *voluntate* mox de industria addit.

4) *veteris memoriae—recordatio*. Nihil in his aut impeditum, aut novum est. Apertum est e. § 23, *veterem memoriam* appellari ea ipsa, quae *quondam* in illorum virorum disputatione essent versata; et sic alii quoque viri docti intellexerunt, nec dubium est quin eodem modo in Bruto § 244 *memoria nota et aequalis* dicatur pro iis ipsis, qui noti et aequales essent praesentium hominum: et sic demum intelligitur recte dici *memoriae recordationem*, sicut ad Qu. frat. II. 2, 1. dicitur *recordatio praeteritae memoriae*. Contra, qui locum excitavit ex Orat. Pro Archia § 1, non animadvertit ab illo scriptore iugulari verborum proprietatem, qui scribat *pueritiae memoriam ultimam recordari*, quum debuisset *pueritiam ultimam recordari*, quique, ut hoc addam, ineptam abundantiam sectetur scribens *quoad longissime potest mea mens recordari*, pro *possum recordari*, qua simplici forma et infra utitur Cicero III. § 82, et perpetuo.

5) *quoniam, quae — rix hac sint aetate digna*. Non dubitavi, Schutzio monente, suscipere *sint*, quod a libris abest. Si quis enim attendit totum hoc iudicium Quinto tribui, nec Marcum de se ipsum tale quid affirmare voluisse credibile esse, agnoscet neque *quae* abiiciendum esse, neque *sunt* ferri posse, et statim post corrigendum fuisse *consecuti simus*, pro *sumus*, quod libri habent.

solesque — mecum — dissentire. Expressi *mecum* ex Cod. Vindob. pro vulg. *a me*: sed *disputationes*, quae propriae sunt philosophorum, falso tribuuntur Marco et fratri: eaque verba interpolata arbitror.

in quodam ingenii atque exercitationis genere. Non quasi plura essent *genera ingenii*; sed quum alterum genus censeretur *elegantia doctrinae*, huic opponit *ingenium* eiusque *exercitationem*, appellatque *quoddam genus*,

ac summis ingeniis praeditos intuenti quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus artibus, quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam, quocumque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis non
7 mediocrium artium, sed prope maximarum. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitat, quin belli duces ex hac una civitate praestantissimos paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix
8 paucos proferre possimus? Iam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac, si quis forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet, is convertat animum ad ea ipsa artium genera,

---

dubitans ipse, an dignitate cum altero aequiparandum sit.

6) *summos homines — intuenti.* Melius visum est praep. *in* omittere, quoniam neque de exemplo, neque de auctoritate, quam sequatur, sermo est. *in omnibus artibus.* Ut multis aliis locis, ita hic in nonnullis libris, corrupta vera lectione, fertur *in omnibus rebus.* Hinc nuper correxi locum Murenianae, Scholic. Hypomn. V. p. 328.

7) *quis autem dubitat.* Sic necessario corrigendum erat, pro vulg. *dubitet*, qui Coniunctivus (ut modo *anteponat*) tum ferendus esset, si scripsisset *quis, qui dubitet.* Eodem modo *quis ignorat* ponitur mox § 10 et 18: contra, in hac quaerendi forma, Coniunctivus postulatur, si quaestio in argumentatione ponitur, sicut bis § 16.

8) *ac si quis forte — putet.* Alterum, quod edi solet, *ne quis*, necessario postularet huius opinionis castigationem, non assensionem in verbis *convertat animum.* — Tum, quum in optimis libris esset *convertat*, in aliis *qui convertat*, quod nullo modo apodosi convenit, pro eo edendum putavi *is convertat*, quod pron. postulatur post *si quis.*

quam multi sint: sic facillime —. Fluctuant libri inter *sint* et *sic*: ipsa syntaxis monstrabat utrumque coniungendum esse.

circumspiciatque, qui in iis floruerint quam multi sint: sic facillime, quanta oratorum sit semperque fuerit paucitas, iudicabit.

Neque enim te fugit omnium laudatarum artium 3
procreatricem quandam et quasi parentem eam, quam 9
φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus doctissimis iudicari; in qua difficile est numerare quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecumque possent, vel scientiae pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in 10
obscuritate rerum, quamque recondita in arte et multiplici subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae vehementius videatur, quin quod voluerit consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium infinitam vim et materiam scientia et cognitione comprehenderit? Vere mihi hoc videor esse dic- 11

---

9) *difficile est numerare.* Tantum abest ut non deterius sit h. l. *numerare*, quam, quod multi libri tenent, *enumerare*, ut hoc postremum necessario improbandum sit; quippe *enumeramus* n aliquo genere omnes, aut omnia, i a ut nihil praetereatur, *numeramus* in incerto numero, ut constet, quantus sit.

10) *quamque recondita in arte.* Libri vel ἀτυπώτως; *quam rec.*, vel. *et quam r.* Non dubitavi corrigere, ut modo § 9 est *quantaque*, et sic passim.

qui huic studio literarum — penitus se dedidit. Alias ostendam, quam inscite haec verba imitatus sit scriptor Archianae § 2.

11) *minimam copiam poetarum egregiorum exstitisse, atque in hoc ipso numero* —. Sicuti haec librorum auctoritate eduntur, fieri non potest quin *hunc ipsum numerum* intelligamus *poetarum egregiorum.* Ita hoc oritur, ut statim adiiciatur in illis *poetis egregiis* perraro oriri aliquem *excellentem.* Non ferendum est hoc. Primum per se improprie appellatur poetarum *egregiorum copia:* tum, cum multis illis, qui in ceteris studiis versati essent, non *egregios poetas*, sed simpliciter *poetarum numerum* confert. Delendum igitur *egregiorum.* Reliquorum syntaxis hunc eventum habet, ut ridicula prodeat sententia. Dicitur enim hoc: *in hoc ipso numero*, nempe poetarum,

turus; ex omnibus iis, qui in harum artium stud
liberalissimis sint doctrinisque versati, minimam co
am poetarum egregiorum exstitisse. Atque in hoc ip
numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens,
diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia co
parare voles, multo tamen pauciores oratores qu
12 poetae boni reperientur. Quod hoc etiam mirabili
debet videri, quia ceterarum artium studia fere
conditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dice
autem omnis ratio in medio posita, communi quod
in usu, atque in hominum more et sermone versat
ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime
ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum,
dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari
nere orationis, atque a consuetudine communis sen
abhorrere.

4 Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures
13 teris artibus inservire, aut maiore delectatione,

---

multo pauciores oratores bonos reperiri. Sanam sententiam consequemur, si corrigimus *atque hunc ipsum numerum*, et *si comparare voles*, nempe, ut e postremis apparet, cum oratorum numero.

12) *dicendi ratio in medio posita communi quodam in usu — versatur.* Nondum assecutus sum quo modo defendatur illud pronom. *quodam*: et sane *quidam* tum addi solet, quum id, quocum coniungitur, excusandum quodammodo est, aut praedicari satis non potest. Eius autem generis non est *usus communis*, itaque infra § 192 *omnia sunt posita in usu quotidiano.* Lael. § 18 *quae sunt in usu vitaque communi.* Corrigendum suspicor, *communi quotidianaque in usu.* Possitne haec defendere, quod infra § 94. reperimus, *ex communi quadam opinione hominum dicere*, istic quaeram.

13) *ut omittam Graeciam.* — haec, auctore Kaysero, omisi *at* Exemplo explicaturus est, quod verse dixerat. In reliquis duo dicu inter se distinguenda, *Graeciam per eloquentiae principem esse volu* et *Athenis summam vim dicendi in tam esse et perfectam*, tamqua alia esset *eloquentia*, alia *summ cendi vis.* Probari hoc non po sed ne hoc quidem, ut Graecia tur *eloquentiae princeps esse volu* in quibus verbis complura sunt re hendenda. Primum, Latinum est *eloquentiae princeps*, sed al dici potest *princeps eloquentia* cuti infra § 105 *lingua princeps*: ne si recte quidem enuntiata ess laus, universae Graeciae ille pr patus eloquentiae tribui poterat, que uni vel urbi, vel regioni, homini, sicuti intelligitur Ora

spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Ut omittam Graeciam, [quae semper eloquentiae princeps esse voluit,] atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta, in hac ipsa civitate profecto nulla umquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt. Nam, posteaquam, imperio 14
omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Graecis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo, 15
et varietas, multitudoque in omni genere causarum,

56: et quid Graeciae in eo genere tribui possit, apte enuntiatum est in Bruto § 26, ibidemque § 49 dicitur *hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum.* Quid praeterea hoc est, *semper princeps esse voluit*? Maneo igitur in sententia, verba illa, *quae semper — voluit*, ab alio composita, per errorem in textum adscripta esse. Ipsa eloquentia suo loco mox appellatur *summa dicendi vis*, in quibus perperam Schutzius Adiectivo illo, *summa*, offendebatur, quo omisso non satisfactum esset huius sententiae consilio.

14) *otium* non intelligo, ut alibi, civitatis, in qua nullae turbae discidiaque sint, sed privatorum, ut infra § 79.

15) *magnitudo et varietas multitudoque in omni genere causarum.* Longus est Ellendtius ad II. § 145, ut obtineat copulam, ante *varietas*, recte omitti posse. Non accipio: *multitudo* et *varietas*, quae infra quoque § 118 iunguntur, recte ad omnes causas referuntur, non ita *magnitudo*, quam cum illis una enumeratione complecti non licebat, sed distingui oportebat.

proposita praemia vel ad gratiam—. Non tantum librorum auctoritate defendendum *proposita*, pro *exposita*, sed ipsa sermonis diligentia, quum *propositum esse* respondeat Graeco κεῖσθαι, atque sic servari videmus idem mox § 16 et infra § 247.

praemia ad gratiam dicitur, omisso Participio, veluti *conciliandam*, quam rationem vindicavi ad Murenianam, in Scholic. Hypomn. V. p. 323: constat tamen eam non esse perpetuam, ut Offic. II. § 34 *ad fidem faciendam iustitia plus pollet.* Rursus ibid. § 38, *tria, quae proposita sunt ad gloriam:*

ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, proposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero (ut multis rebus possumus iudicare) nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium
16 gentium praestiterunt. Quibus de causis quis non iure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum maius est hoc quiddam quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. Quid enim quis aliud, in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis, esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem ac difficulta-
17 tem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est, et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum, et omnes animorum motus, quos hominum generi [rerum] natura tribuit, penitus pernoscendi; quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut

---

in quibus alio modo *proposita* dicuntur, nempe ea, quae modo ante § 31 posuerat.

16) *Sed nimirum.* Quae ex aliis libris commendatur lectio, *sed enim*, ideo repudianda erat, quoniam (quod tamen partic. *enim* postulabat) non explicatur, quam ob rem *iure mirandum* sit tam exiguum numerum oratorum inveniri: contra, obtinere vult id non esse mirandum, (cf. § 19) utiturque coni. *sed*, cui per breviloquentiam statim subiicitur *nimirum*, quae particula, composita ex *mirum ni*, non simpliciter, sed cum dubitatione assumat (ut explicui ad Leges p. 342), atque ipsa inchoare poterat sententiam, quae saepe tamen praemunitur alia admonitione praemissa. Exemplo sit hoc, Offic. II. § 69: *sed animadvertendum est diligentius, quae natura rerum sit. Nimirum enim* —; et § 71, *sed si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus.* Aliis locis proprie coniunguntur *sed nimirum*, sicut Muren. § 45, ubi ea ipsa correctio est eius, quod praecedit.

17 [*rerum*] *natura.* Motus animi

sedandis aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque, et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate coniuncta. Tenenda praeterea est omnis antiquitas exemplorumque 18
vis: neque legum aut iuris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est, quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat, in qua ~~quum~~ cvm omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium memoria? quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiam si praeclarissima fuerint, in oratore peritura. Quamobrem mirari 19
desinamus quae causa sit eloquentium paucitatis, ~~quum~~ cvm ex illis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas curae est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis

---

homini tribuit cuiusque natura, non *rerum natura*, quae universi orbis est. Itaque recte Cod. Vindob. *rerum* omittit. Eandem interpolationem indicavi infra in § 219. Conf. quae notavi ad Leges p. 478.

18) *quid ego de actione dicam?* Vulg. *plura dicam.* Ineptam interpolationem aliorum exemplo librorum abiecci.

nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur. Non accipio correctionem, ut pro *cogitatisque* legatur *collocatisque*. Perspicuum est ἐν διὰ δυοῖν. Accedit quod ipsum *collocare*, sicut *disponere*, ad res ipsas pertinere apparet in II. § 350, et Orat. § 50, ut vix h. l. ad *verba* referatur.

19) *quorum gloria nobis — curae est.* Praetuli hoc prae altero, *cara est*, siquidem hoc significat, operam dare, ut illi gloriam aliquando consequantur.

sed aliis quibusdam. Non facile quis obtinebit intelligendum esse *aliis praeceptis aut mag. aut exercit.* Fieri potest ut exciderit *studiis*.

quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant.
6 Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni
20 laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. [Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio; quae, nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem.]
21 Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris praesertim oratoribus, in hac tanta occupatione urbis ac vitae, nihil ut iis putem licere nescire: quamquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videatur, ut omni de re, quaecumque
22 sit proposita, ab eo ornate copioseque dicatur. Sed, quia non dubito quin hoc plerisque immensum infinitumque videatur, et quod Graecos homines, non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes, partitionem quandam artium fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum ac deliberationum versaretur, et id unum genus oratori reliquisse, non complectar in his libris amplius, quam quod huic generi, re quaesita et multum disputata,

---

20) [*etenim ex rerum — paene puerilem.*] Huius loci postremam partem, inde a verbis *quae nisi sit*, Kayserus iam incluserat, nec profecto iniuria: nam ex iusta syntaxi relat. *quae* referri oportebit ad *oratio*, cum ridicula sententia; et sive *oratio* intelligatur, sive *rerum cognitio*, in neutram cadit hoc, ut dicatur *habere elocutionem*, quod ipsum in primis improprie dictum est, nulloque modo probandum. Infra certe, § 50 fin., quid reprehendendum sit, apte explicatur, et saepe simili modo: et, quum eadem dicantur § 17 init., apparet prima quoque verba, *etenim — oportet oratio*, non nisi tautologiam habere, igitur ipsa quoque tollenda hinc esse. Postremo, quae subiiciuntur, *neque vero ego hoc tantum oneris imponam* —, non nisi illis abiectis cum superioribus apte iunguntur.

21) *vis oratoris.* Non est hic eadem, quae intelligitur II. § 72, i. e. quid valeat ipse orator, quaeque eius virtus sit. II. l. argumentatur ex propria significatione ipsius vocabuli, ut infra § 64, *propriam oratoris vim definire*, et *nomen oratoris* appellat § 120 et 213.

summorum hominum prope consensu est tributum, re- 23
petamque non ab incunabulis nostris veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum, sed ea, quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum et omni dignitate principum disputatione esse versata: non quod illa contemnam quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt, sed, quum illa pateant in promptuque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est auctoritatem Graecis anteponam.

Quum igitur vehementius inveheretur in causam prin- 7
cipum consul Philippus, Drusique tribunatus pro senatus auctoritate susceptus, infringi iam debilitarique videretur, dici mihi memini ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse: venisse eodem, socer eius qui fuerat, Q. Mucius dicebatur, et M. Antonius, homo et consiliorum in re publica socius, et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. Exierant autem cum ipso 25
[Crasso] duo adolescentes, et Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem maiores natu dignita-

---

22) *Graecos homines —partitionem quandam artium fecisse.* Quoniam manifestum est h. l. non nisi de una dicendi arte sermonem esse, corrigendum censeo *artis*. De partitione in reliquis artibus dicitur nonnihil III. § 132.

23) *ab incunabulis nostris veteris puerilisque doctrinae.* Non dubitavi *nostris* edere de coniectura, pro librorum *nostrae*. Primum, *doctrinae incunabula* ne intelligi quidem potest, quoniam *doctrina* ipsa institutio et tamquam schola est: potest *artis* alicuius *incunabula*, sicut Orat. § 42 *oratoris incunabula*, in quibus ars oratoria nata est et educata. II. l., ut Fin. V. § 55. *incunabula* de pueritiae aetate dicuntur, diciturque pro *ab iis, quae pueri didicimus*, ut supra § 5.

25) *exierant autem cum ipso [Crasso]* —. Nom. propr. interpolatum est ab eo, qui non intelligeret pron. *ipse*, ut Graecum αὐτός, indicare dominum, et, ut h. l., eum, qui domi familiares excipit.

collocarant. Vitiosa est altera lectio, *collocarent*, et, si Coniunctivus probari potuisset, requireretur *collocassent*. Sed hoc de suo ex historia

tis suae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum pl. petebat, et P. Sulpicius, qui deinceps eum magistra-
26 tum petiturus putabatur. Ili primo die de temporibus illis, deque universa re publica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt: quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali,
27 quod non impendere illi tanto ante vidissent: eo autem omni sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaque esset in homine iucunditas et tantus in iocando lepos, ut dies inter
28 eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. Postero autem die, quum illi maiores natu satis quiessent, et in ambulationem ventum esset, [dicebat] tum Scaevolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse, Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cuius umbram secutus est Socrates; quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse: et, quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abiiceret in herbam,

---

interponit Cicero, ut mox *petebat*, et *putabatur*.

qui tum tribunatum plebis petebat. Servandum fuit *tum*, ab aliis eiectum, propter oppositum *deinceps*.

26) *quo quidem in sermone*. Servavi praepos. *in*, quod vix probari posse mihi videbatur, si dicatur *aliquid sermone deplorare*, diversumque est in Cluentiana § 65, *eloquentia*, et *tacita pietate deplorare*.

28) *quum in ambulationem ventum esset, [dicebat] tum Scaevolam — dixisse*. Necessario abiiciendum est *dicebat*, sicuti § 29 post *consedisse*, quoniam nec *dicere* substitui potest *narrandi* verbo, et, servato *dicebat*, e verborum syntaxi hoc efficitur, quasi Cotta ista dixisset, postquam in ambulationem venissent. Sed servandum *tum*, ut in expositione non praecipitante, sicut infra § 210 et 240.

me haec tua platanus admonuit. Nunc ipsum *hanc platanum* animadvertunt. Scaevola dixisse mihi videtur *admonet*. Eodem modo praesens, *commo-*

atque ita, quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. Tum Crassum, Imo vero commodius etiam; 29
pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse [dicebat.]

Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi om- 8
nium, solebat Cotta narrare Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse. Qui cum ita esset 30
exorsus, Non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam iam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum anteponerentur, sed cum maioribus natu comparentur. Neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus praecipue semper floruit semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita 31
multitudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut tam potens tamque magnificum, quam

---

rent, servatur II. § 20: nec difficile est explicare, quare III. § 209, *admonuit* unice rectum sit.

fecit, ut se abiiceret. De hac forma dixi in Mnemosyne IX. p. 301 sq.

atque ita, quae philosophi — loqueretur. E var. lect. apparet (quum edi soleat *atque ita illa quae*) in multis libris aut *ita*, aut *illa* omissum esse: Vindob. quoque habet *ita*, suprascr. *forte illa*. Satis est *ita* servare, quod significat Socratem in herba iacentem.

29) *ex pristino sermone.* Non puto demonstrari posse, in Ciceronis Latinitate, quod heri fuerit, *pristinum* appellari posse; et conferri meretur Dukerus ad Livium IV. § 32. 10. Suspicor corrigendum esse *ex hesterno sermone.*

31) *senatus gravitatem unius oratione converti.* Verbum in clausula positum sane per zeugma non nisi improprie cum *populi motus*, et *iudicum religiones* componitur: sed ne *gravitas* quidem *converti* potest, nisi adiiciatur, *in* quid *convertatur*. Scriptumne fuit *convelli*? Sed nihil definio. Corrigatur modo *religionem.*

populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem
32 unius oratione converti? Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, [liberare periculis, retinere homines in civitate]? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare [integros], vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper [forum] subsellia, rostra, curiamque meditere, quid esse potest in otio aut iucundius, aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? [Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere
33 dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non iure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc

---

32) [*liberare periculis, retinere homines in civitate.*] Utrumque nihil est nisi interpretatio antecedentis *dare salutem*, quod aliis locis (ut II. § 200) dicitur *saluti esse*: nec quidquam adiicitur simili loco II. § 35, ubi dicitur oratoris facultate *integritatem ad salutem vocari*. Ipsum *liberare periculo* recte dicitur, non item *periculis*, sicut neque *salutes dare*: tum *retinere in civitate* melius dicitur in Milon. § 102 *in patria retinere*. Sed, praeter haec in singulis notanda, non negligenda est ea Ciceronis consuetudo, ut in eiusmodi cumulatione et anaphora aequabilitatem et concinnitatem sequatur: itaque, sicut in proxime superioribus quoque tria tantum cumulavit, sic h. l. non videtur quinque enumerare voluisse.

vel provocare [*integros*]. Postremum vocabulum alii aliter, in Codd. quoque, corrigere studuerunt: mihi interpolatum videtur ab eo, qui non teneret et *provocare*, et *lacessere* absolute dici posse, sicut ad Div. XII. 20.

[*forum*]*subsellia rostra curiamque.* Perpetuo solet tribus vocabulis distinguere loca, in quibus versaretur orator: ut mox § 35: itaque *subsellia* quum indicare soleant causas in iure actas, apte carebimus *fori* mentione.

meditere. Quoniam plures alloquitur Crassus, vix ita locutus est, aptiusque iudicarem *meditemur*.

[*hoc enim uno praestamus — hominibus ipsis antecellat.*] Explicandum est qua re totus hic locus mihi insertus esse videatur. Argumentatio haec est: quum ornasset eam eloquentiam, quae in iudiciis et rebus publicis versaretur, addit, *in otio* i. e. in vita privata, *nihil esse iucundius, quam sermonem facetum ac nulla in re rudem.* Sed quod subiicitur, *hoc enim uno praestamus* —, minime explicat illud, quare nihil iucundius sit sermone faceto. Quae sequuntur, (*quam ob rem* —) sic explicare oportebit, ut dicatur *ideo* operam dandam esse eloquentiae, vel quod nihil iucundius sit sermone faceto, vel quod colloqui homines inter se pos-

hominibus ipsis antecellat?] Ut vero iam ad illa summa veniamus, quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut iam constitutis civitatibus leges, iudicia, iura describere? Ac, ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, 34
comprehendam brevi: sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universae rei publicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et rei publicae emolumento esse possitis.

Tum Scaevola comiter, ut solebat, Cetera, inquit, 9
assentior Crasso, ne quid aut de C. Laelii, soceri mei, aut 35

---

sint. Qui ista consarcinavit et hic interposuit, ei praesto fuerant haec ex Invent. I. § 5: *ac mihi quidem videntur homines, quum multis rebus humiliores et infirmiores sint, hac re maxime bestiis praestare, quod loqui possunt. Quare praeclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat:* ne, praeter Offic. I. § 50, alia excitem, quae similem sententiam continent. Nihil autem ista omnia, etiamsi optime essent enuntiata, pertinent ad id, quod Crassus nunc demonstrabat, quum praesertim iam illud *hominibus antecellere* commemorasset (*ex infinita multitudine — facere possit*:) qui singula ordine percurrens, in quibus valeret praestans orationis facultas, statim ab *otio*, in quo iucundus sit *sermo facetus*, transit ad maiora cum ipsa humanitate coniuncta, *ut vero iam ad illa summa veniamus* —; eodemque modo ista arcte coniungit Nat. Deor. II. § 148. Haec, nisi fallor, refutabunt ea, quae suspicioni meae obiecta sunt. Ne hoc quidem repudio, quod dixi vitiosum esse hoc, *exprimere dicendo sensa.* Aptius III. § 55. appellavit *sensa mentis*, qui Genitivus additus in accurata oratione omitti non poterat: tum *menti* recte istic opponuntur *verba* potius, quam ipsum *dicere*, meliusque ea *explicari* dicuntur, quam *exprimi*, quod postremum tantum ad *effigiem* referri potest.

34) *privatorum plurimorum.* Dicitur sane Offic. I. § 65, in laudibus scientiae iuris civilis ponendum esse *prodesse quam plurimis*: sed h. l. illa *plurimorum* mentio debilitat sententiam, et corrumpit totius sententiae concinnitatem, quae (ut in *ipsius dignitatem*, et *reipubl. salutem*) post *privatorum* similem Accusativum requirebat, fortasse *fortunas*, aut simile, quod aliis divinandum relinquo.

35) *ne quid aut de C. Laelii* —. Recepi *quid*, in multis libris omissum (in Vindob. exstat *ne aut quid*), quod verbum *detrahere*, si nihil aliud est

de huius, generi, aut arte, aut gloria detraham: sed illa duo, Crasse, vereor ut tibi possim concedere, unum, quod ab oratoribus civitates et initio constitutas, et saepe servatas esse dixisti, alterum, quod, remoto foro, contione, [iudiciis,] senatu, statuisti oratorem in omni
36 genere sermonis et humanitatis esse perfectum. Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum, in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delenitum se oppidis moenibusque saepsisse? aut [vero] reliquas utilitates, [aut in constituendis, aut conservandis civitatibus,] non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et
37 ornate dicentibus esse constitutas? An vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari? Quid enim? in Numa Pompilio, quid? in Servio Tullio, quid? in ceteris regibus, quorum multa

---

quam *auferre*, *minuere*, vix sine Accusativo obiecti dici potest, absolute positum cum *obtrectandi* et *male dicendi* significatione coniunctum est. Tum corrigendum *et de huius*, pro *aut*, quae disiunctiva particula in iis tantum valet, quae simul vel esse, vel fieri non possunt, ita ut optio inter plura detur. Eademque de causa, iterum bis sublato *aut*, legendum censeo *arte et gloria*. Eodem iure corrigere mihi videor in Offic. I. § 9, *tum anquirunt et consultant*, pro *aut anqu. aut cons.* Postremo ipsum illud *generi* interpolatum esse arbitror.

saepe servatas esse. Praetuli hanc lectionem prae altera plerorumque librorum, *conservatas*. Referuntur ad illa, quum Crassus dixisset oratoris sapientia *rei publicae salutem* contineri, i. e. quotiescumque ea in discrimen veniat. Itaque *servari saepe* poterit civitas, non *saepe conservari*.

remoto foro, contione, [iudiciis], senatu. Propter ea, quae modo ad § 32. notavi, eiiciendum hinc censeo *iudiciis*. Conf. mox § 44. 48. 73. Offic. I. § 132.

36) *aut [vero] reliquas utilitates — esse constitutas.* Statim initio huius loci improprie ponitur adversativa partic. *vero*, quae recte paulo post demum ponitur, *an vero tibi*, ubi eam perperam nonnulli libri omittunt. Sed liberandus est hic locus impudenti interpolatione verborum *aut in constituendis* usque ad *civitatibus*, quibus scilicet explicantur illae *reliquae utilitates*, quibus non *constitutae civitates*, sed, ut Crassus ante dixerat, *leges, iudicia, iura* indicantur uno vocabulo. Illis igitur abiectis, non amplius offensioni erunt *utilitates constitutae in constituendis civitatibus*.

37. *num quod eloquentiae vestigium.* Spretum ab Editoribus *quod* necessarium iudico, si cogitatur, quod re-

sunt eximia ad constituendam rem publicam, num quod eloquentiae vestigium apparet? Quid? exactis regibus, (tametsi ipsam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus,) et deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? Ego vero, si 38
velim et nostrae civitatis exemplis uti et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adiumenta per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse T. et C. Sempronios; quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias, et maxime censor, saluti rei publicae fuit: atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At vero eius filii diserti, et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati,

---

spondendum erat, *prorsus nullum. et deinceps omnia.* Sic correxi de meo, quum omnes libri servant *sed d.*, quae Coniunctio ita demum apta esset, si post longiorem digressionem instauranda fuisset sententia.

ista praeclara gubernatrice — civitatum [*eloquentia*]. Bene vidit Kayserus postremum vocabulum abiiciendum esse: in eiusmodi definitione (*ista praecl.*) non efferri solet ipsum definitum.

39. *mosque maiorum.* Bene susceptum est hoc, prae altera lectione *moresque maiorum.* Contra, Offic. I. § 156 convenit disputationi, ut dicatur in philosophorum libris nullum locum praetermissum esse, *qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam rei publicae pertineret.*

iura civilia — in nostra familia sine ulla eloquentiae laude versantur. Non puto quemquam ulla vel ratione, vel auctoritate defendere posse hoc, ut recte dicantur *iura civilia versari in familia Muciorum.* Suspicor corrigendum esse *servantur.*

ab oratorum genere. Cum aliquo contemtu dictum, ut Flacc. § 9 *totum genus Graecorum.*

40. *iuris ignara est.* Nondum mihi constitit *ius* absolute positum dici pro *iure civili:* ut fortasse scripserit *huius ignara est.*

41. *oratorem in omni sermonis disputatione copiosissime versari* [*posse*]. Sensus est, in omni i. e. cuiuscumque argumenti *disputatione*, quae *sermone* continetur, cui, sicut explicatur Offic. I. § 132, *contentio* opponitur: et sic recte explicuit iam Beierus, ad Offic. III. § 96. Ideo praeferendum erat *omni*, prae altero *omnis.* Sed delendum est extremum *posse*, quamquam in multis libris est inv. ord. *posse versari:* rationi consentaneum est ut in

quum civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent, istā praeclarā gubernatrice (ut ais) civitatum [eloquentīā] rem publicam dissipaverunt.

10 Quid? leges veteres mosque maiorum; quid? auspi-
39 cia, quibus et ego, et tu, Crasse, cum magna rei publicae salute praesumus; quid? religiones et caerimoniae; quid? haec iura civilia, quae iampridem in nostra familia sine ulla eloquentiae laude versantur, num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum
40 genere tractata? Equidem et Servium Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam, et C. ipsum Carbonem, quem tu adolescentûlus perculisti, ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili: et haec aetas nostra, praeter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere aliquo disertorum, ius a nobis civile didicisti, (quod interdum pudeat), iuris ignara est.
41 Quod vero in extrema oratione quasi tuo iure sumsisti, oratorem in omni sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure manum consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses.
42 Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique in iure vindicarent physici, ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Urgerent praeterea philosophorum greges, iam ab illo fonte et

---

eiusmodi definitione illud *posse* omittatur, sicuti omittitur infra § 57 et 64, et passim. De Superlativo *copiosissime*, dubito an huius loci sit, qui non nisi semel deprehenditur apud Ciceronem, Offic. I. § 4, sed non temere: ceterum ubique *copiose* servatur.

[*tam*] *temere*. Non puto in hoc Adverbio, ut neque in ipsa *temeritate*, gradus cogitari posse: et credibile est librarium vocabuli *temere* initium vitiose scripsisse, nec delevisse.

42. *ceterique in iure vindicarent physici*. Secutus sum correctionem docte a Pideritio commendatam cum duorum postremorum vocabulorum transpositione. Ceteri, vel *suo iure*, vel *sua in iure*.

capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaesisse, nihil scire convincerent: et, ~~quum~~ cum universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. Instaret Academia, quae, quic- 43
quid dixisses, id te ipsum negare cogeret: Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent: Peripatetici autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse, adiumenta atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere, ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. Missos facio 44
mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate coniungitur. Quamobrem ista tanta tamque multa profitenda, Crasse, non censeo: satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior et probabilior esse videatur: ut in contionibus et sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio: denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi vidèbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate posse.

Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista 11
inter Graecos dici et disceptari solere. Audivi enim 45
summos homines, ~~quum~~ CVM quaestor ex Macedonia venis-

---

43. *negare cogeret.* Vitiosa altera lectio, *scire negaret*, plane corrumpit sententiam: intelligit enim astutam Socraticam disputandi rationem, qua is, qui quid affirmavisset, identidem eo perducebatur ut ipse rursus idem negaret.

44. *quamcumque tu dicis.* Non dubito quin corrigendum sit *dicas.*

45. *dici et disceptari solere.* Equidem lubenter carerem illis *dici et*, quoniam hoc verbum minus proprie de illis dissensionibus ponitur.

quum quaestor ex Macedonia venissem Athenas. Hanc Crassi commorationem Athenis Lyndenus De Panaetio p. 12, Pighium secutus, ad a. u. 643 refert. Sed discrepat a sese Crassus, qui III. § 75 de eodem iti-

sem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quum eam Charmadas et Clitomachus et Aeschines obtinebant: erat etiam Metrodorus, qui cum illis una [ipsum illum] Carneadem diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum: vigebat auditor Panaetii illius tui
46 Mnesarchus, et Peripatetici Critolai Diodorus: multi erant praeterea clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia, ac tantum in iudicia et contiunculas, tamquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi vide-
47 bam. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori et principi, [longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo,] Platoni; cuius tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam: quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus

---

nere loquens, *quaestor*, inquit, *in Asia quum essem, — et inde decedens Athenis*—. Haec ita conciliari posse putat Pighius Tom. III. p. 119, ut dicat terrestri itinere Crassum ex Asia rediisse, sicuti Quintum fratrem scribat Cicero ad Att. III. 8 init., tardiusque propterea Romam venisse Crassum, et tribunatum integro demum anno post obtinere potuisse. Sed primum, de more erat ut ex Asia Athenas navigarent, sicuti fecit sine dubio Ser. Sulpicius (ad Div. IV. 5): tum, dicendum erat *per Macedoniam* non *ex Maced.*, siquidem in illis locutionibus Praep. *ex* cum provinciae nomine coniungi solet, addita vel gesti magistratus, vel triumphi appellatione: conf. Beier. ad Fragmm. Oratt. p. 203, Bibl. Crit. N. III. p. 222 et Scholic. Hypomn. IV. p. 203. Dicendum igitur memoriae lapsu Ciceronem *ex Macedonia* pro *ex Asia* scripsisse, nec vidi hucusque quidquam allatum, quod me negare cogeret quod affirmassem.

[*ipsum illum*] *Carneadem.* Neutrum pronomen in hac Carneadis mentione defendi posse contendo. Minime inter se conspirare libros intelligetur e v. l. *Ipse* appellari non poterat Carneades, quum nemo ei opponatur: *ille* non nisi is, de cuius fama inter eos, qui aderant, constaret. Igitur nihil ad defendendum adiuvant innumerabiles loci, in quibus *ipse ille* iunguntur, v. c. apud Ellendtium excitati, infra ad § 66, et apud Madvigium collecti Opusc. Acad. I. p. 131, et ad Fin. p. 26. Excluduntur praeterea hinc illa Pronomina, quod statim Carneadis laudes diserte praedicantur. Hinc correxi in Orat. § 171. Statim post recte Kayserus servavit *hominem* (Vindob. *nominem*), prae altero *hominum*: conf. infra § 58, 105, 163, 180, 191 et passim.

videbatur. Verbi enim controversia iam diu torquet Graeculos, homines contentionis cupidiores, quam veritatis. Nam, si quis hunc statuit esse oratorem, qui 48
tantummodo in iure [aut in iudiciis] possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est: neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque sine legum, moris, iuris scientia, neque natura hominum incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari et perite potest: qui autem haec cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? Sin oratoris nihil vis esse nisi composite, ornate, copiose loqui; quaero, id ipsum qui possit [assequi] sine ea scientia, quam ei non concedis? dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest. Quamobrem, si ornate locutus est, (sicut fer- 49

---

46. *tantum in iudicia — compingi videbam.* Perquam improprie mihi dici videtur *tantum compingi.* Nisi Zumptius pronuntiavisset ad Verrinas p. 545 insolentem esse Ciceroni locutionem, nec nisi scriptorum argenteae aetatis, contenderem scriptum fuisse *tantum non compingi*, quo ipso indicaretur similitudinem adhiberi. — Ipsum *videbam* commodius mutabitur in *audiebam*, ut sunt aliis quoque locis haec verba per errorem inter se permutata.

47. [*longe omnium — eloquentissimo*]. Complura sunt quae mihi persuadent ista interpolata esse. Veluti non huius sunt loci illae Platonis laudes; statim suo loco eum appellat *oratorem summum.* Tum illa forma laudandi brevi nimis intervallo subiicitur iis, quae de Carneade dicta erant. Neque hoc probandum, ut *princeps eloquentissimus* quis dicatur; neque quod *in dicendo gravissimus.* — Statim quod sequitur, *in oratoribus irridendis*, quoniam sensum esse oportet, *dum oratores irridet*, carere non potest Praepositione, quam alii omittunt. Sed praestabit fortasse corrigere, *oratoribus irridens.*

natura hominum incognita. Non tantum propter exempla § 53 en 165 corrigendum est *naturis hominum incognitis*, sed quoniam, ut recte dicitur *cuiusque natura*, sic *hominum naturae*, quemadmodum *hominum ingenia*, dicatur necesse est.

perite potest. Requiri puto *poterit.*

48. *copiose loqui.* Beierus ad Offic. I. § 156 corrigebat *eloqui*, duplici modo peccans ipse. Nam primum *eloqui* obiecti Accusativum postulat: tum, ut *loqui copiose*, sicut mox *composite*, *ornate loqui*, recte dicitur de oratione copiosa, sic *eloqui copiose* ne cogitari quidem potest.

qui possit [*assequi*]. Quod abiicien-

tur, et mihi videtur) physicus ille Democritus, materies illa fuit physici, de qua dixit, ornatus vero ipse verborum oratoris putandus est. Et, si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus, quod ego concedo; si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, et in dicendo suaves atque ornati fuerunt; sint hae res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis, oratio quidem ipsa propria est huius
50 unius rationis, de qua loquimur et quaerimus. Etenim videmus iisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem philosophiae non satisfecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem.

(12) Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur? Unum erit profecto, quod ii, qui bene di-

---

dum mihi videtur, *assequi*, necessario obiecti Accusativum requirit, qui non inest in Infinitivo *loqui*. Diversa conditio est loci § 19.

quam ei non concedis. Praetuli hoc, prae altero *conceditis*, quoniam non accipio Ellendtii interpretationem, quasi diceret „tu et quos sequeris philosophos:" de suo enim Scaevola sententiam dixerat, neque ullos philosophos sequebatur, quorum opinionem primus Crassus commemoraverat.

nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint. Iterum discedo a novissimis Editoribus, qui utrobique secuti sunt alteram lectionem, *dicet*, neque mutavi sententiam propter doctam annotationem Ellendtii ad II. § 182. Scilicet Futurum illud proprium est praecepti, quum praescribitur quid oratorem facere oporteat, non definitionis. Igitur recte II. § 223 Futurum servatur, utpote in praecepto. Hoc loco, si praeciperetur, scriptum oportebat *percepta erunt:* sed non praecipit nunc Crassus, sed iudicium tantum explicat.

50. *hanc dicendi ex arte aliena facultatem.* Perperam olim corrigebam *alienam.* Ipsa dicendi ars aliena erat philosopho.

unum erit — quod ii — afferunt proprium. Nondum accipio Schutzii correctionem, *afferent:* libri vel *afferunt*, vel *afferant* habent. Nondum agitur de ipsis oratoribus, sed de conferendis inter se scriptoribus illis, *quos nominaverat*, e quibus *qui bene dicunt*, hoc *afferunt proprium* cet: Futurum si poneretur, diceretur eos oportere hoc afferre proprium, quod plane hinc alienum est.

haec autem oratio — ludatur. Haec vitio interposita esse supra in § 20

IESV COERCITOR VITAE MEAE

cunt, afferunt proprium, compositam orationem, et ornatam, et artificio quodam et expolitione distinctam. Haec autem oratio, si res non subest [ab oratore] percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furio- 51
sum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia? (Quicquid erit igitur, quacumque ex arte, quocumque de genere, id orator, si, tamquam clientis causam, didicerit, dicet melius et ornatius, quam ille ipse eius rei inventor atque artifex. Nam si quis erit, 52
qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam; fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem: sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quae isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit maximam vim exsistere oratoris in 53
hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut

---

dixi ad eum locum. Sed hoc ipso loco interpolata sunt verba *ab oratore*. Nondum *oratorem* indicat, sed universe *orationem*, quae non ita laudari poterat, *si ab aliquo res percepta esset*.

51. *quid est enim*. Ut innumerabilibus aliis locis, ita hic quoque libri multi servant alterum ordinem, *quid enim est*, quae postrema ratio tum valere mihi videtur, si quaeritur de rei definitione, ut in hoc Senect. § 5, *quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturae repugnare*. Attigi hoc discrimen ad Leges I. § 34, et alibi.

nulla subiecta sententia nec scientia. Nec per se probari potest ut *scientia* et *sententia* tamquam diversi generis a se invicem distinguantur: et, quod hoc quoque loco postulatur, *verbis* et *orationi* non *scientia*, sed *sententia* tantum opponenda erat, sicuti fit II. § 56. Propterea illa *nec scientia* e dittographia orta esse suspicor —. Mox, pro *quocumque de genere*, praeferrem *qu. e genere: genus* ipsum pro *arte* aut *studiis* ponitur.

53. *exsistere*. Modo, § 48, dixerat *exstare*.

quare nisi qui —. Suscepimus acutam Passeratii correctionem, *quare*, pro *quae*. Hanc omnium, ut videtur, librorum lectionem defenderat iam Matthiaeus, novissime Piderítius quoque, qui ideo in seqq. *quod* mutari iubet in *quoad*. Obstat quod ita *quae* obiectum sit necesse est verbi *perficere*, utque illo Relativo contineantur quae praecedunt, *incitare*, et *revocare*: sed neutri actioni convenit verbum illud, quoniam nemo dixerit *perficere incitationem*, aut *revocationem*. Contra, *quod vult perficere* orator, nihil est aliud, nisi causam, quam defendat, obtinere,

ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quare nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet per-
54 ficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum proprius videtur, neque orator, me auctore, umquam repugnabit: sed, quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint elaborare, tractationem orationis, quae sine illa scientia nulla est, sibi sumet. Hoc enim est proprium oratoris, quod saepe iam dixi, oratio gravis et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata.

Nec.

13 Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scrip-
55

(ut infra II. § 114, *ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos.*) idque perficere poterit *dicendo*, i. e. incitandis aut revocandis hominum mentibus. Ipsum illud *quoad* ideo vitiosum esset, quod ita diceretur oratorem sibi in illo proposito certum modum constituere, ultra quem progredi necesse non esset.

54. *atque totus hic locus* —. Quemadmodum hic locus e libris edi solet, divelluntur a se invicem quae arctissime cohaerere oportet: atque una argumentatione comprehendendum erat, quid philosophorum, et quid oratorum *proprium* esset. Itaque non multum discedens ab iis quae olim commendavi, primum corrigendum est *et si*, (pro librorum lectione *atque*, aut *atqui*): tum, quoniam requiritur ea objectionis forma, quae modo servabatur § 52 (*si quis erit*), praestabit *videbitur*, sicuti Futura mox servantur haec, *repugnabit, concesserit, assumet*: postremo, quod de *oratione* dici nunc videtur, eam *sine illa scientia nullam esse*, alienissimum est ab hac argumentatione, qua orationi dignitatem vindicari necesse erat, ideoque levi mutatione adhibita legendum, *sine qua illa sc.* De meo correxi *sumet*, prae constanti, ut videtur, librorum lectione, *assumet*, quod compositum, ut recte ponitur infra, v. c. § 170 en 217, ita hinc prorsus alienum est. Igitur ex mea sententia locus sic describatur: *Et, si totus hic locus philosophorum proprius videbitur, neque orator, me auctore, umquam repugnabit, et, quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint elaborare, tractationem orationis, sine qua illa scientia nulla est, sibi sumet.*

56. *etenim, quum illi in dicendo* —. Iterum restituenda est sana sententiarum series. Modo dixerat Aristotelem et Theophrastum ipsa inscriptione librorum rhetoricorum concessisse oratorum esse quae istic tractarent: sed quae hic subiiciuntur minime rationem reddunt eius observationis, quum nihil aliud dicatur, nisi locos illos ipsos, qui enumerantur, esse philosophorum, sed tractationem propriam esse oratorum. Igitur consentaneum est ut, quum dixisset Crassus de eo secum convenire Aristotelem en Theophrastum, ut tractationem rerum oratori concederent,

sisse fateor: sed vide ne hoc, Scaevola, totum sit a me. Nam ego quae sunt oratori cum illis communia non mutuor ab illis, isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant. Etenim, ~~quum~~ illi in dicendo inciderunt loci 56
(quod persaepe evenit), ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi [civium, de] hominum, de gentium iure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae sua haec esse omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis con- 57

---

nunc eos mordicus sibi vindicare locos illos ipsos, quos enumerat. Hinc aptum est ut *etenim* mutetur in *at*. — In reliquis non praetereundum est *in dicendo*, vix tolerandum, quum dicitur *loci in dicendo incidunt, ut sit dicendum:* equidem illis facile carerem. Porro, de meo correxi *inciderunt*, pro vulg. *inciderint*, sive id Perfecti Coniunctivi, sive Futuri exacti esse habeatur: Indicativi autem Perfectum, Aoristi quodammodo vim habens, usurpatur in significando eo, quod solet fieri, sicuti *posuerunt*, infra § 59, et *fuerunt*, Divin. II. § 36: itaque ipsum *evenit* non Perf., sed Praesens est, quemadmodum nemo scripsisset *quod persaepe factum est*, sed *fit*. Rursus eiusdem Futurum exactum bene servatur infra, § 64.

de communi [*civium, de*] *hominum, de gentium iure*. Bene demonstrat Pideritius improprie et minus Latine appellari *commune civium ius*, quod *commune hominum ius* dici soleat, *civium* autem sit *civile ius:* itaque corrigit vel *de civium, de communi omnium hominum iure*, vel *de civium, de gentium iure*. Equidem philosophos quaesivisse non puto de ullo civium iure, (et *civium ius* diverso modo intelligendum paullo post § 58.), abiectisque verbis *civium de*, locum sic constituendum censeo, *de communi hominum, de gentium iure*. Mox, si recte modo defendi illud *inciderunt*, postulatur ut *clamant* legatur, pro vulg. *clamabunt*. — Tum, *propria* equidem non excludam, multis exemplis firmatum, ut Tusc. V. § 19.

57. *illud tamen oratori tribuam et dabo*. In his offendit iam, etiam in verborum cumulatione, qua delectari solet Cicero, ut ita *tribuere* et *dare* coniungantur, quod nusquam deprehenditur. Praeterea, quum *tribuere* ita dicatur, ut idem sit, quod *concedere*, magis aequum est ut intelligamus id ipsum, de quo agitur, a philosophis tribui oratori, quam a Crasso, quum praesertim hic alia concessurus esset philosophis. Quae necessaria sententia restituetur, si corrigetur, *illud tamen ut oratori tribuant postulabo*.

cogebat enim [*me*] *M. Marcellus*. Quid? an Crassum cogebat ut cum philosophis dissereret? Ridiculum. Sed *cogebat*, id est, congregabat philosophos cum Crasso. Itaque delendum *me*.

sumendi otii causa disserant, ~~quum~~ cum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet. Haec ego cum ipsis philosophis tum Athenis disserebam: cogebat enim [me] M. Marcellus hic noster, qui [nunc aedilis curulis est, &] profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset; ac iam tum erat adolescen-
58 tulus his studiis mirifice deditus. Iam vero de legibus [tuendis,] de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de iure civium generatim in ordines aetatesque descripto, dicant vel Graeci, si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius, quam Hyperidem aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo et perpolitos, vel nostri decemviros, qui XII tabulas perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere et Servio Galbae et socero tuo, C. Laelio, quos constat dicendi gloria praestitisse:
59 nec enim negabo esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt: sed oratorem plenum atque per-

---

[*nunc aedilis curulis est, et.*] Summo iure haec verba Cobetus insititia esse putat.

58. *de legibus* [*tuendis*] Neque hoc Participium aptum, neque alterum e v. l. *instituendis*. Multo melius mox, § 60, *de legibus iubendis*, aut § 86, *de scribendis legibus*. Sed totum interpolatum videtur, et satis est, ut in reliquis, *de legibus*.

59. *oratorem plenum atque perfectum esse eum*. Non intercedo, quo minus pro interpolato habeatur verbum *dicam*, quod in uno alteroque Codice subiiciuntur, quae apposui (*esse eum dicam*): sed tamen falso excogitatum est illud *dicam* ex praegresso *negabo* intelligendum esse, quaeque exempla eius rationis apud Ellendtium colliguntur, sunt omnia diversissimi generis, quod nunc nimis longum est explicare. Contra, animadvertere oportebat Editores ieiunum esse, si Crassus *dicat* oratorem perfectum esse eum, qui —: et sana sententia sic vindicabitur huic loco (discedo nunc ab illa suspicione de parenthesi, quam olim prodidi), si restituetur coniunctio amissa, hoc modo, *sed oratorem plenum atque perfectum esse, nisi eum*, quae ipsa pendent a *negabo*, aut potius a *nego*, quod illi Futuro substituendum mihi videtur.

fectum esse eum [dicam], qui de omnibus possit varie copioseque dicere.

Etenim saepe in iis causis, quas omnes proprias esse 14
oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque assumendum. Quaero enim, num possit aut contra imperatorem, aut 60
pro imperatore dici, sine rei militaris, aut saepe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia? num apud populum de legibus iubendis aut vetandis? num in senatu de omni rei publicae genere [dici], sine summa rerum civilium cognitione et prudentia? num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam exstinguendos, (quod unum in oratore dominatur), sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur? Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus; 61
equidem non dubito quod sentio dicere: physica ista ipsa, et mathematica, et quae paulo ante ceterarum artium propria posuisti, scientiae sunt eorum, qui illa profitentur, illustrare autem oratione si quis istas

---

Eodem modo Futurum improbandum erat modo, § 52 (*fatebor*) et § 256 (*repugnabo*) et II. § 32.

atque assumendum. Praetuli hoc prae altero *atque sumendum*, quoniam *assumi* ea dicuntur, quae aliunde petita nostris adiungimus: conf. modo § 54 et infra § 170 en 217.

60. *sine rei militaris.* Paucorum librorum exemplo omisi, quod his addebatur, *usu.* Apparet enim *usum rei militaris* neque *communicari* cum alio, neque *cognosci* posse, ut in his postulatur mox § 65 sq.: praeterea vix cogitari posse *usum rei militaris*, sed potius belli, aut castrorum; contra, recte dici *rei mil. scientiam*, sicut Leg. Manil. § 28.

de omni rei publicae genere [*dici*]. Sequor Ernesti iudicium, istud *dici*, quod putide iteratur, abiicientis.

ad sensus animorum atque motus. Ita infra, § 222, *sensus hominum* appellantur; et II. § 189 permutantur inter se *sensus* et *motus*.

61. *non dubito quod sentio dicere.* Ne ipse quidem dubitavi alteram lectionem, *dubitabo*, deserere: neque sententia patitur Futurum in hac loquendi forma, ubi statim pronuntiatur id, quod quis se non dubitare dicere dicit: conf. II. § 189. Extra macrologiam

ipsas artes velit, ad oratoris ei confugiendum est facul-
62 tatem. Neque enim, si Philonem illum [architectum], qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est architecti potius artificio disertum, quam oratoris fuisse. Nec, si huic [M. Antonio] pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, quum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades, is, quo nos medico amicoque usi sumus, [tum, quum eloquentia vincebat ceteros medicos,] in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae.
63 Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes: illud verius, neque quemquam

---

dicere licebat, *dicam quod sentio*, aut *non reticebo*. De formula *non dubito* alia monui Scholic. Hypomn. V. p. 12.

scientiae sunt eorum. Non intercedam, si cui videatur Genitivum *scientiae* interpolatum esse: melius certe infra, § 65, *quorum eae sunt artes*.

62. *Philonem illum* [*architectum*]. Nemo admonitus, spero, contendet vocabulum, quod inclusi h. l., vere Ciceronis esse.

si huic [*M. Antonio*] *pro Hermodoro fuisset dicendum*. Difficile est divinare quid Hermodorus ad Antonium pertinuerit, aut ad quemquam de iis qui huic sermoni intererant, aut quo consilio ex omnibus Antonium posuisset Crassus. Scilicet, interpolatum est *M. Antonio*, et *huic* intelligendum est *oratori*. Apte et necessario contra mox, § 66, *huic Sulpicio* ponitur: aliis locis Nomen proprium post Pron. *hic* interpolatum est, ut *Scaevolae* § 242: id quod suo quodque loco notabimus. — Hermodorum h. l. intelligendum esse Salaminium, cuius opera Romae facta commemoravit Mullerus (Handbuch der Archaeologie § 180), nihil dubitantes affirmare solent Editores. Concederem, si prius mihi demonstratum esset a Romanis navalia alicubi condita fuisse, tum, qui huius modi opus perficiendum conduxisset, ut eius in populo rationes redderet, Romae quoque moris fuisse. Nunc, quemadmodum modo nobilem σκευοθήκην Athenis commemoravit, ita nunc haud minus Athenarum νεώρια intelligenda esse arbitror.

[*quum eloquentia vincebat ceteros medicos*]. Duabus de causis haec mihi suspecta sunt. Primum dicuntur, tamquam si *ceteri medici* aliquando contendissent dicendo cum Asclepiade; id quod absurdum est: quique hanc annotationem de suo addidit, nihil aliud voluisse videtur, quam *qui* (non *quum*) *vincebat*, i. e. superabat ceteros dicendi facultate. Tum *eloquentiae* appellatio, ut bene se habet in clausula huius sententiae, ita in primis alienissima est ab illa, quae fingitur, contentione inter Asclepiadem et ceteros medicos.

63. *atque illud est probabilius* —.

in eo disertum esse posse quod nesciat, neque, si [id] optime sciat, ignarusque sit faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse [de quo sciat] dicere.

† Quamobrem, si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita posui, *quacumque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet: tamen illud tenebo, si, quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt orator ignoret, tantumque ea teneat quae sunt in disceptationibus atque in usu forensi, tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum,

---

Statim initio huius loci offendit primum coniunctio *atque*, quum inchoet eam sententiam, qua quodammodo, Socrate auctore, evertitur id, quod modo affirmatum erat: tum, prius *illud*, altero loco recte positum, hinc alienissimum est. Porro, non puto Comparativum *probabilius* defendi posse, nisi sequente *quam* cum altero Comparativo. Quapropter coniicio corrigendum esse *Scilicet probabilius est, quam verius. Probabile* et *verum* ita iunguntur infra, § 240. Tum, in alterius partis initio corrigendum censeo *illud verum*. In reliquis demonstravi olim, quum edi soleret *si id optime sciat, id* abiiciendum esse, minimeque (ut interpretabatur Goerenzius ad Fin. p. 118, sq.) *id* referri posse ad *quod nesciat*. Porro, iteratum *si*, post *ignarusque*, delendum esse, quod iteretur *si* in iis conditionibus, quarum posterior necteretur quidem cum priore, sed ordine, saepe etiam quae tempore tamen posterior esset, quod exemplo indicavi in Bibl. Crit. N. III. p. 68: conf. Sest. § 45. Fin. II. § 112. Hoc autem loco posterior conditio et per se spectatur, et necessario ita cum priore iungitur, ut simul utraque cogitanda, aut potius pro una habenda sit. Idem secuti sunt novissimi Editores. — In fine quod editur *de quo sciat*, aut, ut in aliis libris est, *quod sciat*, puto esse emblema.

64. *oratoris vim.* Hoc dicit: quum definienda est ipsius vocabuli, *oratoris*, vis: sicut supra § 53.

65. *tamen illud tenebo.* Post concessionem, quae modo absolvebatur, requiri puto copulam, quae propter syllabam finalem praeced. vocabuli perire potuit, ut legatur *et tamen.*

quae sunt in disceptationibus. Vulg. *quae sint:* sed quum haec tantum ad explicandum dicantur, quemadmodum modo *quae sita sunt*, alteram lectionem praetuli.

multo oratorem melius — esse dicturum. In his Kayserus inclusit *oratorem*, cuius vocabuli iteratio in hac sententia sane molesta est. Sed videndum utrum hic, an supra (*orator ignoret*) tollendum sit, quae postrema ratio

cum
quum cognoverit ab iis, qui tenent, quae sint in quaque re, multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum
66 eae sunt artes, esse dicturum. Ita, si de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quaeret a C. Mario, affini nostro, et, cum quum acceperit, ita pronuntiabit, ut [ipsi C. Mario] paene hic melius, quam ipse, illa scire videatur. Sin de iure civili; tecum communicabit, teque hominem prudentissimum et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit.
67 Sin quae res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit; forsitan, si ei sit visum, (etsi haec quidem nosse debet orator), cum Sex. Pompeio, erudito homine [in philosophia], communicabit: hoc profecto efficiet, ut, quamcumque rem a quoquo cognoverit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse,
68 unde cognorit. Sed si me audiet, quoniam philosophia in tres partes est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores;

---

potior mihi videretur: cum emphasi *orator* opponendus erat artium hominibus.

66. *ut* [*ipsi C. Mario*]. Interpolationem arguit cod. Vindob., in quo ea, quae inclusimus, plane omittuntur. Non tantum enim Nom. proprii iteratio putida est, sed aliquanto nimium est, si dicatur Mario ipsi Sulpicium videri melius scire, quam ipsum.

teque hominem prudentissimum. Ita melius editum, quam *atque h. pr.*, quoniam hoc ita accipiendum, tamquam si de quovis alio homine prudentissimo ageretur.

67. *de natura.* Absolute positum *natura* ad physicam referri solet, ut mox, § 68, *naturae obscuritas* dicitur, et § 81 en 219 *rerum natura.* H. l., sicut supra, § 60, postulatur *de naturis* (hominum), sicut § 53: contra § 17 *motus hominum generi* [*rerum*] *natura* tribuere dicebatur.

erudito homine [*in philosophia*]. Rationi et Latini sermonis auctoritati adversatur, si dicitur *eruditus in aliqua arte:* contra constanter simplex Ablativus cum illo Participio iungitur. Sed ne hoc quidem probandum, *philosophia eruditus;* hoc concederetur, *studiis philosophiae er.* Verum totum hoc, *in phil.*, emblema est, profectum a sedulo interprete, qui non meminisset, ut *doctissimorum*, ita *eruditissimorum hominum* (§ 5) appellatione in primis designari philosophos.

hoc profecto efficiet. Post illa, *forsitan communicarit*, non probandum sequentia ἀσυνδέτως subiici, corrigendumque suspicor *sed hoc profecto.*

68. *idque largiamur.* Praetuli hoc,

duo illa relinquamus, idque largiamur inertiae nostrae: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est 69
oratori perdiscendus: cetera, si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo erunt ad eum delata et ei tradita.

Etenim, si constat inter doctos hominem ignarum 16
astrologiae ornatissimis atque optimis versibus Aratum de coelo stellisque dixisse; si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum Nicandrum Colophonium [poetica quadam facultate, non rustica] scripsisse praeclare; quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstric- 70
tior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par, in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat atque definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem

---

prae altera lectione *atque l.*, quoniam *largiendi* verbum postulare videtur obiectum, neque hoc intelligendum in *duobus illis*, sed in eo, quod *illa duo relinquuntur*.

69. *ad eum erunt delata et ei tradita.* Non assentior Ernesto, postremum pro glossemate habenti: aliud est rem, ut causam, *deferre* ad aliquem, aliud *tradere*, i. e. explicare et docere. Nec tamen reticebo clausulam hanc sententiae mihi displicere.

Aratum — Nicandrum Colophonium. Haec nomina in eum locum inculcata sunt, ut vix a suspicione alienus sim ea annotatori deberi: alio certe loco eiusmodi nomina ponuntur supra § 49 et 62. Fortasse malet quis in ordinem cogere, ut singula ante *hominem* ponantur.

[*poetic aquadam facultate, non rustica*]. Nullo modo in his ferendum est ut dicatur *rustica facultas*, pro *rerum rusticarum scientia*, (sicut neque *militaris*, neque *urbana facultas*:) tum ne *poetica* quidem *facultas* bene Latinum est, (ut neque *historica*, neque *imperatoria facultas*) quoniam *facultas* necessario vel subiecti Genitivum (ut *oratoris facultas*, infra, § 142), vel obiecti (ut *rerum*, et *discendi* et, sicut mox, § 70, *verborum* et *ornandi*, et § 76 *ornatissimae orationis*) postulat. Mirum praeterea quod *poetica* QUAEDAM *facultas* appellatur, quod Pronomen ab utroque nomine alienissimum est. Totum hoc insititium esse contendo.

70. *atque definiat.* Suscepi e Vindob. Vulgo, *aut definiat.*

illa facultate et copia vagari qua velit. Nam quod illud, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis, dixerim oratorem perfectum esse [debere], numquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer: sed ut solebat C. Lucilius saepe dicere, (homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebam, familiaris, sed tamen et doctus, et perurbanus) sic sentio; neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero homine dignae, perpolitus: quibus ipsis si in dicendo non utimur, tamen apparet atque exstat utrum simus earum rudes, an didicerimus: ut qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus didicerintne palaestram, an nesciant: et qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est:

71. *nam quod illud, Scaevola, negasti* —. Sine dubitatione suscepi verissimam Madvigii correctionem (apud Henrichsenium). Libri, *nam illud quare Sc.*, alii *namque*, unde nunc factum est *nam quod*, deletumque *quare*, ab eo excogitatum, qui sine eo falsam lectionem, *nam illud*, explicari posse non putaret: ipsum quoque illud, *quare negasti*, satis ridicule Crasso tribuitur. Igitur, sublato signo interrogandi, statim *nunquam* inchoat apodosin.

perfectum esse [*debere*]. Fidenter affirmo illud *debere* stulte interpolatum esse, quemadmodum supra, § 43, sustuli *posse* in eadem sententia: sic demum Crassus respondet numquam se hoc dicturum esse, si —.

72. *ut solebat C. Lucilius saepe dicere.* Vix verisimile est Lucilium aliquod iudicium de perfecto oratore pronuntiavisse, potiusque credibile est eum summa omnia in poeta postulavisse; quamquam nondum amplector eorum sententiam, qui hinc excidisse suspicantur *de poetis.* Ernesto displicebat *saepe solebat* ita iungi, multis tamen exemplis defendendum, ut ad Div. VI. 1. 6, *interdum solere*, in quo ipso quoque Ernestus offendebat. — In sequentibus ne nunc quidem repudio id, quod ab Ernesto commendatum probabam, *quam volebam:* et alterum, *quam volebat*, vix ferendam in Crasso arrogantiam, aut superbiam ostenderet.

quae sunt libero homine dignae. Nihil erat cur *homine*, in multis libris omissum, excluderem: sed in utramque partem exempla excitantur apud Beierum ad Offic. I. § 151.

etsi in dicendo non utimur. Revocavi *etsi* e libris, pro vulg. *si*, quae Coniunctio indicaret oratorem interdum tamen in dicendo illis artibus uti, con-

sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, contionum, senatus, etiamsi proprie ceterae non adhibentur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.

Tum ridens Scaevola, Non luctabor, inquit, tecum, 17
Crasse, amplius: id enim ipsum, quod contra me lo- 74
cutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi, quae ego vellem non esse oratoris, concederes, et ea ipsa, nescio quo modo, rursus detorqueres, atque oratori propria traderes. Quae, quum ego praetor Rhodum 75
venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae, Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem (ut solebat) [Philosophiam] atque contempsit, multaque non tam graviter dixit, quam facete: tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras oratoris esse diceres; quas, ego, si quis 76

---

tra argumentationis consilium: omnino non uti iis oratorem dicit Crassus, sed tamen apparere —. Sic mox, § 73, *etsi nihil utuntur.*

73. *ut qui pila ludunt.* Ubi exemplum infertur, quo id illustratur quod ante dictum erat, recte sine copula sententiam inchoat Partic. *ut*, sicuti Offic. I. § 59 multisque aliis locis. Verum h. l., quae similitudo instituitur, refertur ad explicandum id quod subiicitur, sed ita, ut cum superiore argumentatione cohaereat. Propterea corrigendum mihi videtur *utque qui.* — Usus sum eo corrigendi genere et alibi, et in Legg. II. § 5, p. 466, utendumque in Bruto § 192 en 287.

etiam si — non adhibentur. Postulante sententia revocavi Indicativum: vulg. *adhibeantur*, tamquam si aliquando tamen id fieret.

75. *quae, quum ego — contulissem.* Ex aliis libris edi solebat *haec quum ego.* Nullum est in his anacoluthon: sed, qui non intelligeret *quae* suspensum esse ab *irrisit*, interpolavit *philosophiam*, quae ipsa nihil huc pertinebat. *Quae* refertur ad illud placitum, quod Crassus supra § 46 exponit, *repelli oratorem* cet. Nihil de hoc loco interpretando reperias apud Lyndenum de Panaetio p. 51, qui, ut obtineret hunc Scaevolam auditorem fuisse Panaetii, uti potuerat illo ipso loco § 46 (*Panaetii illius tui.*)

ministras. Quod alibi quoque servari solet, ut Fin. II. § 37, nolui Nonii auctoritate mutare in *ministratrices.*

76. *si quis unus complexus fuerit omnes.* Suscepi hoc ex var. lect., prae vulg. *si quis sit unus compl. omnes.* Manifesto in hac Scaevolae sententia postulatur Futurum, ut mox *adiunxerit*, et *fore*, et, ut § 79, *si accesserint.*

unus complexus fuerit omnes, idemque si ad eas facultatem istam ornatissimae orationis adiunxerit, non possum dicere eum non egregium quemdam hominem atque admirandum fore, sed is, si quis esset, aut si etiam umquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto, qui, et meo iudicio et omnium, vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Ve-
77 rum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, quin scias, neque eam tamen scientiam, quam adiungis oratori, complexus es; videamus, ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa
78 concedat. Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea, sed de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus, qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum venimus; quos in foro, quos in ambitione, quos in re publica, quos in amicorum negotiis res ipsa ante confecit, quam posse-
79 mus aliquid de rebus tantis suspicari? Quod si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingeni-

---

77. *videamus*. Corrigendum, ut suspicabatur Ellendtius, *vide*.

quam res — concedat. Prae altera lectione, *concedit*, Coniunctivus servandus est, quoniam postremum hoc, quod dicitur, ad ipsam sententiae absolutionem pertinet, quae suspensa est ab illis *videamus ne*, quae formam modestae affirmationis afferunt, haud dissimilem a sollemni *haud scio an*. Neque leniendae sententiae causa h. l. ponitur Coniunctivus, sed syntaxi necessario postulante. Contra, *haud scio an* sic nonnumquam reliquis interponitur, ut verbum non attingat, ut non dubitari oporteret, quin Offic. I. § 72 recte Facciolatus vindicaverit *adhibenda est*, pro vulg. *sit*. Sed Flacc. § 63, *anteponendam dicam* (al. *dico*) ideo rectum est, quoniam istic temperatio opportuna est affirmationis aliquantisper audacioris.

non maxime defuit. Suspicor, *maxime* corruptam esse lectionem.

81. *quamvis illi —*. Mutanda mihi videbatur interpunctio. Inchoat concessionem, statimque (*nitidum quoddam*) subiicit eius laudis correctionem. Ut vulgo illa distinguuntur, exsistit hoc, *aliud esse orationis genus, quamvis ornate loquantur*, satis ineptum.

et palaestrae magis et otii. Duo erant corrigenda. Primum, e Voss. & Vindob. suscepi *et*, pro vulg. *sed*, quoniam haec non opponuntur praecedentibus, sed eadem notatio continuatur, et *nitidum* QUODDAM *genus* non sine reprehensione ab Antonio dicitur. Tum, revocavi *otii*, quum vulgo edatur *olei*. Nihil ad philosophos, qui in gymnasiis disputabant, *oleum* pertinet: sed *in angulis consumendi otii causa disserebant*, § 57: indeque illud genus dicendi *gymnasiis et palaestrae dicatum* dicitur Orat. § 42: praeterea *turba et forum* ridicule *oleo*, sed aptissime *otio* opponuntur.

um (ut tu putas) non maxime defuit, doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit, quid censes, si ad alicuius ingenium vel maius illa, quae ego non attigi, accesserint? qualem illum, et quantum oratorem futurum?

Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, 18
quae dicis; nec dubito, quin multo locupletior in dicendo 80
futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit. Sed primum id 81
difficile est factu, praesertim in hac nostra vita nostrisque occupationibus: deinde illud etiam verendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione et consuetudine dicendi populari et forensi: aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paulo ante dixisti. Quamvis illi ornate et graviter aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur, nitidum quoddam genus est verborum et laetum; et palaestrae magis et otii, quam huius civilis turbae ac fori. Namque egomet, qui sero ac leviter Graecas li- 82

---

82. *namque egomet, qui sero* —. Quo melius quae in hac sententia dicuntur necterentur, excogitaveram hoc ita obtineri posse, si corrigeretur, *compluresque tum ibi dies — commoratus, quum quotidie* —. Nunc agnosco, Antonium, quum, ut illam Athenis commorandi opportunitatem explicaret, digressus esset ab instituta sententia, eodem redire et sententiam instaurare per Coni. *sed quum quotidie*. Nihil enim aliud ei propositum erat, quam ut explicaret, se quoque interfuisse doctissimorum hominum disputationibus de illa controversia, quam modo Crassus et Scaevola attigissent. Haec autem interpretandi ratio confirmari mihi videtur iis, quae prudenter observat Madvigius ad Fin. p. 40.

qui — attigissem. Apparet Relativum significare *quamquam*. Neque hoc intellexit Matthiae De Anacoluth. p. 13 not. 8, qui adeo hoc alienissimo exemplo adducebatur, ut Coniunctivum tueretur in hoc loco Offic. I. § 28, *discendi enim studio impediti, quos tueri debent, deserunt*: vitiosum est *debeant*, verius fortasse *debebant*.

quum hoc nescio quo modo —. Sprevi alteram lectionem, *quumque hoc*, in quo quum aliorum librorum, tum Voss. secutus sum auctoritatem. Non oportebat *quum* sine copula in eadem constructione iteratum offensioni esse, cuius de multis haec exempla sunt, II. § 272, 283, 287, ubi omissa copula legendum *amici quum*: tum Tusc. III. § 77, vindicavitque Gronovius in Livio XXVIII. 40. 2.

de officio [*et ratione*] *oratoris*. Etiamsi nihil in Codd. turbatum esset, tamen contenderem ista, *et ratione*, errori librarii deberi. Quid sit *officium oratoris*, perspicuum est: et intelligerem praeterea *vim oratoris*, aut *munus*:

teras attigissem, tamen, quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus; sed, quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quum hoc, nescio quo modo, apud eos increbruisset, me in causis maioribus, sicuti te, solere versari; pro se quisque, quae poterat, de officio [et ratione] oratoris disputa-
83 bat. Horum alii, sicuti iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata, oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem: atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quandam esse virtutem; et qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse inter se aequales et pares; ita qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque a nostris
84 sensibus abhorrebat. Charmadas vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur; non quo aperiret sententiam suam, (hic enim mos erat patrius Academiae, ad-

---

sed *ratio oratoris* nihili est. Quam proni fuerint librarii ad inculcandum illud Substantivum, exemplo sit hoc in § 83, ubi, pro *scientia*, unus liber habet *ratione*, quamquam istic Stoicorum ἐπιστήμη intelligenda erat. Iterum delebimus infra III. § 195.

83. *a nostris sensibus abhorrebat. Sensus* plural. ita appellat § 60 quoque, et § 222. Ita § 219, *abhorrere ab hominum moribus.*

84. *qui rhetores nominarentur, et qui dicendi praecepta traderent.* Sed hi iidem erant, neque ita distinguendi. Corrigo, *nominarentur, quod dic. pr. trad.*

85. *diserti homines* [*Athenienses*]. Tollendum hoc postremum putabam, nec vereor, ne quis ideo defendat, quod Mnesarchus et Charmadas peregrini fuerint. *excitabatur homo promptus et omni abundans doctrina.* Non dubitavi meam correctionem suscipere, spreta omnium, ut videtur, librorum lectione hac, *homo promptus ab homine abundanti doctrina*, in qua hoc vitiosum, quod *doctrina abundans* dicitur, tum, quod inscite *homo* dicitur *ab homine* excitari. Sane *homo promptus* nemo est praeter ipsum Charmadam, qui, quum nullam hucusque aperuisset sententiam suam (§ 84), nunc Menedemi disputatione *excitabatur*, ut explicaret, quid ipse sentiret. *Abundans omni doctrina* recte dici, haec demonstrant exempla, Fin. I. § 13, *homo omni doctrina eruditus.* III. § 37, *viri omni virtute praestantes.* Brut. § 205, *praestans omni doctrina.* § 250, *instructus omni copia.*

versari semper omnibus in disputando), sed cum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.

Disputabant contra diserti homines, [Athenienses,] 18
et in re publica causisque versati, in quîs erat etiam 85
is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus; qui quum diceret esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum, excitabatur homo promptus et omni abundans doctrina, et quadam incredibili varietate rerum et copia: omnes enim partes illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophia dicebat, neque ea, quae statuerentur in re publica de diis immortalibus, de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse, aut bene moratae esse non possent, usquam in eorum inveniri libellis: quod si tantam vim rerum maximarum arte 86
sua [Rhetorici illi doctores] complecterentur, quaere-

---

dicebat. Revocavi hanc lectionem, quum vulgo edi soleat *docebat*, quod ab h. l. alienum esse docere nunc non lubet.

usquam in eorum inveniri libellis. Explicare conati sunt viri docti, quorsum illud Pron. *eorum* esset referendum, quum nullos Charmadas commemorasset: igitur ex anteced. *prudentiae* intelligendos esse dixerunt vel *rhetores*, vel *prudentes*. Praeterquam quod illa interpretatio in hac syntaxi nimia audacia peccat, non satis, qui ea utuntur, attendunt, Menedemum modo illam ipsam prudentiam oratoribus concessisse, non vindicavisse rhetoribus. Accedit, quod nulla causa erat cur nunc perspicua designatio omitteretur, substituto Pronomine, contra, in iis, quae statim subiiciuntur, diligenter appellarentur *rhetorici illi magistri*. Sed haec ipsa appellatio, quum eam conferrem cum superioribus, § 84, (*qui rhetores nominarentur*) dubitationem de vera lectione excitavit: quumque ipsum Adiectivum *rhetoricus* improprie iungi existimarem cum *magistri* nomine, (quamquam recte dicantur *rhetorica praecepta*, et *rhetorici libelli*) nihil huic vitio tollendo aptius videtur, quam totum locum, eiecto emblemate, sic constituere: — *usquam in rhetorum inveniri libellis, qui si tantam vim rerum maximarum arte sua complecterentur* —.

86. [*in eorum libris*] Putide haec inculcata sunt post superiora, *eorum libri*.

de civitatibus constituendis. Hoc potius duxi, quam quod alii libri habent, *instituendis*: cf. § 33 et 36. Eadem

bat, cur de prooemiis et epilogis et de eiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri, de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de aequitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus litera [in
87 eorum libris] nulla inveniretur. Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modo eos illius expertes esse prudentiae, quam sibi asciscerent, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse: caput enim esse [arbitrabatur] oratoris, ut et ipse iis, apud quos ageret, talis, qualem esse se optaret, videretur, (id fieri vitae dignitate, de qua nihil [Rhetorici] isti [doctores] in praeceptis suis reliquissent) et ut eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator; quod idem fieri nullo modo posse, nisi cognosset is, qui diceret, quot modis hominum mentes, et quibus rebus, et quo genere orationis in quamque partem moverentur; haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita, quae isti [Rhetores] ne primoribus quidem labris attigissent.
88 Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis co-

---

verba in libris inter se permutari videbimus II. § 99.

87. [*arbitrabatur*] Neque syntaxis postulat hoc interponi, et verbum ipsum minus convenit Charmadae ingenio.

Qualem esse se optaret. Sumsi e Vindob. Vulgo *qualem se esse opt.* Bene Kayserus iam repudiavit vitiosam lectionem, *qualem se ipse optaret*, in qua *ipse* vitio iteratur, et negligitur oppositio, *videri*, *esse*. Uberius hoc ipsum persequitur Antonius II. § 182, sqq.

[*rhetorici*] *isti* [*doctores*]. Iterum eadem fere verba abiicienda sunt, h. l. etiam ridicule intrusa post *eos expertes esse*. Ut hic satis habuit *istos* appellare, ita § 89. Hinc mox quoque, in fine huius §, *rhetores* abiiciendum est.

ut eorum — sic afficerentur animi. Alteram lectionem, *uti ei — sic afficerentur animis*, quam Ellendtius defendit, quare deseruerim, explicandum est. Recte sane dicitur *sic affectum esse animo*, ubi illud Adiectivi locum tenet: sed, ut *afficere aliquem animo* Latinum non est, ita neque *affici animo*, ubi verbum transitive accipiendum. Quae contra afferuntur exempla, omnia sunt verborum absolute positorum. Quum semel vetus scriptura *utei* (i. e. *uti*) divulsa esset, ut fieret *ut ei*, consequens erat ut *eorum* omitteretur, et ex *animi* fieret *animis*.

88. *dicebat.* Ut supra, ita hoc quoque loco alienum videtur a sententia, ex altera lectione, *docebat*, quum praesertim praecedat, Menedemum non *argumentis*, sed *exemplis* usum esse: inde

nabatur refellere: memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis praeclare scripta pronuntians dicebat, illum [in animis vel iudicum vel populi in omnem partem dicendo permovendis] non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur, quae negaret ille sine philosophia quemquam nosse posse.

Huic respondebat, non se negare Demosthenem sum- 20
mam prudentiam summamque vim habuisse dicendi: 89
sed, sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset, non quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse quaerendum. Saepe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut 90
omnino disputaret, nullam artem esse dicendi: idque quum argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut et blandiri et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus, et rem gestam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, [et id] quod contra diceretur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid et conqueri; quibus in rebus omnis oratoris versaretur facultas: et quod consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et

---

mox, § 90, recte *argumentis docere*.

[*in animis — permovendis*]. Vitiata syntaxis, ut dicatur quis *non ignarus in animis permovendis*: ne hoc quidem defendi potest, ut illa explicentur sic, *quum animos permoveret*. Totum inititium mihi videtur, et supervacaneum et ineptum, siquidem, quod dicendum erat, sic, ut decet, breviter subiicitur, *quibus ea rebus consequeretur, quae* —.

89. *huic respondebat*. Nempe Charmadas. Sed aegre careo subiecti vocabulo, et suspicor, *huic* corruptum esse ex *cui hic*.

hoc — potuisset. I. e. perfectam illam eloquentiam assecutus esset. *Posse* ita absolute de facultate dicitur.

Platonis studiosus audiendi. Haec de Demosthene traditio quam incerta fide niteretur, explicui in Bibl. Crit. N. V. p. 188, sqq.

90. *docuerat*. Sine ulla controversia vitio ponitur h. l. Plusquamperf. Indicativi mutandum in *docebat*, ut modo erat *respondebat*, mox *nitebatur*, et *dicebat*. *Quum* ita iungitur cum illo Plusqperf., si id quod subiicitur statim post factum esse dicitur, et haec demum primaria sententia est, ut in his, *haec quum dixerat, abiit*. Praeterea, id quod subiicitur illi *docuerat* nimis longo intervallo remotum est.

omnis oratoris versaretur facultas. Ex Vindob. suscepi *oratoris*, quo Singulari utendum erat in generali definitione: plurium *oratorum* nulla erat *facultas*.

eloquendi celeritatem incitaret, tum etiam exemplorum
91 copia nitebatur. Nam primum, quasi dedita opera, neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace, nescio quo, et Tisia, quos artis illius inventores et principes fuisse constaret: eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent nec omnino scire curassent, innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam (sive ille irridens, sive quod ita putaret atque ita audisset) me in illo numero, qui illa non didicissem, et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat: quorum ego alterum illi facile assentiebar, nihil me didicisse; in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ip-
92 sum errare arbitrabar. Artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus, et numquam fallentibus rebus contineretur: haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta, quum et dicerentur ab iis, qui ea [omnia] non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui
93 temporis aut falsa, aut certe obscura opinio. Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi qui

---

91. *in quibus — in illo numero.* Haec viris doctis tautologa visa sunt: nec tamen accipienda est Henrichsenii interpretatio, quasi post plura interiecta idem iterum inculcare licuisset. Atqui, *in quibus* est i. q. *quae quum disputabat*, sicut eodem modo loquitur § 93 *in quibus* [*Charmadas*] *solebat* —.

sive ille irridens. Alienissimum hinc est *irridere*, quod cum contemtu, aut cum acerbitate fieri solet. Aptius mox Antonius dicit *me illudi arbitrabar.* Corrigatur *ridens.*

92. *qui* [*omnia*] *ea non plane tenerent.* Secundum unum librum *omnia* inclusi, putide iteratum e superioribus.

93. *neque artificium ullum esse dicendi.* Spernendum, quod Voss. affert, *illud*, pro *ullum.* Conf. § 107 et 108.

[*in philosophia*]. Putide interposita: *doctissimi homines* ipsi intelliguntur philosophi. Sed *dicerentur* quoque mutandum censeo in *docerentur.*

[*Charmadas*]. Prorsus inutile, et fere ineptum est h. l. Nomen proprium.

me sibi perfacilem — esse visum. Nihil magnopere affertur ex var. lect., quo hic locus tolerabilem sententiam recuperet. Quod ad syntaxin, abest verbum, unde pendeat postremum *esse visum.* Sed, quum totum institutum

illa, quae a doctissimis hominibus [in philosophia] dicerentur, cognosset, aut callide, aut copiose dicere. In quibus dicere [Charmadas] solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans, me sibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum.

Itaque ego, hac eadem opinione adductus, scripsi 21
etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et 94
invito excidit, et pervenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem; quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere, eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad discendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro, sit tamen in re positum atque natura. Ego enim, 95
quantum auguror coniectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi maiore ac maturiore, et labore atque industria superiore, quum se

---

videatur, ut de Crasso quid sensisset Charmadas explicaretur, nihil erat cur se quoque Antonius in ea mentione comprehenderet, quem modo dixerat ab illo in bonis oratoribus tum numeratum esse. Quaero iterum, quid sit *facilis in audiendo*, et quo genere oppositionis *audire* et *disputare* inter se distinguantur. Itaque ex aliis libris suscepto *dicendo*, pro *audiendo*, (in quo postremo sane non enitere potuit Crassi *ingenium*) audaciore fortasse coniectura locum sic constituam, *quem sibi perfacilem in dicendo, et perpugnacem in disputando esse visum*; quo modo utraque laus in Crasso praedicatur, et dicendi, et disserendi. *Facilis* isto sensu ponitur Brut. § 180.

94. *qui ante*. Aptius hoc iudico, quam ex altera lectione *quod ante*.

95. *ego enim*. Intempestiva h. l. Coni. *enim*, quum haec nullo modo rationem explicant eius, quod praecesserat. Ex uno libro affertur *autem*: ego malim, *tamen*.

[*ac maturiore*]. Non intelligo, quid ad ista, quae enumerantur, ulla *maturitas* pertineat. Ortum puto illud Adiectivum fortasse e prava lectione praecedentis *maiore*. Nam ne aetas quidem maturior intelligi poterit, quoniam post illa demum *existere* dicitur *talis orator*.

ad audiendum, legendum scribendumque dederit, exsistat talis orator, qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit; qui tamen mea sententia aut hic est iam Crassus, aut, si quis pari fuerit ingenio, pluraque, quam hic, et audierit, et lectitarit, et scripserit, paulum huic aliquid poterit addere.

96 Hoc loco Sulpicius, Insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti utrique nostrum cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus iucundum satis fore videbatur, si, quum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus: ut vero penitus in eam ipsam totius huius vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem paene intimam veniretis, vix optandum nobis vide-

97 batur. Ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrum, Crassi vero etiam amore, quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo numquam elicere potui de via ac ratione dicendi, quum et per memetipsum egissem, et per Drusum saepe tentassem: quo in genere, tu, Antoni, (vere loquar) numquam mihi percunctanti aut quaerenti aliquid defuisti, et persaepe me, quae soleres in dicendo obser-

98 vare, docuisti. Nunc, quoniam uterque vestrum patefecit ipse earum rerum aditum quas quaerimus, et quoniam princeps Crassus eius sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quae sentitis de

---

Mox, et *Crassus* abiiciam, et, pro *huic*, corrigam *huc*.

96. *veniretis*. Spernendum fuit alterum, *perveniretis*. A *perveniendo* enim destinatum consilium seiungere non licet: at Crassus fortuito in illum sermonem inciderat, § 111. Contra, § 131 et 135, recte *pervenire* ponitur.

97. *quae soleres in dicendo observare*. Ut aliis locis, ita hic simplex Verbum composito erit substituendum, praestabitque *servare*.

98. *patefecit ipse earum rerum aditum*. In Pronominibus illis librarii alii alio modo errarunt: sed, quod edi solet, *ipsarum rerum*, manifesto ortum ex eo, quod suscepimus, *ipse earum rerum*. *Ipse*, i. e. sua sponte: neque audiendi sunt viri docti, qui *ipse* interpretantur, ut si esset *is ipse*: sed *earum*

omni genere dicendi, subtiliter persequamini: quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palaestrae et Tusculano tuo gratiam, et longe Academiae illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.

Tum ille, Imo vero, inquit, Sulpici, rogemus An- 22
tonium, qui et potest facere id, quod requiris, et con- 99
suevit, ut te audio dicere. Nam me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis refugisse, et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, ut tute paulo ante dixisti: quod ego non supèrbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, praesertim quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum aptumque cognossem; sed, mehercule, istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur, inscientia. Tum Cotta, Quoniam id, quod difficillimum 100
nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assecuti sumus, de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quae percunctati erimus, explicaris, dimiserimus. De iis, credo, rebus, inquit 101
Crassus, ut in cretionibus scribi solet, QUIBUS SCIAM POTEROQUE. Tum ille, Nam quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire, aut posse postulet? Iam vero ista conditione, dum mihi liceat negare posse, quod non potero, et fateri nescire, quod nesciam, licet, inquit Crassus,

---

postulàbatur propter seq. *quas*: cf. § 99.

99. *saepissime negasse*. Superlativum Adverbii meo sensu minime huic loco convenit, in qua re saepe peccatum esse notavimus alibi. Fortasse per errorem ortum est ex eo, quod scriptum fuerit, *saepe memini negasse*.

earum rerum, quae quasi in arte traduntur, inscientia. Servavi *inscientia*, prae aliorum *inscitia*: omnino enim se *nescire* eas res Crassus affirmare non poterat, sed *nescire* eas quasi in arte *tradere*. Propterea, abiecto *quae*, legendum censeo *earum rerum quasi in arte tradendarum inscientia*, quibus verbis interpretatur illam *eius disputationis insolentiam*. Quid intersit inter *inscientiam* et *inscitiam*, bene definit Madvigius ad Fin. I. § 46.

102 vestro arbitratu percunctemini. Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quaerimus, existimesne artem aliquam esse dicendi. Quid? mihi nunc vos, inquit Crassus, tamquam alicui Graeculo otioso et loquaci, et fortasse docto atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse aut cogitasse arbitramini, et non semper irrisisse potius eorum hominum impudentiam, qui, quum in schola assedisset magna hominum frequentia, 103 dicere iuberent, si quis quid quaereret? Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam, qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret: postea vero vulgo hoc facere coeperunt, hodieque faciunt; ut nulla sit res neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua se non omnia, quae dici possint, profiteantur esse dicturos. 104 Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, [de iis rebus] audire velle, adduxissem huc Graecum aliquem, qui vos istiusmodi disputationibus delectaret: quod ne

---

102. *hoc primum ex te — quaerimus.* Temere ab aliis omittitur *primum*. Quod enim a Crasso explicari cupiebant hoc erat, § 98, quid *de omni genere dicendi* sentiret: sed quod nunc quaeritur praemittitur tantum ipsius rei explicationi.

qui quum in schola assedisset magna hominum frequentia. Secundum libros constanter editur *assedissent*. Sic ipsi sophistae dicuntur *assedisse*, et quidem *magna hom. frequentia*, quo Ablativo numquam hoc indicari potest, ut sit pro *quum magna frequentia adesset*, aut convenisset. Propterea non dubitavi, contra libros, corrigere *assedisset*, ut *frequentia* Nominativus sit.

104. [*de iis rebus*] *audire velle.* Alii libri, ut solet, *de his*: sed nihil nunc interesse arbitror: quaero enim, de quibus rebus? Respondebitur, credo, de omni genere dicendi, aut de eo ipso, sitne ars aliqua dicendi. Sed eam disputationem non per contemtum a Graeculo petendam esse dixisset Crassus, quam modo, § 99, ipse Antonio imposuerat. Non premam suspicionem meam, *de iis rebus* interpolatum esse ab eo, qui non intelligeret, *quod* esse Pronomen obiecti, quo significetur illa facultas subito disputandi. Quod hucusque propagatum est, *de rebus audire*, vix Latinum esse mihi videtur.

apud M. Pisonem adolescentem iam huic studio deditum, [summo hominem ingenio] nostrique cupidissimum. Non sine causa offensioni fuit hoc, quod, qui modo *adolescens* dictus esset, sta-

nunc quidem difficile factu est: est enim apud M. Pisonem, adolescentem iam huic studio deditum, [summo hominem ingenio] nostrique cupidissimum, Peripateticus Staseas, homo nobis sane familiaris, et (ut inter homines peritos constare video) in illo suo genere omnium princeps.

Quem tu mihi inquit Mucius, Staseam, quem 23
Peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adoles- 105
centibus, Crasse, qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, et in hoc domicilio imperii et gloriae est consilio linguaque princeps, cuius vestigia persequi cupiunt, eius sententiam sciscitantur. Equidem 106
te quum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi numquam eloquentiae maiorem tribui laudem, quam humanitatis; qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii adolescentes cupiunt accedere. Ego vero, 107
inquit, istis obsequi studebo, neque gravabor breviter

---

tim *homo* appellatur: multo minus, opinor, illum adolescentem sic ornari decebat, ut diceretur *summo homo ingenio*, qualis laus supra aliis tribuitur § 6, ut Fin. I. § 1: in adolescente melius *illustre ingenium* laudatur, ut Coel. § 1, et *excellenti ingenio se doctrinae dedere*, Offic. I. § 71. Accedit, quod eiusmodi laus nunc quidem minus opportuna est, sequente *nostrique cupidissimum*, id quod optime subiicitur ei, quod h. l. necessario erat commemorandum, Pisonem *huic studio deditum* esse. Quapropter equidem vix dubito, quin totum illud sit insititium, inscite aliunde invectum.

constare video. De hoc notabo infra, ad III. § 3.

105. *Graeci alicuius.* Non oportebat in nonnullis libris omitti *alicuius*, quo contemtus indicatur: et sic II. § 75.

ex eo, qui — est consilio princeps. Edidi *est*, contra libros, in quibus *sit* servatur. Coniunctivus ferretur, si universe loqueretur, nec dum constaret, quis esset ille *princeps:* nunc per figuram hoc dicit, tuam sententiam sciscitantur, qui es princeps.

106. *duo excellentis ingenii adolescentes.* De singulis quum dicatur, corrigendum sic erat pro *excellentes ingeniis:* conf. mox ad § 115. Ipsa collocatio verborum, ut opinor, arguit vitium.

107. *obsequi studebo.* Fidenter edidi Futurum, pro *studeo*, quod libri habent.

in verbi controversia. I. e. in ea, quae oritur e duplici verbi interpretatione, sicut supra, § 47: itaque desere-

meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scaevola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi
108 controversia positam. Nam si ars ita definitur, ut paulo ante exposuit Antonius, [ex rebus penitus perspectis planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaque comprehensis;] non mihi videtur ars oratoris esse ulla: sunt enim varia, et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera huius
109 forensis nostrae dictionis. Sin autem ea, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt (id quod fieri potuisse video); non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione ars esse videatur. Sed sive est ars,

---

tur, spero, Ellendtii suspicio, qui malebat *in verbis*: Genitivus est obiecti.

108. [*ex rebus — comprehensis*]. Haec verba reddunt fere ea, quae supra, § 92, dixerat Antonius, neque illa iteratio, quamquam h. l. minime necessaria, per se quidquam habet reprehensionis. Sed laborat syntaxis, quoniam concedi non potest ut Cicero scripserit *ars definitur ex rebus*, quum certe oportuerit *ita definitur, ut contineatur rebus*, aut (sicut II. § 30) *ut sit earum rerum*. Ne hoc quidem rectum est, quod *opinioni arbitrium* tribuitur: nam *opinio* ipsa est tamquam iudicium, ut *opinionis arbitrium* aeque vitiosum sit, quam *opinionis iudicium*. Quid porro hoc est, quod dicuntur illae res *seiunctae ab opinione?* Voluit profecto qui haec composuit, eas res non constare opinione, aut *pendere ex opinione:* sed, *seiunctum esse ab aliquo*, in duobus dicitur, quae, quum iungi possent, non iunguntur: quis autem dicat *res coniungere cum opinione?* Postremo inscite iunguntur *ab opinione seiuncta scientiaque comprehensa*. His de causis suspicor, illa interpolata esse, quorum bonam partem (*planeque — seiunctis*) omittit etiam unus liber apud Ellendtium.

accommodata. Certissime corrigendum *accommodanda*.

109. *quae observata sunt*. Hic usu venit quod ad § 97 notavi. Putide sane dicitur *quae observata sunt, haec animadversa sunt*, quod inverso quoque ordine dici potuisset. Scilicet, *observare* idem esse quod *animadvertere*, videmus infra, § 146, conf. II. § 32. Igitur hic quoque praestabit *quae servata sunt*.

quam ob rem non — hac vulgari opinione ars esse videatur. Duabus vo-

sive artis quaedam similitudo, non est ea quidem negligenda, verum intelligendum est alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora.

Tum Antonius vehementer se assentiri Crasso dixit, 24
quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui 110
omnem vim dicendi in arte ponerent; neque rursus eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus, quam ipsam artem [posse] prodesse. Dicam equi- 111
dem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis: quamquam moderabor ipse, ne ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo mediocris, neque omnino rudis, videar non ipse aliquid a me promisisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. Equidem, quum peterem magistratum, solebam 112
in prensando dimittere a me Scaevolam, quum ita ei di-

---

calibus iteratis legendum est — *opinione ea are* —. Sic demum apparet *are* esse praedicatum.

alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora. Neque hic, neque § 147 probandum, ut dicatur *consequi eloquentiam:* et *consequi* dicimur id, quod ipsum maius quiddam et superius esse significatur. Hinc recte Offic. III. § 1 *tantam ingenii praestantiam consequi*, addito *tantam:* neque infra § 146 dicitur *eloquentiam adipisci*, sed *eloquentiae laudem:* et § 117, *assequi in dicendo mediocritatem.* Equidem ista, *ad consequ. eloqu.*, interpolata esse suspicor. Mox, § 110 et 113, aptius dixit, *ad dicendum.*

110. [*posse*] *prodesse.* Illud *posse* ineptе esse interpolatum, re quippe attenuata, apparet ex iis quae modo dixerat Crassus, quaeque mox, § 113, ei tribuuntur.

112. *quum peterem magistratum.* I. e. si quando, aut quotiescumque peterem: itaque recte servatur Singulare et Coniunctivus. *Quum petebam* diceretur de uno et certo tempore. Per se tamen recte dicitur *magistratus petere*, ut Brut. § 130. Rursus infra, § 239, *quum aedilitatem peteret*, de uno tempore Coniunctivus ponitur in oratione obliqua.

quum ita ei dicerem. Voss. quoque hunc ordinem servat: alii *quum ei ita d.*

id erat — posset fieri. Non sunt haec Scaevolae a Crasso dicta, sed nunc ab eo explicandi causa adiecta. Sed verborum compositio postulare mihi videtur, ut *quod* sit Coniunctio, atque legatur *quod id nisi —:* sic defenditur *posset.* — Statim post bene agnoscunt viri docti, post *hunc autem* inscite interpolatum esse *semper iudicavi;* quippe

cerem, Me velle esse ineptum; id erat, petere blandius; quod, nisi inepte fieret, bene non posset fieri: hunc autem unum hominem esse ex omnibus, quo praesente ego ineptus esse minime vellem; quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid ineptius, quam de dicendo dicere, quum id ipsum, dicere, numquam sit non ineptum, nisi quum est necessarium? Perge vero,
113 Crasse, inquit Mucius: istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo.

25 Sic igitur sentio, inquit Crassus, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: neque vero istis, de quibus paulo ante dixit Antonius, scriptoribus artis rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes,

---

et *hunc — esse*, et modo *me velle* —, inter se opposita, pendent ab illo *quum ita ei dicerem*.

hunc autem unum hominem esse ex omnibus. E Voss. quoque praetuli hunc ordinem, prae vulg. *hominem esse unum*. Interesse mihi videtur utrum subiectum Pronomine iam indicetur, nec ne. Cum h. l. conferendi sunt hi, Offic. III. § 29. init. II. § 30. ad Div. XIII. 43. 1 et 45. 1. Philipp. II. § 7, (ubi subiectum e superioribus intelligendum) Orat. I. § 171: contra, v. c. in Bruto § 25, nullo praeced. Pronomine, Substantivum in praedicato ponitur: cf. Planc. § 97.

quo praesente ego ineptus esse minime vellem. Quid moverit viros doctos, ut alteram lectionem, *ineptum esse me*, sequerentur, non intelligo. Permultis exemplis inter se collatis, in primis quae indicantur ab Heusingero ad Offic. II. 22. 9, quaeque attigit Madvigius, et alibi, et ad Fin. II. § 102, tum quae ipse excitavi ad Catilin. I. § 4, in Scholic. Hypomn. V. p. 93, videor mihi aliquanto certiorem normam invenisse, ad quam referendum esset iudicium, utrum *volo esse* cum Nominativo, an *volo me esse* probandum sit, quandoquidem non sane satisfacit discrimen, quod Ellendtius ad h. l. excogitavit. Scilicet, altera forma, (ut hoc uno exemplo defungamur) *nolo me esse ineptum*, eius professionem indicat, qui perpetuo vitare operam dat crimen ineptiarum: altera, *nolo ineptus esse*, eius, qui eo ipso tempore, quo loquitur, illam reprehensionem vitat: atque hoc postremum necessario accipiendum est in Crassi dicto, qui apud Scaevolam *nolebat ineptus esse*, quamquam in prensando apud reliquos omnes ineptum esse oportebat. Longum est locos omnes explorare, an ad illam normam exigi possint. Non certe adversatur ad Div. I. 7. 1 *si volo is esse*.

113. *neque vero istis*. Haec oppo-

et ad memoriam firmi atque diuturni. Et, si quis est, 114
qui haec putet arte accipi posse, quod falsum est,
(praeclare enim res se habet, si [haec] accendi aut
commoveri arte possunt, inseri quidem et donari ab
arte non possunt;) [omnia sunt enim illa dona naturae,]
quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine na-
scuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires,
conformatio quaedam, et figura totius oris et corporis?
Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit, 115
(neque enim ignoro et quae bona sint, fieri meliora
posse doctrina, et quae [non] optima, aliquo modo
acui tamen et corrigi posse); sed sunt quidam aut ita
lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu
motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi inge-
niis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum
venire non possint, [sunt autem] quidam ita in iisdem
rebus habiles, ita naturae muneribus ornati, ut non

---

nuntur iis, quae Charmadam disputavisse narraverat Antonius § 87.

114. *praeclare enim res se habet, si [haec] accendi aut commoveri arte possunt.* Recte novissimi Editores revocaverunt Indicativos pro Coniunctivis, *habeat, possint.* Quod inclusi, *haec*, ortum, ut videtur, e proximi vocab. initio, molestum est praecedente eodem (*qui haec putet*).

[*omnia sunt enim illa dona naturae.*] Repudiata suspicione quam olim commendavi, pronior sum in Schutzii sententiam, languidum esse horum verborum sensum, et interpolata videri. Sane *omnia* minus apte dicuntur, quum praeter *animi et ingenii celeres motus* nihil enumerabatur, eaque ipsa *naturae* esse iam dictum erat. Dubito quoque an *dona naturae* Ciceronis Latinitati conveniat, quamquam mox *naturae munera*, et *dona fortunae* appellantur Tusc. V § 20, ubi Bentleius tamen *bona* malebat, ut est infra II. § 45: neque *natura*, ut vel *Dii*, vel *fortuna* fortasse, sic cogitari potest, ut bona et mala inter homines distribuat, (conf. tamen Fin. V. p. 513). Sed hoc loco uniuscuiusque sua natura intelligitur, ideoque statim post illa bona dicuntur *cum ipso homine nasci.*

quid de illis dicet. Necessario servavi hoc, prae altero *dicam.* Non erat Crassi haec expedire, sed eius, qui putaret illa *arte accipi posse.*

115. *et quae [non] optima.* Non dubito tollendam esse negandi particulam. Ut nunc a *bonis* distinguuntur *non optima*, haec sunt intelligenda mediocria, vel aliquanto minus etiam. Sed ea λιτότης valere solet pro reprehensione. Statim, § 118, *non boni oratores* aequantur cum *actoribus malis:* et II § 75 Hannibal dicitur *non optime Graece* loqui, i. e. pessime. Tum, quae mala et prava sunt, neque *acui*, neque *corrigi* ita possunt, ut bona fiant: sed *optima* quae sunt, tamen aliquid

116 nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum: adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat: ita, quicquid est in quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit.
117 Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videt C. Caelio, aequali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcumque assequi potuerit, in dicendo mediocritatem? Quis vestrum aequalem, Q. Varium, vastum hominem atque foedum, non intelligit illa ipsa facultate, quamcumque habet, magnam esse in civitate gratiam consecutum?

26 Sed, quia de oratore quaerimus, fingendus est nobis
118 oratione nostra detractis omnibus vitiis [orator] atque omni laude cumulatus. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quaerimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi li-

---

acuendum aut corrigendum relinquunt, quo meliora et emendatiora sint: conf. locus in Mureniana § 60. Ipsum illud *tamen*, et *aliquo modo*, vindicat meam interpretationem.

etiamsi ingeniis — valeant. Corrigendum, *ingenio*, quoniam non collective universos, sed singulos spectat. Sic § 131, *in utroque vestrum ingenium perspexi.* Notavi modo ad § 106.

[*sunt autem*] *quidam.* Merito illa Kaysero videntur interpolata.

116. *vitia in dicente — videat.* Hoc exemplo non evertitur id, quod in Muren. § 43 notavi, Scholic. Hypomn. V. p. 336.

117. *si quid naturale forte non habeant.* Si, quod mihi videtur, *naturale* Adiect. non dici solet sine Substantivo, praestabit hic corrigere *a natura*, ut loquitur infra, § 126.

quamcumque habet. Corrigendum, *habeat.*

118. *quia de oratore quaerimus.* Fidenter corrigo, *quum.*

detractis omnibus vitiis [*orator.*] Recte Kayserus postremum vocab. inclusit.

119. *ut iis satis faciat.* Ridicula superstitio effecit ut Editores exhiberent *uti eis*: mox recte omnes libri *ut eis.* Conf. ad § 130.

bera quaedam oblectatio, quam diligenter et quam prope fastidiose iudicamus? nullae enim lites, neque controversiae sunt, quae cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Est igitur oratori diligenter providendum, non 119
ut iis satis faciat, quibus necesse est, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Ac, si quaeritis plane quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui et tacendum putavi. Mihi etiam qui optime dicunt, quique id facillime [atque ornatissime facere] possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur: tametsi id accidere non potest: ut enim quisque 120
optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, exspectationemque hominum pertimescit: qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commovetur in dicendo, tamen impudens videtur: non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus: quem vero non pudet (id quod in plerisque 121
video), hunc ego non reprehensione solum, sed etiam

---

quique id facillime [atque ornatissime facere] possunt. Assensum mihi est, istud *ornatissime* alienum esse ab eo, quod reliqua verba postulant: neque enim probandum ut ipsum *optime dicere* fieri dicatur *ornatissime*. Praestabit, non tantum *atque ornatissime*, ut Ellendtius commendat, sed *facere* quoque abiicere: tum malim *id* abesse.

120. *qui vero nihil potest — efficere atque edere.* Ili Infinitivi mihi ex interpolatione orti videntur. Ut pluribus locis, ita hic non intellectum est, ipsum *posse* de facultate dicendi usurpari, itaque *qui nihil potest*, e superioribus intelligendum *dicere*, i. e. qui nulla dicendi facultate valet: de quo notabo ad § 126. Sed ne per se quidem illa verba *efficiendi* et *edendi* sententiae conveniunt, siquidem *efficere* orator dicitur id, quod oratione obtinet, *edere* autem est pronuntiare, ut II § 325.

impudentiae nomen. Ruhnkenius corrigebat, *impudentiae crimen*. Poterat quoque *imp. notam*: alterutrum certe propius accedit ad *reprehensionem*, quae mox appellatur.

121. *dimiserit — viderit.* Non satisfaciunt hi Coniunctivi ita iuncti; et *viderit* certe mutandum videtur in *videret*.

poena dignum puto. Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso saepissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, et tota mente atque omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum ac debilitatum
122 metu viderit. Hic omnes assensi significare inter se [et colloqui coeperunt]: fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.
27 Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te et ceteros summos oratores, (quamquam tibi par, mea sententia, nemo unquam fuit), in dicendi
123 exordio permoveri. Cuius quidem rei quum causam quaererem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas: unam, quod intelligerent ii, quos usus ac natura docuisset, nonnumquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere,

---

122. *hic omnes assensi significare inter se* [*et colloqui coeperunt.*] Simile quid h. l. accidisse narratur eius, quod commemoratur II. § 295 (*quid vos inter vos?*) Sed quum *significare* de nutu tantum dicatur (ut Graecum σημαίνεσθαι), admitti non potest ut simul isti inter se *colloqui coeperint*, quum praesertim Crassum statim excipiat Antonius. Igitur stolida illa, *et coll. coep.*, delenda sunt, et recipienda Gruteriana lectio, *assensum*. *Significare* Infinitivus historicus est.

123. *quos usus ac natura docuisset.* Non possum singula in tota hac sententia ita interpretari, ut sana inde sententia prodeat. V. c. *usus* quod *docere* dicitur, intelligo; non item quod *natura*, quae sane *admonere* poterat, non item *docere* id, quod *usu* demum cognoscimus. Sed ne *usus* quidem quemquam *docere* poterat, quid aliis (*summis oratoribus*) *nonnumquam* soleret accidere: est enim *usus* eius, qui ipse quid experitur. In ipsa autem verborum structura hoc animadvertendum, idem obiectum esse verbi *intelligerent*, et verbi *docuisset*, nempe *nonnumquam procedere*. Et, quandoquidem, ut ex antecedd. apparet, ipsa illa (*intelligerent*, et *quos usus docuisset*) de summis *oratoribus* dicuntur, prorsus incredibile videtur ut dicantur illi *summi oratores intelligere*, quid *summis oratoribus nonnumquam* accideret. Postremo, Infinitivus *timere* non explicari potest unde suspensus sit. Haec si dilui non possunt, et praeterea, si mihi conceditur, initio *intelligendi* verbum ipsum a sententia alienum

ita non iniuria, quotiescumque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret timere: altera est haec, de qua queri saepe soleo, quod ce- 124
terarum hominum artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi id, quod scirent, putantur: Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut, Crudior fuit: oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiae peccatum videtur: stultitia autem excusationem non habet; quia nemo 125
videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus: quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur: et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum, cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, 28
quae orator nisi haberet a natura, non multum a ma- 126
gistro adiuvaretur, valde tibi assentior; in eoque vel

---

esse, mei iuris si esset, locum sic constituerem, *unam, quod ii, quos usus docuisset, nonnumquam non satis ex sententia eventum dicendi procedere, ita — timerent.*

124. *quod ceterarum hominum artium.* Ex aliorum librorum corrupta lectione, *et ceterarum*, aut *de cet.*, hoc verius effingendum puto, ut legeretur *etenim ceterarum* —: convenit scilicet post illa, *de qua queri saepe soleo*, quoniam ipsius incommodi mentio (*oratoris peccatum — videtur*) non statim subiicitur, sed ex comparatione cum histrione praeparatur, ut argumentatio a nova sententia inchoetur, in qua forma Coni. *enim* poni solet, sicut alio exemplo ostendemus in § 258.

126. *in eoque vel maxime — qui quum mercede doceret.* Edidi *in eoque*, pro aliorum *inque eo:* conf. Ellendt. ad § 2. — Sed Pronom. (*in eo*) referri non potest ad superiora, itaque mox Relativum postulat, quo illud explicetur. Hinc corrigam, *quod quum merc. doc. quos iudicabat non posse* [*oratores evadere*]. Inclusi duo postrema ut interpolata, quippe *posse* absolute dici solet in hoc argumento, ubi agitur de iis, quae quis a natura haberet, quod notavi modo ad § 120: sic bis § 131. Hinc et *facere* expungendum in § 130, et *efficere* II. § 85. Tum, *oratores evadere* poterant sane omnes; sed agebatur de praestanti et perfecto oratore: atque illud *evadendi* verbum ita cum laudato eventu coniungi solet, velut Brut. § 131, 175, 299. Multo melius scribitur II. § 71, *quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus.*

maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui, quum mercede doceret, tamen non patiebatur eos, quos iudicabat non posse [oratores evadere], operam apud sese perdere, dimittebatque, et, ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam im-
127 pellere atque hortari solebat. Satis est enim in ceteris artificiis [percipiendis] tantummodo similem esse hominis, et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur si quis forte sit tardior, posse percipere animo et memoria custodire: non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialec-
128 ticorum, sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, memoria iuris consultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest: quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non potest.
129 Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui et levi quanto plus adhibeatur diligentiae, quam in hac re, quam constat esse maxi-

---

127. *in ceteris artificiis* [*percipiendis*] Assenserunt novissimi Editores, quum dixissem illa interpolatione liberandam orationem esse. Intelligendum est, non tantum propter sequens *percipere* ita corrigendum, sed quod ipsum *artificia percipere* nulla ratione defendi potest.

facies, vultus, sonus. In eiusmodi bonorum externorum enumeratione non memini usquam *faciem* appellari, sed proprie aliquoties *species* ponitur, i. e. orma: conf. infra, § 131 fin. sq. Brut. § 224: infra, § 156, *totum corpus* appellatur. Equidem *species* h. l. substituerem vulgato.

128. *quae enim singularum rerum artifices — probantur.* Certissime corrigendum, *ceterarum artium artifices.* Opponuntur inter se non *singularum*, sed *ceterarum — artifices*, et *orator*. Quoties *res* et *ars* in libris vitio permutata sint, supra vidimus: nec dubito fere, quin mox, § 129, corrigendum sit, *in hac arte*. Quum *probantur* non ad *quae* referatur, sed eius verbi *artifices* subiectum sit, ita in altera parte sententiae, in qua subiectum est *orator*, corrigendum fuit *probari non potest*, pro librorum lectione *possunt*, idque novissimi Editores susceperunt. Eadem forma servatur III. § 20, fin. et Opt. Gen. Orat. § 6 Conf. Offic. I. 17. 10, cum annotatione Heusingeri, qui bene defendit Passivum *devinciuntur*, propter subiectum mutatum.

129. *nihil est enim tam insigne.*

mam. Saepe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, Se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem: non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset: nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. Itaque, ut ad hanc similitu- 130
dinem [huius histrionis] oratoriam laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat? nihil nisi ita ut deceat, et ut omnes moveat atque delectet? Itaque hoc iam diu est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter; mihi enim volo ignosci, ceteris ipse non ignosco. Nam qui non potest, qui vitiose facit, quem denique non decet, hunc, ut Apollonius iubebat, ad id, quod [facere] possit, detrudendum puto.

Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc 29
[Cottam] ius civile, aut rem militarem iubes discere? 131
Nam quis ad ista summa atque in omni genere per-

Fieri non potest quin hoc quoque iudicium a Roscio audivisse se dicat Crassus, ut corrigendum sit, *nihil esse enim* —: sua profert ab his demum verbis, *itaque ut ad hanc simil.* —.

quam id, in quo aliquid offenderis. Latinum est tum *offendere aliquid*, tum *offendere in aliqua re*, non item *aliquid offendere in aliquo.* Corrigatur vitium ita, ut legatur *aliquis offenderit.* Utilia annotavit Manut. ad Div. V. 14. fin.

130. *ut ad hanc similitudinem [huius histrionis] oratoriam laudem dirigamus.* Indicavi interpolationem manifestam, quae scilicet interpretaretur verba *hanc similitudinem*: quamquam hanc verborum sententiam esse constat, ut in oratoris laude definienda eadem sumamus, quae Roscius in histrione perfecto requirebat: nam, *ab eo*, est *a Roscio.* Eandem *similitudinem* invenimus infra, § 254. Praeterea corrigendum *oratoris laudem*, quae opponitur laudi histrionis, qualem Roscius postulabat: *oratoria laus* ne Latinum quidem est: itaque mox recte, § 135, *oratoris ars* appellatur, non *oratoria*: ipsum nomen *oratoris* in hac definitione aut descriptione ponendum erat, et multis locis Adiectivum illud vitiose per librarios illatum est.

ut omnes moveat. Intempestive cauti sunt Editores, qui *uti* servant, pro *ut.* Conf. ad § 119.

quod [facere] possit. De interpolatione monui ad § 126.

131. *num tu igitur — iubes discere.*

fecta potest pervenire? Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quamdam ac praeclaram indolem ad dicendum esse cognovi, idcirco haec exposui omnia, nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam. Et, quamquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen haec, quae sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quam solent Graeci dicere, in te,
132 Sulpici, divina sunt. Ego enim neminem nec motu corporis, neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem aut suaviorem mihi videor audisse; quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quae habeant, modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. Id enim est maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio, quem saepe audio dicere, Caput esse artis, decere, quod ta-

---

Non puto Sulpicii menti convenire hanc interrogandi formam, quam Coni. *num* inchoet, quasi absurdum quid Crasso obiiceret, necessario negandum. In Gu. I. video omitti *num tu:* et his facile carebimus. — Statim post, (*hunc Cottam*) expungendum est Cottae nomen. Ubi colloquentes ita διακτικῶς illo Pronomine utuntur, non addunt Nomen proprium.

132. *sicut unus paterfamilias.* Qui novissime hunc locum tractavit, Pideritius, agnovit, sicut oportebat, ista ferri non posse, quamquam recte diceretur supra, § 111, *quasi unus e togatorum numero*, pro quibus sane non dixisset *quasi togatus.* Quod autem is vir doctus, *paterfamilias* abiiciens, substitui commendat, *sicut unus e multis*, non reputavit illam formam loquendi usurpari sane in modestiae aut mediocritatis significatione, sed (quemadmodum apparet ex iis, quae contulerunt viri docti ad Offic. I. § 109) tum, si e contextu appareat sermonem esse de certo quodam genere hominum, qui inter se comparari possint; hoc autem loco non intelligi posse *multos de his rebus* loqui, sed oppositionem quaesitam esse inter *patrem familias* et *has res*, quae ab illo alienissimae erant, qui longe diversa curare soleret. Itaque eodem modo infra, § 159, *quemcumque patrem familias arripuissetis.* Equidem expungam *unus*, frustra ab Ellendtio defensum. Alia ratione *unus e multis* ponitur III. § 136.

133. *nostro more aliquando* [*non rhetorico*] *loquamur.* Quoniam satis constat ex antecedd. (conf. § 99. sqq.) Crassum quodam modo invitum ad illam disputationem et praeceptionem accessisse, perspicuum est eum nunc existimare, se adolescentibus illis abunde

men unum id esse, quod tradi arte non possit. Sed, 133
si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando [non rhetorico] loquamur. Minime vero, inquit Cotta: nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices quicquid est istud, quod tu in dicendo potes: neque enim sumus nimis avidi; ista tua mediocri eloquentia contenti sumus. Idque ex te quaerimus, (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es), quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes.

Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, 30
nisi studium et ardorem quemdam amoris? sine quo, 134
quum in vita nihil quicquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos, quos, quum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profecto studia nihil prosunt 135

---

morem gessisse, ideoque hanc veniam petere, ut liceret *sermonem alio transferre*. Sed, quamquam in *sermone* modo hic, modo alius *loquitur*, omnes tamen, qui ei intersunt, non *loqui*, sed *colloqui* dicendi erant: *nostro more loquamur* si Crassus dixisset, de eo uno esset cogitandum. Tum ridicule interpolatum est *non rhetorico*. *Mos rhetoricus* ne Latinum quidem est; nec rhetores vel *loquebantur*, vel *colloquebantur*, sed artis praecepta in schola tradebant. Itaque illis omissis corrigendum, *nostro more aliquando colloquamur*.

nunc enim te iam exoremus necesse est — esse assumendum putes. Nulla magnopere in libris offenditur lectionis varietas. Sed, quum non satis expeditus sententiae decursus videretur, Matthiaeus De Anacoluth p. 20. sqq. excogitavit anacoluthon, ita ut in verbis, *ut nobis explices*, inhiberetur sententiae absolutio, sententiaque instauraretur verbis, *idque ex te quaerimus*; et contulit hanc formam cum ea, quae esset notanda in Tusc. V. § 82. Non accipio hanc interpretationem, potiusque, *quidquid est istud*, obiectum esse contendo verbi *explices*, id quod defenditur ex his Crassi verbis § 135, quum respondens dicit, non *ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacumque est, facultate quaeritis*. Et quandoquidem Pron. *id* (*idque*) neque iusta syntaxi cum seqq. iungitur, neque, ut mox, in § 136, ad antecedd. referri potest, tum, quod ipsum illud, quod subiicitur, diversum est ab eo, quod modo dictum erat, corrigendum est ita, ut nova sententia inchoetur, *itaque ex te quaerimus* —.

135. *studia nihil prosunt*. Necessario corrigendum *studium nihil prod-*

perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo tendas, ferat ducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacumque est, facultate quaeritis, exponam vobis non quamdam aut perreconditam, aut valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat. Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! Quod enim neque precibus umquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex eius scriptore et lectore Diphilo suspicari liceret, id spero nos esse adeptos, omniaque iam ex ipso, quae diu cupimus, cognituros.

31 Tum Crassus, Atqui arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam te haec admiraturum, quae dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse: nihil enim dicam reconditum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principio, id quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo, me ista [om-

---

est, quemadmodum modo *studium* dixit, et mox, *in isto studio* versari.

quo tendas. Sumsi hoc e v. l., pro vulg. *intendas*, quod compositum suo loco ponitur § 143.

quod eo — ferat ducatque. Iure spretum est ab Editoribus *deferat*, quod nonnulli libri habent: sed non dubitavi ipse corrigere *ducat* pro *deducat*. Putidum sit exemplis demonstrare, *deducendi* verbum hinc alienissimum esse.

perreconditam. Fortasse non contemnenda videbitur altera lectio, *reconditam*, si, ut suspicor, praefixum illud *per* minus apte cum illo Adiectivo iungitur.

136. *quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa*. Non probavi Editoribus, quod dixeram corrigendum esse *discendi*: nec mihi nunc videtur sic sanari posse locum ideo corruptum, quod ipsa sane *meditatio* suscipitur alicuius rei causa, sed *meditandi causa* aliquid *agere*, sicut qui diceret *conandi*, aut *cupiendi causa*, nemo quid sit intelliget. Suspicor verum esse *in meditando ante dicendam causam*.

137. *quum ea audire cupiebas*. Constructio Accus. cum Infinitivo, cui haec inserta sunt, postulat ut corrigatur *cuperes*.

ista [*omnium*] *communia — praecepta*. E dittographia servatum est

nium] communia et contrita praecepta didicisse: primum oratoris officium esse dicere ad persuadendum accommodate: deinde esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione, sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata: in utraque autem re, quicquid in controversiam veniat, in eo quaeri solere aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur: exsistere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptura dissideat: his autem omnibus partibus subiecta quaedam esse argumenta propria: sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus: esse etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur: certosque esse locos quibus in iudiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur, alios in deliberationibus, quae omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus, alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia

138 139 140 141

---

illud *omnium*. Conf. § 165. Mox, *trita* praestat legere, prae vulg. *contrita*, quod compositum fere contemtum significat.

139. *in utraque autem re*. Verum esse non potest, quoniam in hac verborum compositione *utraque res* referenda erit tam ad infinitam quaestionem, quam ad eam, quae in certis personis locata est: atqui primum, quaestio non erat *rei* nomine appellanda, tum ea, quae subiiciuntur omnia, alienissima sunt ab infinita quaestione, in qua neque factumne sit, neque reliqua quaeruntur. Accedit, quod infinitam quaestionem ita intactam reliquerunt rhetores (quorum nunc praecepta excitantur), ut eam nominent tantummodo, id quod diserte ponit Crassus III. § 110. Nihil restat, nisi ut corrigatur *in certa autem re*. Propterea non videtur in § 141, tamquam si illa superiora ad infinitam quaestionem pertinerent, tum demum ad alterum genus explicandum pergere: ideoque istic non *sed causarum* —, sed *et causarum* legendum erit, quemadmodum § 143 ad alia pergens dicit, *etiam illa cognoram*.

141. *quae omnes*. Antea edi solebat *qui omnes*, tamquam si *loci* intelligendi essent. Quod correxeram *quae*, nempe *deliberationes*, post vidi librorum auctoritate fulciri.

142 referrentur: quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum quid diceret, deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere, tum ea denique vestire atque ornare oratione, post memoria saepire, ad extre-
143 mum agere cum dignitate et venustate; etiam illa cognoram et acceperam, ante, quam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent, deinde rem demonstrandam, postea controversiam constituendam, tum id, quod nos intenderemus, confirmandum, post, quae contra dicerentur, refellenda, extrema autem oratione, ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

32 Audieram etiam quae de orationis ipsius ornamentis
144 traderentur; in qua praecipitur primum ut pure et Latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore;
145 singularumque rerum praecepta cognoram. Quin etiam, quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis artem adhiberi videram: nam de actione et de memoria quaedam brevia, sed magna cum exercitatione praecepta gustaram. In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur: quam ego si nihil dicam adiuvare, mentiar: habet enim quaedam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo in-

142. *in quinque partes distributa.* Vindicavi hanc partitionem in interpretando loco Orat. § 50, in Mnemos. IX. p. 299. sq.

tum ea denique vestire. Neque recte iunguntur *tum denique*, quorum illud in serie et ordine suum locum habet, hoc uno verbo concludi significat quae ante dicta essent; neque ipsum *denique* aptum est, sequente *post*. Corrigendum, *tum eadem vestire*.

144. *quae — traderentur.* Nihili est h. l. Coniunctivus ille, et necessario corrigendum, *traduntur*, sicut mox recte, *praecipitur*.

145. *magna cum exercitatione.* Nescio, quid aliis, sed mihi videtur *exercitatio* non posse dici *magna*. Tamen conf. II. § 96, et III. § 105.

146. *atque id egisse.* Frustra haec defenduntur. Equidem collatis quae supra, § 109, et infra, § 186, dicuntur,

tuens ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret. Verum ego hanc vim intelligo esse in prae- 146
ceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse: sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum; quod tamen, ut ante dixi, non eiicio: est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale.

Sed exercitatio quaedam suscipienda vobis est; quam- 147
quam vos quidem iampridem estis in cursu; sed iis, qui ingrediuntur in stadium, quique ea, quae agenda sunt in foro, tanquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari. Hanc 148
ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus: ac tamen ista, quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus, quamquam sunt nobis quoque non inaudita: verum illa mox: nunc de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus.

Equidem probo ista, Crassus inquit, quae vos facere 33
soletis, ut, causa aliqua posita consimili causarum 149
earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate. Sed plerique in hoc vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines ut dicant efficere solere: vere enim etiam 150

---

corrigam *ad artemque redegisse*. Mox praefero Lambinianum *reiicio*, pro *eiicio*.

147. *sed exercitatio quaedam*. Sic edidi de coniectura: libri, *et exercitatio*. Non dicuntur haec tamquam si cum illis praeceptis essent coniuncta, verum novam commendationem subiicit Crassus, per quam, ut mox quoque, *exercitationem* opponit *arti*.

sed iis, qui ingrediuntur. Bene vidit Ernestus abesse verbum, quo Dativus *iis* referatur: nec sane haec continuantur cum *suscipienda vobis est*, sed cum *vos quidem*. Itaque corrigendum, *sed ii*, et mox delendum *quique*, ortum ex illa depravatione.

148. *ac tamen*. Bene defendit Madvig. ad Fin. p. 289: alii, *attamen*.

150. *vere enim etiam illud*. Haec ita enuntiantur, tamquam si prius vere dici censeretur: sed corrigitur potius,

illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicere. Caput autem est (quod, ut vere dicam, minime facimus, est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus est dicendi effector, ac magister; neque iniuria: nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura su-
151 perabit. Omnes enim sive artis sunt loci, sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt; omnesque sententiae verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est: tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non
152 poëtico, sed quodam oratorio numero et modo. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi qui diu multumque scriptitarit, etiam si vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur: et, qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur, atque, etiam

---

nec Coni. *etiam* sententiae consilio convenit. Legatur, *verius enim illud* —.

subito saepe dicere. Neque *saepe utile est*, nec *saepe dicere* huic praeceptioni convenit. Fieri potest ut scriptum fuerit *subito posse dicere.*

stilus — praestantissimus est. Verbum substantivum, in permultis libris omissum, suscepi ex aliis: et perperam pro eo Kayserus inserendum putabat *habetur*, quoniam ipsius hoc Crassi dictum, non tamquam ex paroemia arreptum: conf. § 257.

152. *nisi qui diu multumque.* Librorum auctoritate et Lambini commendatione revocavi *qui*, ab aliis perperam omissum.

atque, etiam si quando —. Mutavi distinctionem, quae vulgo haec erat, *atque etiam, si quando* —. Altera

si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequatur; ut, concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet 153
tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum, sic in oratione perpetua, quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum scriptorum similitudine et vi concitata.

In quotidianis autem commentationibus equidem mihi 34
adolescentulus proponere solebam illam exercitationem 154
maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse, si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus 155
adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem, quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legerem Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris

---

defenditur iterato exemplo in proxime antecedd.

153. *ut concitato navigio.* Desero opinionem, his praeponendam esse copulam *et*, modo haec levissima tantum distinctione a superioribus discernantur.

154. *animadverti hoc esse in hoc vitii* —. Impedita est sententiae absolutio, quae tamen non expeditur ea distinctione, quam olim commendabam, ut verba *quod ea verba — proposuissem* in parenthesi acciperentur. Manet tamen hoc vitiosum in syntaxi, quod illis *hoc est vitii* subiicitur Infinitivus (*prodesse — obesse*). Restituere me veram lectionem puto sic corrigens, — *quod quum ea verba — proposuissem, ita nihil prodesset, si aliis, etiam obesset.*

155. *summorum oratorum Graecas*

156 essent, dummodo essent idonea. Iam vocis et spiritus, et totius corporis, et ipsius linguae motus et exercitationes non tam artis indigent, quam laboris: quibus in rebus habenda est ratio diligenter quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine
157 ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam

---

orationes. Non sane eorumdem et Graecae et Latinae ferebantur orationes. Praestabit, credo, *Graecorum*.

156. *linguae motus et exercitationes*. Iure spreverunt viri docti quod commendaveram, ut pro *exercitationes* legeretur *incitationes*. Vitiosum tamen hoc est, ut *linguae motus* dicantur: contra, *corporis motus* recte dicitur, et saepe, et supra, § 132 et 115: *linguae* multum diversa tribuuntur, ut § 83. 114 sq. II. § 85. Aptissimum est ut corrigatur *linguae usus et exercitatio*, quae aliquoties iunguntur.

157. *educenda deinde — proferenda est*. Duplici argumento firmabam suspicionem meam, totum hunc locum interpolatum esse. Primum contendebam, his interpositis interrumpi eius praeceptionis cursum, quam Crassus inde a § 149 susceperat, ut adolescentibus explicaret quarum rerum exercitatio usurpanda esset iis, qui *in stadium ingrederentur*, quaeque eos oporteret *praediscere et meditari* (§ 147 fin.), aut, ut Catulus loquitur (II. § 71), *quid discere oporteat eum, qui orator sit futurus*. Itaque, quum, post alia, de memoria exercenda monuisset, recte his subiicit reliqua (§ 158 sq.), de compluribus aliis quae discenda essent; quemadmodum ipsum illud de *legendis poëtis* cet. cum illa exercitatione coniungitur III. § 125. Contra, ea, quae nunc proponuntur, agunt de periclitandis ingenii viribus in acie forensi, id quod toto genere diversum est, et tamen, ut apparet ex Adverbio *deinde*, hoc ita commemoratur, tamquam si ea pars esset illarum exercitationum, quibus quasi ludicris praediscere et meditari oporteret ea, quae agenda sunt in foro, quum tamen ordine illud posterius esset, ut recte ab Antonio distinguitur II. § 99 (*ut aliquando ad causas deducamus illum.*) — Alterum argumentum, quo obtinerem ista interpolata esse, petebam e verborum, quibus illa sententia constat, delectu. Quid enim sibi vult illud *deinde?* Effundit Crassus, ut ipse § 159 appellat, complura, quae exercitatione, non arte, constant, sed nullo ordine, nec ut, quid prius, quid posterius servandum sit, significetur, in eaque enumeratione nulla utitur coniunctione, praeter *iam*, et *etiam*. Tum *educere dictionem medium in agmen* sic dictum, ut nulla ratione defendi possit. Proprie dicitur *educere exercitum* (nempe, e castris) *in expeditionem*, Divin. I § 72, figurate *ex angustiis oratorem educere*, nempe ut is, praeter forenses controversias, maximas quoque res tractet, infra, III. § 126: sed facile intelligitur sic ipsum *oratorem educi*, non eius *dictionem*, i. e. vel orationem, vel dicendi genus aut facultatem, (sicut de ipso oratore recte dicitur *sic instructus veniet ad causas*, Orat. § 121), multoque minus

plurimis et nostris scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem, quae in arte traditur. [Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem: subeundus usus hominum, et periclitandae vires ingenii, et illa commentatio inclusa in

---

dictio educi dicenda erat *e domestica exercitatione*, quoniam *exercitatio* non nisi oratorem attingit, cuius sane fructus est oratio s. dictio. *Domesticam exercitationem* interpretari necesse erit non eam, quae tantum domi suscipiatur, sed quam quisque sibi tantum colat: sed vix oppositum probatum iri puto, si quis dicat *publica*, aut *forensis exercitatio*, quae plurimos attingit, quemadmodum inter se opponuntur *mala domestica*, et *publica*. Praeterea non oportebat illam exercitationem *umbratilem* appellari, quo Adiectivo contineri solet mollitiei reprehensio, adeo ut philosophorum oratio v. c. possit *umbratilis* appellari, non ipsa *exercitatio*. Quae sequuntur (*medium in agmen — forensem*) fortasse splendida videntur aliis, qui similia hucusque probaverunt in Catilinariis, sed misero et non tolerando laborant abusu verborum, quorum nullum probari potest, praeterquam *in aciem forensem*, ut § 147 dicitur *in foro*, *tamquam in acie*, et § 252 *acies quotidiani muneris*. Sed, quum pugnae et contentionis similitudo quaeritur, nihil istuc pertinet neque *agmen*, neque *castra*, quoniam neque in illo, neque in his pugna consistit. Quod porro additur, *in pulverem* (ut *in solem*), usurpatur hoc sane in illa similitudine (sicut Brut. § 37,) non item *in clamorem*. Et omnino ista ambitiosa cumulatio similium prorsus abhorret ab illo praecipiendi modo, qui in reliqua exercitationis commendatione dominatur. Sequitur, *subeundus usus* (aut, ut Madvigius, *visus*) *hominum*: sed utcumque legatur, Latinum non est, quoniam *subire* dicimur id, quod molestum, durum aut triste est, in quo genere neque *usus*, neque *visus hominum* (quod ipsum diceretur contra Latinitatem) censeri potest. Quod postremo dicitur, *commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est*, in his multis modis peccatur. *Inclusum* non est idem quod *domesticum*; quamquam *commentatio* dici potest pro more aut instituto commentandi, sicuti supra, § 150. Tum, *in veritatis lucem* ideo vitiosum, quia *veritas* sane tribuitur veris causis quae aguntur, itaque opponitur iis argumentis, quae ab oratoribus ad voluptatem tantum animi tractantur (ut in Orat. § 38), item fictis causis (ut supra, § 149); sed non ideo *lux* tribuenda est huic veritati. Satis erat *proferre in lucem*, quae loquendi ratio exstat in Parad. prooem. § 4, ubi obiectum habet ipsa illa admirabilia, quae non nisi in schola solebant tractari; sed *commentatio* proferri non potest *in lucem*, si lux ipsa erit *veritas*, i. e. ipsae causae, quae aguntur in foro, in quibus quippe *actio* requiritur, non *commentatio*: et similis stultitia foret eius, qui diceret *somnum proferre in vigiliam*, aut *inopian proferre in copiam*. Rursus alio modo *proferre in lucem* dicitur mox, § 162.

158 veritatis lucem proferenda est.] Legendi etiam poetae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium [doctores atque] scriptores et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes; et, quicquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum [atque dicendum].
159 Perdiscendum ius civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est; libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo, tamquam sale, perspergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quae sentiebam; quae fortasse, quemcumque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percunctantibus respondisset.

35 Haec quum Crassus dixisset, silentium est consecutum.
160 Sed, quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum. Tum Scaevola, Quid est, Cotta? inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso
161 requiratis? Id mehercule, inquit, ipsum attendo: tan-

---

158. *legendi etiam poetae.* Admonitus quisque sentiet ridicule hoc ita subiungi illis de fori certamine subeundo.

[*doctores atque*] Bene haec omittit Lg. 4 apud Ellendtium: *doctores* sane, qui non sint *scriptores*, neque *legi*, neque *pervolutari* possunt.

[*atque dicendum*]. Mutata sententia assentior viris doctis ista, librorum quoque auctoritate, abiicienda esse. *Eliciendum* (vulg. *eligendum*) commendatur ex Acad. II. § 7.

161. *perspexi.* Alii libri *prospexi*, quod fortasse praestare videbitur, quum vix is *perspicere* dicendus sit, cui non nisi *aspiciendi* potestas fuit.

nosse [*atque vidisse*]. Abiicienda sunt haec postrema, primum, quod oppositio absolvitur verbis *ignorare* et *nosse*; tum, quod post illa improprie Perfecti Infinitivus ponitur: postremo, quod iam negaverat modo se *contemplari* potuisse.

162. *si in aliquam domum — venisses.* Quomodocumque haec corrigantur, extra controversiam est istius *villae* mentionem h. l. prorsus inopportunam esse: sed ne Manutius quidem audiendus est, qui corrigebat *illam*

tus enim cursus verborum fuit, et sic evolavit oratio, ut eius vim et incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim: et tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis, sic [modo] in oratione Crassi divitias atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi, sed, ea quum contemplari cuperem, vix aspiciendi potestas fuit: itaque neque hoc possum dicere, me omnino ignorare, quid possideat, neque plane nosse [atque vidisse]. Quin tu igitur 162
facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum [villamque] venisses. Si ea seposita, ut dicis, essent, tuque valde spectandi cupidus esses, non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, praesertim si esses familiaris: similiter nunc petes a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transennam, praetereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat, et suo quidque in loco collocet? Ego vero, inquit Cotta, 163
a te peto, Scaevola (me enim et hunc [Sulpicium] impedit pudor ab homine omnium gravissimo, qui genus

---

venisses, quod Pron. subiici non potest post *aliquam*. Sed ipsum illud, *aliquam*, recte modo positum a Cotta, § 161, nunc a Scaevola iterari non oportebat, quem sic respondisse coniicio, *si in illam domum plenam ornamentorum venisses*, nempe, quo tu modo exemplo usus es.

si esses familiaris. Perperam alii libri, *si esset*. Cotta adolescens *familiaris* dici poterat istius *domini*, non contra.

163. *haec — exquirere*. In his molestum est Pronom. *isti*, tamquam si hoc ad alium praeter Crassum pertineret. Legendum *ipsi*. Ne *exquirere* quidem rectum est, quod in longe diversa quaerendi ratione poni exempla evincunt. Reponendum *requirere*: cf. § 160, fin.

puerorum elementa. Nulla varietas e libris profertur. Tamen difficile est haec probare: neque enim sic interpretari licet, quasi essent *elementa pueris erudiendis destinata*, neque omnino *pueri* in hac disciplina cogitandi sunt. Suspicor, corrigendum esse *putida elementa*: conf. III. § 51.

tu hanc nobis veniam — ut Crassus haec—. Variis modis haec in libris prostant, ut v. c. alii *Scaevola, da*, alii

huiusmodi disputationis semper contemserit, haec, quae isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere); sed tu hanc nobis veniam da, Scaevola, [et perfice,] ut Crassus haec, quae coarctavit et peranguste refersit [in oratione
164 sua], dilatet nobis atque explicet. Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea: neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere eius in causis oratione delector. Nunc vero, Crasse, mea quoque iam causa rogo, ut, quoniam tantum habemus otii, quantum iam diu nobis non contigit, ne graveris exaedificare id opus, quod instituisti. Formam enim totius negotii opinione meliorem maioremque video, quam vehementer probo.

36 Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo,
165 etiam te haec, Scaevola, desiderare, quae neque ego ita teneo, ut ii, qui docent, neque sunt eius generis, ut, si optime tenerem, digna essent ista sapientia, ac tuis auribus. Ain' tu? inquit ille, si de istis communibus

---

da, Scaevola: tum, vel *perfice*, vel *et perfice*, ut minutiora omittam. *Veniam dare* supra iam, § 98, vidimus esse pro *gratificari*. Sed in Pronom. *hanc* necessario cogitandum est obiectum, nempe *requirendi* a Crasso, quod Cottam facere pudor impediebat: nec dubito, quin *perfice* illatum sit ab eo, qui illam structuram non perspiceret, et praesertim Imperativus ille temere in eo ponitur, quod *rogandum* erat, ut videmus § 164.

[*in oratione sua*]. Vix illa, quae modo strictim *effuderat* Crassus (ut ipse dicit § 159), *orationis* nomine appellanda erant. Interpolata ista mihi videntur, quum ne hoc quidem probandum sit, ut, abiecta Praep. *in*, verba sic iungantur, *oratione sua dilatet* —. Sed hoc quoque notandum, sine ullo auctore *refersit* mutandum videri in *confersit*, quod verbum ipsum nullo sane exemplo apud Ciceronem firmatur, sed praestat eius usum Participium *confertus*. *Refercire*, i. e. plenum facere, h. l. intempestivum.

164. *antea*. Ellendtius notavit, in Gu. 3, pro *antea*, legi *a natura*. Suspicor non diligenter eum legisse, et *a natura* corruptum esse ex *antea ura*, i. e. *vestra*.

mea quoque iam causa. Ita novissime correctius editur, *iam*, pro *etiam*; et sic Bremius iam voluerat. Hoc discrimen est inter *quoque* et *etiam*, ut altera Coniunctio alteram excludat.

165. *neque ego ita teneo*. Inserui *ita* e Vindob., in aliis omissum.

quibus hominum mentes et incitentur, et reprimantur. Sic edidi ex Vindob.: vulg. *incitarentur — reprimerentur*, tamquam si haec ad praeced. *dixisti* accommodanda essent.

de nostro [*ipso*] *iure civili*. Alii libri *de ipso nostro*. Sed nihil huc pertinet Pron. *ipsum*, quo mox Crassus

et pervagatis vix huic aetati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quae tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis quibus hominum mentes et incitentur, et reprimantur, de historia, de antiquitate, de administratione rei publicae, denique de nostro [ipso] iure civili? Hanc enim ego omnem scientiam et copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse, in oratoris vero instrumento tam lautam supellectilem numquam videram. Potes igitur, inquit Crassus, (ut alia omittam innume- 166
rabilia et immensa, et ad ipsum tuum ius civile veniam), oratores putare eos, quos multas horas exspectavit, quum in campum properaret, et ridens et stomachans Scaevola, quum Hypsaeus maxima voce, plurimis verbis, a M. Crasso praetore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere liceret, Cn. autem Octavius, homo consularis, non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse

---

peropportune utitur. *Nostrum* appellat, i. e. civitatis nostrae: Crassus alio sensu *tuum* dicit.

166. *potes igitur — stomachans Scaevola.* Summo iure servatur *exspectavit*, bene a Matthiaeo expositum: ipsaque haec interpretatio confirmatur alio loco, § 180, *clarissima M'Curii causa — quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est?* i. e. quam patienter in ea audienda detineri se passi sunt. Sed ab Henrichsenio, qui ceteroquin accuratissime res Romanas persequitur, aliorumque errores corrigit in temporibus personisque definiendis, ita ut fere nihil nobis quaerendum in eo genere reliquerit, dissentio, quum causam illam actam esse demonstrat a. u. 627 aut 628, ideo, quod Octavius Consul fuerit a. u. 626, Hypsaeus a. u. 629, neque hic, ut Octavius, *consularis* dicatur. Non facile mihi hoc eripietur, sic de illo iudicio narrare Crassum, ut ipso praesente accidisse videatur: atqui, a. u. 614 natus, non certe potuit puer tredecim annorum in foro versari. Loqui autem Crassum de eo, quod sua memoria acciderat, et ipsum genus narrandi declarat, et reliqua exempla, quorum uni alterique *nuper* factum esse addit: tum, ubi de vetere memoria loquitur, diserte id significat, ut § 177, 180, 183. Videamus, an personae huic suspicioni conveniant. *Scaevola*, inquit Henrichsenius, est P. Mucius Pontifex, M. Pontificis (i. e. eius, qui cum Crasso plerisque honoribus functus est) pater. Sed per se nihil impedit, quo minus ipse Crassi collega intelligatur. *Hypsaei* nomini quum nulla dignitatis mentio addatur, prius dicendum est de *M. Crasso praetore.* Hunc coniicit tantum, non demonstrat Henrichsenius, praetorem fuisse a. u. 627 aut 628: contra Pighius, Annal. Tom. III.

diceret, turpi tutelae iudicio atque omni molestia, stul-
167 titia adversarii, liberaretur. Ego vero istos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim. Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed iuris civilis scientia quod alter plus, lege agendo, petebat, quam quantum lex [in duodecim tabulis] permiserat; quod quum impetrasset, causa caderet; alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod erat in actione, neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.

37 Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali
168 Q. Pompeii, [praetoris urbani,] familiaris nostri, sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, *Cuius pecuniae dies fuisset?* quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat, ut, si ille [infitiator] probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam

---

p. 141, item coniectura ex hoc loco ducta, ad a. u. 647 refert. *Cn. Octavium*, qui *homo consularis* appellatur, video intelligendum esse eum, qui a. u. 626 Consul fuit, sed quum multis annis post consulare illud nomen servari soleret, nihil pertinet ad iudicii istius annum definiendum annus Consulatus. Restat *Hypsaeus*, quem vir praestantissimus dicit esse M. Plautium Hypsaeum, Cos. a. u. 629; eaque definitione reliqua omnia niti videntur: nam, inquit, Hypsaeus non appellatur *consularis*, ut Octavius; igitur necesse est ante illius consulatum iudicium illud fuisse. Sed reticuit, quoniam *consularis homo* dicitur Octavius, ut in tanta dignitate admirabilior esset ignorantia iuris civilis, in Hypsaeo addi potuisse *praetorium* fuisse, aut consulatum tunc petivisse, eadem de causa: et neglexit praeterea alium esse posse Hypsaeum, nempe, ut coniecit Pighius ibid. p. 148, filium eius qui Consul fuerat. Tantum hinc exsistit, nullam esse temeritatem in Pighii coniectura (quod Orellio videtur in Onomastico p. 346, b), sed confirmari eam potius mea suspicione, loqui Crassum de iis, quibus ipse praesens interfuerat.

167. *quantum lex* [*in XII tabulis*] *permiserat*. Non ita solet Cicero XII Tabularum auctoritatem appellare, sed *legem XII tabularum*. Sed totum hoc iudicium otiosum mihi videtur, ideoque inclusi illa verba.

quod quum impetrasset, causa caderet. Coniunctivi h. l. nulla ratio reddi potest. Corrigendum, *cadebat*, i. e. necesse erat eum causa cadere. De usu Indicativi nonnulla eiusdem generis monuit Madvig Gramm. Lat.

esset coepta deberi, petitor, rursus quum peteret, ne exceptione excluderetur, *quod ea res in iudicium antea venisset.* Quid ergo hoc fieri turpius aut dici potest, 169
quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? Equidem propinquum 170
nostrum, P. Crassum, [illum Divitem,] et multis aliis rebus elegantem hominem et ornatum, et praecipue in hoc efferendum et laudandum puto, quod, quum P. Scaevolae frater esset, solitus est ei persaepe dicere, neque illum in iure civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi copiam assumsisset (quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius eius, est consecutus), neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset. Quid vero ille 171
M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa aetas in hac civitate ferre maximam

---

§ 348. — Statim post iterum Indicativus vindicandus, *quod erat* (al. *esset*), quippe istam explicationem non attingit constructio obliqua reliquorum.

168. *his paucis diebus.* Perperam Kayserus e Codd. revocavit *in his.*

[*Praetoris urbani*] Putidae diligentiae additamentum protinus abiiciendum est.

si ille [*infitiator*]. Pron. *ille* non indigebat illa interpretatione, in qua proprietatem etiam desidero.

170. *P. Crassum*, [*illum Divitem*]. Nemo admonitus, puto, dubitabit, quin *illum Divitem* interpolata sint. Nusquam a Cicerone huic P. Crasso hoc cognomen addi solet, minimeque omnium h. l. aptum erat, quum *propinquum* suum iam appellasset Crassus, nec cognomini soleat praemitti Pronomen *ille*: sed neque infra, § 231, neque II. § 284 cognomen ponitur, neque infra § 211, *P. Lentulum, principem illum.* Ne ipsum quidem P. Crassum, qui primus Divitis cognomen tulit, sic appellat Cicero in Bruto § 77, aut Orat. III. § 134. Conf. infra, § 216 et 239.

neque illum in iure civili satis illi arti facere posse. Contra Ernesti iudicium servavi verba *illi arti.* Mea interpretatio verborum haec est, ut *in iure civili* sit pro, quum suscepisset munus respondendi de iure, *satisfacere* autem *illi arti* dicatur pro, tantum auxilii aliis praebere, quantum ab illa arte postularetur.

171. *ille M. Cato.* Quod Pron. h. l. recte ponitur cum Catonis nomine, id iure sustulisse mihi videor in Verr. II. § 5, de quo loco dixi Scholic. Hypomn. IV. p. 195.

idem hoc semper ius civile contempsit. Kayserus verba *ius civile* spuria

potuit, et iuris civilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror; sed tamen idem hoc semper [ius civile] con-
172 tempsit. Verum, quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo, et, quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

38 Antonii incredibilis quaedam, et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiam si hac scientia iuris nudata sit, posse facile ceteris armis prudentiae causas tueri atque defendere: quamobrem hic nobis sit exceptus: ceteros vero non dubito primum inertiae con-
173 demnare sententia mea, post etiam impudentiae. Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto, sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, pa-

---

videtur habere. Non improbo eius suspicionem: nam et facile iis caremus post *hoc*, quod referri apparet ad iuris civilis mentionem in Catone, et inscite verba illa isto loco collocantur.

172. *etiamsi hac scientia iuris nudata sit*. Nihil intercederem, quo minus corrigeretur *nudata est*, nisi potius alia istic corrigenda restarent. Igitur Antonii *vim ingenii* dici *nudatam hac scientia*, minus Latinum esse contendo, quoniam *nudatus* is dici solet, cui aliquid detractum sit, aut qui amiserit, quod habuerit, id quod non cadere apparet in *vim ingenii*. Neque, opinor, a Crasso exspectari poterat, ut quacumque re aut facultate Antonium *nudatum* esse diceret. Natum existimo illud e corrupta huius loci lectione, excogitato eo, sine quo verborum constructio non absolveretur, quo expulso legendum est, *etiam sine hac scientia posse facile* —. In his *iuris* vocab. quoque omisi, primum otiosum, propter pron. *hac*, tum, quod *scientia iuris civilis*, non *iuris* dici solet apud Ciceronem: eodemque modo corrigendum § 175, *sine illa scientia*, abiecto *iuris*. Notavi de hoc usu Scholic. Hypomn. V. p. 324.

non dubito. Praestare mihi hoc videtur prae altera lectione, *dubitabo*. Conf. quae dixi Scholic. Hypomn. V. p. 12.

impudentiae — inertiae. Perperam vulgo haec transposita eduntur: illum ordinem vindicant seqq., et § 185.

173. *testamentorum* [*ruptorum aut ratorum*]. Non propterea duo illa abiicienda censeo, quod nusquam illis utatur Cicero, neque quod adiectis illis discedatur a more, qui in superioribus

rietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum [ruptorum aut ratorum], ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, quum omnino, quid suum, quid alienum, qua re denique civis an peregrinus, servus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus 174
navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes, aut etiam maiores, gubernare didicisse. Tu mihi, quum in circulo decipiare adversarii stipulatiuncula, quum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur, ego tibi ullam causam maiorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto [Argonautarum] navem gubernarit. Quid? si 175
ne parvae quidem causae sunt, sed saepe maximae, in quibus certatur de iure civili, quod tandem os est eius patroni, qui ad eas causas sine illa scientia [iuris] audet accedere? Quae potuit igitur esse causa maior, quam illius militis, de cuius morte quum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, et pater eius, re credita,

---

servatur, ut singula simpliciter appellentur, sed quoniam sunt sane *testamentorum iura*, sed nulla sunt *ruptorum*. Interpolationem senserat iam Ernestus.

qua re denique civis —. Non tuetur suum locum illud *denique*, et suspicor ante haec excidisse alia, v. c. in hanc sententiam, *quo quisque iure et conditione*. E Vindob. edidi *an peregrinus*, et *an liber*: vulgo utrobique *aut*. Mox praestabit, *impudentia*.

174. [*Argonautarum*]. Putidum emblema abiiciendum: oppositionem absolvunt *navicula* et *navis*, tum, *portus*, qui tutus, et *Pontus Euxinus*, qui semper procellosus est.

175. *in quibus certatur*. Qui omiserunt praepositionem, non reputaverunt, cum *certandi* verbo si Ablativus iungitur, hunc esse instrumenti. Igitur mox aliquoties recte dicitur *in ea causa*. Mox, pro *sine ulla*, dedi *sine illa*: conf. ad § 172.

res delata est ad centumviros —. Turbatum fuit in totius loci et lectione, et interpunctione. Quemadmodum vulgo edebatur, (*res delata est — filius. In ea causa* —) hoc videtur gravissimum, *rem delatam esse*: sed non nisi hoc explicare voluit, causam illam defendi non potuisse nisi ex intima iuris civilis scientia. Igitur in eam formam revocanda est sententia, ut manifesto apodosis a protasi discernatur, quod consequemur, abiectis inutilibus emblematis, sic locum refingentes, — *essetque ipse mortuus, re delata ad centumviros, quum miles — paternam, quaesitum est, possetne paternorum* —.

testamentum mutasset, et, quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus, res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem paternam [testamento exheres filius. Nempe in ea causa] quaesitum est [de iure civili], possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatim.

39 Quid? qua de re inter Marcellos et Claudios patricios
176 centumviri iudicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii eiusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent, nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum?
177 Quid? quod item in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, quum Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset, intestatoque esset mortuus, nonne in ea causa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono?
178 Quid? nuper, quum ego C. Sergii Auratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Quum enim M. Marius Gratidianus aedes Auratae vendidisset, neque servire quandam earum aedium partem in mancipii lege dixisset, defendebamus, quicquid fuisset incommodi in mancipio, id, si venditor scisset, neque

---

177. *quum Romam in exsilium venisset.* Necessario suscipitur Ellendtii correctio, *quum*, pro vulg. *qui*. In Niebuhrii Hist. Rom. I. p. 360 ed. 3tiae, frustra quaesivi demonstrationem idoneis auctoribus nixam, quae explicaret illud *ius applicationis*. Sed totius sententiae compositionem minus intellexerunt ii, qui lacunam esse pronuntiarunt post verba *esset mortuus*, quibus astipulari videtur Madvigius quoque Emendatt. p. 178. Nempe protasis inchoatur Relativo *quod* (sicut modo, *qua de re*, et eodem modo § 183), et, post plura interposita, apodosis nova forma inchoatur, *nonne in ea causa* —. In fine huius loci interpolata esse existimo verba *a patrono*.

178. *neque servire quandam earum aedium partem dixisset.* Necessario corrigendum, *quamquam*.

179. *et suo valde sapiens et a iuris*

declarasset, praestare debere. Quo quidem in genere 179
familiaris noster, M. Bucculeius, homo neque meo iudicio stultus, et suo valde sapiens, et a iuris studio [non] abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam, quum aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit; Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicumque particulae coeli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat. Quid vero? clarissima M' Curii causa Marcique 180
Coponii nuper apud centumviros quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est? quum Q. Scaevola, aequalis et collega meus, homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, et oratione maxime limatus atque subtilis, atque (ut ego soleo dicere) iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus, ex scripto testamentorum iura defenderet, negaretque, nisi postumus et natus, et ante, quam in suam tutelam venisset, mortuus esset, heredem eum esse posse, qui esset secundum postumum [et natum et mortuum] heres institutus; ego autem defenderem, hac tum mente fuisse eum, qui testamentum fecisset, ut, si filius non esset qui in tutelam veniret, M' Curius esset heres; num destitit uterque nostrum in ea causa in auctori-

---

studio [*non*] *abhorrens.* Ipsa argumentatio arguit negationem vitio huc irrepsisse, corrigendumque esse, *sed a iuris civilis studio abhorrens.*

uti tum essent. Praestabit, *erant.*

180. *qui esset secundum postumum* [*et natum et mortuum*] *heres institutus.* Nulla, ut opinor, controversia esse potuisset, si ea verba, quae ut insititia inclusi, in testamento addita fuissent: sed erat hoc a Scaevola excogitatum, ut defenderet testamentum ex scripto.

ego autem defenderem. Merito repudiata est Camerarii coniectura, *ego voluntatem def.*: ea enim voluntas mox *mentis* vocabulo designatur. E libris apparet antiquitus iam turbatum fuisse in seqq., ita ut vulgo editum sit, *eum hac tum mente fuisse.* De meo revocavi Pron. in suum locum, ut statim sequatur *qui.*

tatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est in medio iure civili versari?

40 Omitto iam plura exempla causarum amplissimarum,
181 quae sunt innumerabilia: capitis nostri saepe potest accidere ut causae versentur in iure. Etenim si C. Mancinum, nobilissimum atque optimum virum, atque consularem, quum eum propter invidiam Numantini foederis pater patratus ex senatusconsulto Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis, iussit educi, quod eum civem negaret esse, quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse
182 postliminium; quam possumus reperire ex omnibus rebus civilibus causam contentionemque maiorem? [quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis consularis, praesertim quum haec non in crimine aliquo, quod ille posset infitiari, sed in civili iure consisteret.]

---

181. *exempla causarum amplissimarum.* Novi *causarum magnitudinem* (I. § 15), *amplitudinem* non noveram.

etenim si C. Mancinum. Quod dudum correxeram, *si*, pro vulg. *sic*, post vidi confirmari librorum et vett. Editt. auctoritate, probarique Madvigio.

quum eum propter invidiam. In compluribus libris omittitur *eum*: et, quoniam Rutilii factum non alio pertinet, nisi ad postremum, *quum Mancinus in senatum introire non dubitasset*, non oportebat Ellendtium dubitare, quin, pro *quum eum*, recte corrigatur *quem*.

[*quam de ordine, de civitate — consisteret.*] Rursus incidimus in eiusmodi locum, qui non tantum inutilis est in demonstrationis absolutione (nam hoc fortasse ignoscendum erat), sed iis verbis compositum, quae vel ab argumento aliena sunt, vel Latinitati adversantur. In Mancini causa non quaerebatur *de ordine*: tum, nec *civitas*, nec *libertas* (quamquam haec quidem nunc omittenda erat), nec *caput*, nec *homo consularis* appellanda erant, quum iam dictum esset fuisse eam *capitis causam*. Quod autem reliqua adduntur, praemissa formula *praesertim quum*, in eo peccatum est, quod tum ea formula poni solet, quum aliquid memoratur, quo firmius affirmatur id, quod antecesserat: sed contentio in Mancini causa non ideo aut maior, aut gravior erat, quod *in civili iure consisteret*: ipse modo causam illam ad *res civiles* retulerat. Quod autem in his postremis dicitur, *crimen infitiari*, Latinum propterea non est, quod et *crimen*, et ipsum *infitiari* necessario obiectum habere oportet *factum*: ideo Milon. § 96

Similique in genere, [inferiore ordine,] si quis apud nos servisset ex populo foederato, seseque liberasset, et postea domum revenisset, quaesitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, et amisisset hanc civitatem. Quid? de libertate, quo iudicium 183
gravius esse nullum potest, nonne ex iure civili potest esse contentio, quum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an ubi lustrum sit conditum, liber sit? Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuus esset intestato, et ex utraque filius natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est, quum quaereretur de duobus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre? quae, si iudicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis fieri cum superiore divortium, in concubinae locum duceretur. Haec igitur et horum similia iura 184

---

facti crimen dicitur, et Coel. § 65 *maximi facinoris crimen*: et, ut quum aliunde constat, tum ex II. § 105, non *crimen*, sed *factum*, quod obiicitur *infitiantur* et *negant* rei, et quamquam *causae* dicuntur esse *criminum*, in his tamen non nisi *facti controversia* est. Postremo, defendi non posse existimo, quod dicitur *causa in iure civili consistere*: et apparet in Orat. pro Quinctio § 32 *causam* totam dici *consistere in facto* et in statu rerum, omnino in eo, *quod* (ut loquitur Antonius II. § 108,) *causam facit*: eodemque modo loquitur Fat. § 8: diversumque est, quod infra, § 238, *causae in iure positae*, et quod mox dicitur, § 183, *ex iure civili esse contentionem*. His de causis totum hunc locum a male sedulo annotatore insertum esse suspicor: quique orationis iter in hac Crassi disputatione observant, non dubitabunt agnoscere illis sublatis aliquanto melius sic eum pergere, *similique in genere* —.

[*inferiore ordine*]. Merito Kayserus haec insititia esse iudicat: ne Latinum quidem est, quoniam eiusdem generis non distinguuntur *ordines*.

183. *quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias — mortuus esset intestato*. Sic, ut correxeram, edidit Kayserus, quum omnes libri habeant *mortuusque esset*, iugulata sententiae constructione, quoniam, quod *usu venisse* dicitur, sine controversia hoc ipsum erat, illum patremfamilias *intestato mortuum esse*, ex utraque uxore filio relicto: post quam protasin sequitur haec apodosis, *mediocrisne* —.

184. *prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem*. Haereo in eo, quod, primum, *lux ingenii*

suae civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem vagari cum magna caterva toto foro, praesidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

41 Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam
185 segnitiem hominum atque inertiam. Nam si esset ista cognitio [iuris] magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii immortales, non dicerem hoc audiente Scaevola, nisi ipse dicere soleret, nullius artis
186 faciliorem sibi cognitionem videri. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur: primum, quia veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae [suae] causa, pervulgari artem

---

dicitur (quum id ingenio tribui exspectes, quod non longe a *praesidio*, et *ope* discedat), tum, *lucem porrigere*. Ne *tendendi* quidem verbum aptum esse mihi videtur, et exspectaveram *venditantem*, aut *ostentantem*. Conf. Somn. cap. 2.

185. *castigemus etiam segnitiem*. Hoc est alterum de duobus: conf. § 172, fin. Sed ideo minus aptum est *etiam;* et in persequendo illo ordine postulatur *iam*.

si esset ista cognitio [*iuris*] *magna atque difficilis*. Non puto probari posse, ut *cognitio* illa *magna* esse dicatur: *ars* recte et *magna et difficilis* dicitur mox, § 190. Suspicor, post *iuris* excidisse, propter similitudinem syllabae finalis, *res*. Eodem modo *rem* appellat Antonius II. § 30. Videndum praeterea utrum post Pron. *ista* locum suum tueatur Genitivus epexegeticus, *iuris*, an hoc ipsum putide interpolatum sit. Conf. ad § 172.

186. *qui huic scientiae praefuerunt*. Contuli huius locutionis alia exempla ad Legg. I. § 14: tum recte interpretatur Madvig. in Fin. IV. § 76, ex qua interpretatione consequitur minus proprie dici *scientiae praeesse:* et mox, § 198, non dicitur *cognitioni*, sed *iuri civili praeesse:* et, quoniam statim post *artem* appellari videmus, h. l. certe aptius diceretur (ut post, § 235), *qui huic studio praef.*.

[*nihil est enim — artem efficere possit*]. Qui modo contenderit, artis istius cognitionem rem facillimam esse, eum minime decet hoc postulare, quo ista cognitio impeditior fiat, proposita altera illa *scientia, ut ex iis rebus* cet. Quumque modo dixisset, *nullos fuisse, qui illa artificiose digesta generatim componerent*, non oportebat tamquam explicationem eius affirmationis hanc subiicere, *nihil ad artem rediqi posse, nisi —:* requirebatur potius ea explicatio (*enim*), quae doceret id, quod hucusque neglectum fuisset, non adeo difficile aut absconditum esse. Hoc obtinebimus, si locum hoc modo constituemus; *nihil est enim, quod ad artem rediqi non possit, si ille prius —*:

suam noluerunt: deinde, posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. [Nihil est enim quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit.] Hoc video, dum 187
breviter voluerim dicere, dictum a me esse paulo obscurius: sed experiar, et dicam, si potero, planius.

Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, di- 42
spersa et dissipata quondam fuerunt, ut in musicis numeri et voces et modi, in geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines, in astrologia coeli conversio, ortus, obitus, motus siderum, in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus,

---

in quibus nihil nisi negationem transposui. Sic demum occurritur iis, qui fortasse contenderent, istius rei nullam artem effici posse. Nihilominus frustra corrigemus, si concedetur nobis totum hunc locum (*nihil est enim — efficere possit*) esse insititium. Non sane magni momenti est, quod Ernestus ideo eum parum Cicerone dignum iudicabat, quod Pron. *ille* tam brevi intervallo recurrat (quamquam non satis prudenter ab Ellendtio defensum), sed in compluribus aliis disceditur a vera enuntiandi norma. Sine idonea causa in his, *qui illa tenet*, neutrum plurale servatur: tum, *artem instituere* Latinum non est: idemque dicendum de his, *habere scientiam, ut artem efficere possit ex rebus*, in quibus singula, quae vitiosa sunt, notanda. Primum, syntaxis haec in vitio est, *habere scientiam, ut possis efficere*, quasi dicas *habere scientiam facultatis*: nullum alium Genitivum admittit *scientia*, nisi eius obiecti, in quo versatur. Ipsum porro *habere scientiam* neque defenditur exemplo ad Div. VII. 3, 4, neque Philipp. II. § 8, neque Divin. II. § 131. Porro, *ex rebus artem efficere* ita dicitur, tamquam si *res* illae essent materies, quod a re et veritate alienum. Quumque subiicitur, *hoc video — obscurius*, nulla in illa sententia neque brevitas, neque obscuritas inerat: sed aptissime haec subiicientur illis, *qui illa artificiose digesta generatim componerent*. Neque attinebat *illam scientiam* nunc explicari, quod mox suo loco et perspicue fit, § 188, init.

187. *motus siderum*. Vulg. *motusque siderum*. Sed, ut in reliquis huius loci partibus, ita hic quoque copula melius abest.

[*ignota quondam — videbantur*.] Non tantum inutilia et molesta adeo haec esse apparet, sed ne recte quidem dicta, quoniam non sane erant ista *ignota*, sed, ut modo dicebatur, *dispersa et dissipata*; poterat quoque *diffusa* (ut II. § 142 ius ipsum civile *diffusum* dicitur), non item *late diffusa*, quod esset ad multa et multos pertinentia.

in hac denique ipsa ratione dicendi excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere [ignota quondam omni-
188 bus et diffusa late videbantur]. Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure civili finis hic, legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis con-
189 servatio: tum sunt notanda genera, et ad certum numerum paucitatemque revocanda (genus autem est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes; partes autem sunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, subiiciuntur): omniaque, quae sunt vel generum, vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum: est enim definitio earum rerum, quae sunt eius rei propriae, quam definire volumus,
190 brevis et circumscripta quaedam explicatio. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi, apud quos haec haberetur oratio, cernerem: nunc complectar, quod proposui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod iam diu cogito, aut alius quispiam aut, me impedito, occuparit, aut, mortuo, effecerit, ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiat; tum propriam cuiusque vim definitione declaret; perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnam

---

Qui porro sunt illi *omnes?* Nec *videbantur* illa diffusa, sed *erant*.

188. *quod sibi totum.* Repudio id, quod conieceram, *quam sibi totam*, scil. artem. Nec tamen, secundum Ellendtium, dicitur *aliud genus artis assumere.* Intelligit dialecticam, quam totam sibi vindicant philosophi, quaque continetur illa *ars*, de qua nunc sermo est. Sic § 193 civilis scientia dicitur esse *cuiusdam ex alio genere prudentiae*, quippe hanc quoque philosophi retinebant: conf. Legg. I. § 62.

189. *omniaque, quae sunt — nomina.* Non attinebat *omnia nomina* dici. Corrigendum est, *nominaque, quae sunt — partium*, abiecto illo *nomina*, quod per errorem huc intrusum est.

191. *hominem acutissimo omnium ingenio.* Non abutar cuiusquam otio

atque uberem, quam difficilem atque obscuram. Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri iusta iuris civilis scientia.

Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acu- 43
tissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus 191
eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit semperque vixit, ita tenere ius civile, ut ei, quum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? Omnia sunt enim posita ante oculos, collocata in usu 192
quotidiano, in congressione hominum atque in foro; neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur: eadem enim elata sunt primum a pluribus, deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus scripta sunt saepius. Accedit vero, quo 193
facilius percipi cognoscique ius civile possit (quod minime plerique arbitrantur), mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio. Nam, sive quem haec Aeliana studia delectant, plurima est et in omni iure civili, et in pontificum libris, et in duodecim tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant: sive quis civilem scientiam (quam Scaevola non putat oratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiae), totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, duodecim tabulis contineri videbit: sive quem praepo-

---

ut demonstrem, istud *omnium* e dittographia ortum esse, easque laudes turpi hyperbole laborare. Corrigendum est, abiecto illo *hominem*, *acutissimo hominem ingenio*.

ab hoc, i. e. a Scaevola. Utar hoc exemplo ad II. § 88.

192. *paucis verbis commutatis etiam — scripta sunt saepius*. Deleto *etiam*, quod h. l. nulla ratione defendi potest, legendum *eadem ab iisdem* —.

193. *sive quis civilem scientiam*. Fieri potest ut exciderit *amplectitur*. Modo, *Aeliana*, debetur Madvigii coniecturae.

hos habebit fontes. De meo correxi, *hos*, pro vulg. *hosce*: de Ernesti coniectura, *habebit*, pro vulg. *habet*: atque sic reliqua suadent.— Sed liberanda mihi videbatur oratio turpi interpretamento, *qui iure civili* —

tens ista et gloriosa philosophia delectat (dicam audacius), hos habebit fontes omnium disputationum suarum
194 [,qui iure civili et legibus continentur]: ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, quum verus, iustus atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur, vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur: et docemur non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus absti-
44 nere. Fremant omnes licet, dicam, quod sentio; biblio-
195 thecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur duodecim tabularum libellus, si quis legum

---

continentur, quum ne apte quidem *fontes* dicantur *contineri legibus*.

194. *ex his enim — videmus*. Nullo modo ferendum est *videre ex aliqua re*; corrigendumque *discimus*, sicuti mox dicitur *docemur*. Sed ne reliqua quidem integra ad nos perlata sunt. Nihil adiuvant vel libri, vel vett. Editiones. Edi solebat, *quum verus et iustus atque honestus labor*, in quibus quid sibi offensioni esset, Madvigius declaravit apud Henrichsenium ad h. l. Conf. Opusc. Acad. I. p. 336. Wesenbergius et *quum* in *quoniam*, et *verus* in *virtus* mutari voluit, tum *et iustus* abiici; in qua opinione hoc mihi videtur improbandum esse, quod *virtus* iam nomine *dignitatis* modo significata erat, ipsaque *dignitas* nihil aliud est, quam *honestum*. Nihil ipse expedio: tantum quod ad sententiae compositionem attinet, non reticebo, exspectavisse me, ut ea huiusmodi fuisset, *quum laborem decorari videmus*, et mox *multari*. Discedendumne sic est ab hoc loco? Non dubito dicere, quod sentio, quamvis fastidiosus et nimis suspiciosus habear. Nullae leges aut virtutem aut laborem decorare dici possunt, nec *honoribus* aut *praemiis*, quae non nisi vel a populo, vel a senatu decernuntur (conf. Balb. § 16, ad Div. XV. 4. 35, sq.), multoque minus *splendore*, qui non decernitur, sed comes est dignitatis et amplitudinis et rerum gestarum: idemque dicendum de reliquis, in quibus et *damna*, et *ignominiae*, et *exsilia*, contra constantem consuetudinem, plurali numero enuntiantur (conf. Offic. III § 23.): in quibus neque hoc negligendum est, quod traditur Caecin. § 100, *nulla in lege nostra reperietur, maleficium ullum exsilio esse multatum*. Sequuntur haec, *infinitae concertationumque plenae disputationes*, quorum vix quidquam apte dictum. Novimus ex his ipsis libris *infinitas quaestiones*, i. e. de re infinita; sed nusquam reperimus *infinitas disputationes*, quas ne sic quidem interpretari licebit, ut sint disputationes, quae non facile ad exitum perveniant: tum, pro *concertationum plenae*, dicendum fuerat *concertationis pl.*, quo singulari Genitivo rei character indicatur, sicut orationis genus Stoico-

fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. Ac si nos, id quod maxime 196
debet, [nostra] patria delectat, cuius [rei] tanta est vis [ac tanta natura], ut [Ithacam] illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret; quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cuius primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet, vel quia est [patria] parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in iure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et 197
voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores

---

rum dicitur *plenum artis*, Brut. § 114. Postremo, neque *domare libidines* dicendum erat, et omitti oportebat *omnes*; et, quod praecipitur *nostra tueri*, nihil attingit reliqua, quae singula vetandi consilio dicuntur: et haec omnia dici *doceri* nos *auctoritate nutuque legum* insignis abusus vitio laborat, siquidem nulla auctoritas *docet*, sed *movet* potius. Mei iuris si esset, expulso toto illo loco, sic continuarem sententias, quarum naturalem seriem interruptam videmus: — *hos habebit fontes omnium disputationum suarum. Fremant omnes licet*, cet.

195. *legum fontes et capita.* Nullos hic *fontes legum* appellari oportebat, quum modo ipsae leges dicerentur *fontes disputationum*. Sed intelligerem, *legum vocem.*

196. *ac si nos, id quod maxime debet, [nostra] patria delectat.* Nec per se illud Pron. ferri potest, et in ea sententia apud Ciceronem omitti solet, ut infra, § 247, Fin. I. § 24, et in notissimo loco Offic. I. § 57. Tum, corrigendum, *decet*, pro *debet*: in eadem sententia, sed diversa forma, Legg. II. § 5, posuit *necesse est*. Quod autem adiicitur, *cuius rei tanta est vis*, in his concedi non potest, ut illud *delectare* indicetur *rei* nomine: *cuius*, i. e. patriae: tum, *rei* delendum.

[*ac tanta natura*]. Recte sane dici poterat istius patriae amoris *tantam esse vim*; sed *tantam naturam*, ridiculum est. In longe diverso argumento *vis et natura* iungi solent, veluti infra, § 212. Conf. quae notavi ad Legg. p. 329, sq.

[*Ithacam*] *illam.* Iam ipsum Pronomen arguit, nomen *Ithacae* interpolatum esse, quod sane negligi non poterat Legg. II. § 3.

quia est [patria] parens omnium nostrum. Manifestam interpolationem indicavi.

197. *percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem.* Non una de causa haec corrupta esse videntur. Primum, si ista *voluptas*, qua in re cerneretur, in adiectis demum explicatur (*quod, quantum* —), non oportebat *illam* praemitti, sed *hanc*: quo nomine fortasse probanda est altera lectio, *illa*, quod Pron. ad prae-

prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum [Lycurgo et Dracone et Solone] nostras leges conferre volueritis: incredibile est enim, quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac paene ridiculum: de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus, et maxime Graecis, antepono. His ego de causis dixeram, Scaevola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, iuris civilis cognitionem esse necessariam.

45 198 Iam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? Itaque, ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur; [sic] in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir,

---

cedd. refertur. Tum, offendit additum *iuris*, prorsus abundans. Maxime ab hac sententia aliena est tum *laetitia*, tum *voluptas*: ne *percipere* quidem *laetitiam*, in hac certe disputatione, tam recte dicitur, quam *percipere voluptatem*; quamquam Epicureo conceditur ut dicat *cognitionem rerum afferre voluptatem*, et ut *laetitiam* interpretetur *voluptatem*, Fin. I. § 25. Verius multo et modestius Crassus modo, § 193, appellaverat *suavitatem et delectationem in cognoscendo*: et Antonius, Crasso respondens, quum ipsum illud *delectationis* vocabulum suscipit, non nisi ridendo *voluptatem* interpretatur, § 246. Si porro attendimus seriem argumentandi, agnoscendum est totum hoc (*percipietis etiam* —) sic proponi, tamquam si novum quid et diversum a proxime antecedentibus esset: ac tamen illa comparatio Romanae civitatis cum Graecorum institutis arctissime coniuncta erat cum eo, quod modo commendabatur, ut *mens*, *mos*, *disciplina nota esset* patriae, illaque comparatio isti scientiae tamquam consectarium adiungitur. Tantum videre mihi videor, quum modo dictum esset *primum* (*cuius primum*), huic ex altera parte respondere *tum*: et, quamquam nihil malo definire, aptam fore sententiarum coniunctionem putarem, si, reliquis (*percipietis — quod*) omissis, legeretur, — *comparandis: tum, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, facillime intelligetis, si* —.

si cum illorum [*Lycurgo et Dracone et Solone*] *nostras leges conferre volueritis*. Recte mihi videtur Kayserus illa nomina pro insititiis habere: quamquam, ut isti ipsi sic legibus opponantur, nihil habet novi, et commendatur notissimo exemplo Offic. I. § 76, sicut mox *nostrorum hominum prudentia* opponitur *ceteris*.

198. *itaque, ut apud Graecos* —; [*sic*] *in nostra civitate* —. In his hoc primum

ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est

egregie cordatus homo catus Aeliu' Sextus,

multique praeterea, [qui,] quum ingenio sibi [auctore] dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio valerent. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod ho- 199
nestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis; ut, quum me vires (quod fere iam tempus adventat) deficere coepissent, ista ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et rei publicae muneribus perfunctum [senem] posse suo iure di-

---

Vitiosum est, quod, quae inter se opposita sunt (conf. § 253), comparantur per partic. *ut* —; *sic*, tamquam si prorsus similia essent. Tum, suspensa constructio verborum est in his, *amplissimus quisque*, quae verbo carent. Quae vitia sic corrigenda sunt, ut et *sic* deleatur, et *qui*, post *multique praeterea*.

quum ingenio sibi [*auctore*] *dignitatem peperissent*. Merito extruditur *auctore*: nihil est, nisi librarii lapsus, qui, *auctoritatem* se legisse putans, vitii initium delere neglexit. Geminus huic locus est Offic. II. § 65 sq., ubi duo illa, *iuris civilis cognitio atque interpretatio*, et *dicendi facultas* (ut h. l. *ingenium*, et *ius respondere*), a se invicem distinguuntur. Sed neque istic, neque Muren. § 29, ulla *auctoritatis* mentio, ubi de utriusque operae fructu agitur: quo vocabulo mox quoque eiecto, legendum *ut* [*in*] *respondendo iure plus etiam, quam ipso ingenio valerent*: in quibus *ius respondere* i. q. mox *iuris interpretatio*.

199. *ad decus atque ornamentum senectutis*. Minus accurate h. l. Cicero scripsisse videtur Madvigio Ep. Crit. p. 70, quod *ornamentum* posuit, non *ornatum*, quem refutavi Bibl. Crit. N. V. p. 21. Dicitur *ornatus* v. c. templi, aut coeli, aut totius mundi, similiumque, qui ad totius rei speciem et aspectum pertinet: sed *ornamenta* sunt singula, quae ornant, ut h. l. quae senectutem ornant, quum *senectutis ornatus* ne cogitari quidem possit.

ista ab solitudine. Ponitur necessario *ista*, nempe *senectutis*.

perfunctum [*senem*] *posse* — *dicere*. Putidum emblema tollendum erat.

ille [*Pythius Apollo*]. Non opus esse puto, ut demonstrem, Pron. *ille* poni solere pro eo, qui abunde cognitus est: igitur abiiciatur nomen interpolatum.

summarum rerum incerti. Commen-

cere idem, quod apud Ennium dicat ille [Pythius Apollo], se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, sat omnes sui cives consilium expetant,

> *summarum rerum incerti: quos ego mea ope ex incertis certos compotesque consili*
> *dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.*

200 Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est huius [ce Q. Mucii] ianua et vestibulum, quod, in eius infirmissima valetudine affectaque iam aetate, maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur.

46 Iam illa non longam orationem desiderant, quam
201 ob rem existimem publica quoque iura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum et vetustatis exempla oratori nota esse debere: nam, ut in rerum privatarum causis atque iudiciis depromenda saepe oratio est ex iure civili, et idcirco, ut ante diximus, oratori iuris civilis scientia necessaria

---

datum ab Editoribus, pro altera lectione, *suarum*.

200. *huius* [*ce Q. Mucii*] *ianua*. Simplex Pronomen, tum sine addito nomine eius, qui aderat, relinquendum erat: conf. ad § 193.

201. *monumenta rerum gestarum*, i. e. historia. Quo modo *monumentum* dici soleat, attigi Scholic. Hypomn. V. p. 22, sqq.

iis oratoribus, qui versantur in re publica. Haec sic leguntur, ut videatur duplex genus oratorum fingere, quorum alii in rerum privatarum causis, alii in publicis causis versarentur; sed contra constantem Crassi sententiam, qui perfecto oratori utrumque munus mandat. Praeterea offensioni est ipsum illud *versari in re publica*, quod cave, ne interpreteris, quasi esset vel *attingere*, vel *capessere rem publicam*: nihil est, nisi πολιτεύεσθαι, i. e. se gerere in re publica, quod de Attico usurpavit Corn. Nepos XXV. 6. 1: igitur perperam h. l. ponitur pro *versari in causis publicis: in publicis rebus versari* dixerat Invent. I. § 4. Ipsum quoque illud *oratoribus* molestum est, quum bis iam Dativus, *oratori*, praecesserit. Abiectis iis, quae satis imperite inculcata sunt, legendum, — *tamquam aliqua materies ei subiecta esse debet*.

202. *clamatorem*. Vulg. *proclamatorem*, quod quum correxissem, Editores secuti sunt. Conf. III. § 138. Brut. § 182.

conquirimus. Admonitus quisque concedet mihi, hoc compositum ab h. l. alienissimum esse. Corrigendum *quaerimus*.

est; sic in causis publicis iudiciorum, contionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria, et publici iuris auctoritas, et regendae rei publicae ratio ac scientia, tanquam aliqua materies ei[s oratoribus, qui versantur in republica,] subiecta esse debet. Non enim 202
causidicum nescio quem, neque clamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putatur; ut id ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur: deinde, qui possit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari: tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium, supplicioque constringere, idemque, ingenii praesidio, innocentiam iudiciorum poena liberare, idemque languentem labantemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare: qui denique, quemcumque in animis hominum motum

---

tamen esse deus putatur. Non accipio viri docti opinionem haec sic corrigentis, *tamen dedisse deus putatur*, quoniam his eadem continetur sententia, atque ea, quae prodit in sequentibus, *divinitus ad nos delatum.* Piderítius, qui corrigere suadet *tum adfuisse deus putatur*, aliquanto nimium tribuit Quinctiliano. Madvigii coniectura (Ep. Crit. p. 106), *tamen invenisse deus putatur*, longius a sententiae consilio discedit. Non temere mihi videtur Cicero oratorem eius artis *antistitem* appellavisse, nempe ut mox ex eo *deum* faceret. Quapropter corrigo, *tamen ipse deus putatur.* Infra III. § 53, *quem deum — inter homines putant?* — Mox, secundum Heusingerum, correxi, *ut id ipsum*, pro *ut et ipsum.*

innocentiam iudiciorum poena liberare. Primum, nullae *iudiciorum*, sed *legum poenae* sunt: et frustra hoc exemplum suscepit Beier. ad Offic. III. § 36. Tum, ipsum illud *poena liberare* ideo vitiosum est, quod *liberari* dicimur eo, in quo versamur, itaque in eadem re, supra, § 32, recte dixit *periculis liberare.* Hinc suspicor, corrigendum esse, *innocentiam iudicio liberare*, ut modo dixerat de oratore, *supplicio constringere. Iudicio liberare* est quoque Flacc. § 98.

languentem labantemque populum. Ita quum correxissem vulg. *labentemque*, (a Lambino vidi occupatum esse) quod *labi* in ipso peccato dicitur, *labare* autem dicitur is, qui non firmus est, sed in deteriora coepit inclinare, non secuti sunt novissimi Editores.

res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit
203 vel sedare. Hanc vim si quis existimat aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat, neque solum inscientiam meam, sed ne rei quidem magnitudinem perspicit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa [ita] putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem (quod et infinitum est, et non necessarium), sed ut commonstrarem tantum viam, et, ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem.

47 Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te vi-
204 detur istorum studiis, si modo sunt studiosi, esse factum. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis (quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent esse se, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam); sic ego intelligo, si in haec, quae patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros ab hoc aditu

---

203. *ne rei quidem magnitudinem perspicit.* Ita correxeram vulg. *rerum*, secutusque hoc est Kayserus: conf. supra, § 16.

[*ita*] *putavi.* Intempestivum *ita* abiiciendum, quo minime pertinet sequ. *ut.*

fontes, unde hauriretis —. In hac sententia complura resecanda sunt, quae nimia interpretandi sedulitas inseruit, unde in eadem re bis *fontes* appellantur, tum, et *itinera*, et *via*, postremo, et *demonstrare*, et *commonstrare*. Vitiosum primum est plurale *itinera*, nusquam in eiusmodi argumento usurpatum: quo modo *iter* recte dicatur, attigi ad Legg. I. § 37: ineptum quoque est additum Pron. *ipsa*: tum, si tamen opus esset *itinera* dicere, postularetur *itinera, quae iniretis*, ut hoc simile esset illius *fontes, unde hauriretis*. Igitur, sublatis illis interpretamentis, locus sic erit constituendus, — *fontes, unde hauriretis, putavi esse demonstrandos, non ut ipse dux essem — necessarium, sed ut digitum intenderem.* Nimirum putidum est hoc postremum prius explicari, verbis *commonstrare viam:* neque in eadem re diversae erant metaphorae sumendae, et *fontium*, et *viarum*, nam, ut mox, § 205, oportebat hoc plurali numero enuntiari. In eadem demonstratione utitur iisdem prope verbis Antonius II. § 174.

204. *ab hoc aditu ianuaque patefacta.* Proprie dicitur *ab hoc aditu pervenire aliquo*, non item *ab hac ianua:*

ianuaque patefacta. Nobis vero, inquit Sulpicius, ista 205
sunt pergrata perque iucunda: sed pauca etiam requirimus, inprimisque ea, quae valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt, quum illa te et non contemnere, et didicisse confiterere. Ea si paulo latius dixeris, expleris omnem exspectationem diuturni desiderii nostri: nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere. Quid, 206
si, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestrae potius obsecutus sum voluntati, quam aut consuetudini, aut naturae meae, petimus ab Antonio, ut ea, quae continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est, explicet nobis, et illa dicendi mysteria enuntiet? Ut videtur, inquit Sulpicius: nam Antonio dicente, etiam quid tu sentias, intelligemus. Peto igitur, inquit 207
Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quaeri vides, sentias.

---

et nusquam Cicero ita *aditum* vel explicare vel ornare solet: quo emblemate abiecto, legendum, *ab hoc aditu patefacto:* conf. supra, § 98.

206. *quid, si.* Ab hac Coniunctione, *si*, nimis remota est sententiae absolutio: ut corrigendum censeam, *quidni*—.

Antonio dicente, etiam quid tu sentias, intelligemus. Nihil aliud est *etiam*, nisi *praeterea;* unde ridicula haec nascitur sententia, praeter Antonii sententiam, tuam quoque intelligemus; quasi diversae eae essent. Sed, quod praecessit, *ut videtur*, significat nihil interesse, utrum tu, an Antonius dicat, *nam, Antonio dicente, tamen quid tu sentias, intelligemus;* quo modo corrigendum est.

207. *ab horum adolescentium studiis.* Corrigendum puto, *studio:* ita mox, § 208, fin., *vestro studio inductus.*

deprehensum. Nondum plane video ipse, qua interpretatione hoc Participium in hac sententia defendi possit. Ferrem *prehensum*, tamquam inexspectato eventu *captum*, sicuti Coelius loquitur ad Div. VIII. 2, init.

requiruntur. Mutandum in *quaeruntur*, ut modo recte scribebatur, et iterum, § 208.

quod in causis valde fugere soleo. Referendum ad eum morem, ex quo eaedem causae a pluribus defendebantur; qui tamen mos Antonii aetate nondum valebat: conf. Brut. § 207; postea usurpari coeptum esse, novimus

48 Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane
video atque sentio, non solum quod ea requiruntur a
me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia,
quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse,
208 succedam, id me nunc isti vitare non sinunt. Verum
hoc ingrediar ad ea, quae vultis, audacius, quod idem
mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod
in dicendo solet, ut nulla exspectetur ornata oratio:
neque enim sum de arte dicturus, quam numquam di-
dici, sed de mea consuetudine, ipsaque illa, quae in
commentarium meum retuli, sunt eiusmodi, non aliqua
mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque trac-
tata; quae si vobis, hominibus eruditissimis, non pro-
babuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me
ea quaesieritis, quae ego nescirem: meam facilitatem
laudatote, quum vobis, non meo iudicio, sed vestro
209 studio inductus, non gravate respondero. Tum Crassus,
Perge modo, inquit, Antoni: nullum est enim pericu-
lum ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut ne-
minem nostrum poeniteat ad hunc te sermonem impu-
lisse. Ego vero, inquit, pergam, et id faciam, quod
in principio fieri in omni disputatione oportere cen-
seo, ut, quid illud sit, de quo disputetur, explane-

---

ex eodem Brut. § 318, deque abusu istius moris commemorat Asconius Argum. Scaur. in fine. Attamen idem mos respicitur infra, § 229, eumque ipse Antonius reprehendit, II. § 313.

209. *in omni disputatione*. Sic fidentur correxi id, quod ex omnibus libris editur, *in omnibus disputationibus*, quod longe ab illo diversum est: loquitur de instituto in quacumque disputatione servando: conf. Offic. I. § 7. Fin. II. § 4.

[*ne vagari — intelligant*]. Haec mihi videntur inculcata esse ab eo, qui alios locos nosset, quales v. c. apud Beierum conferri solent ad locum illum de Officiis. Sed, tum *errare* et *vagari* si dicitur *oratio*, in re longe diversa dicitur, ut III. § 190, et Orator. § 77: hoc loco certe non *orationem*, sed *disputationem* appellari oportebat: tum perperam, omissa definitione, disputatio dicitur *cogi* vagari, quam definitio potius cogit in ordinem: postremo, praecedente *de quo disputetur*, putide subiicitur *quo de agitur*; atque hoc ipsum unicum exemplum istius in Praepositione *de* anastrophes excitatur ad Offic. I. § 49, quum tamen propria sit formularum, quibus iureconsulti utuntur: vid. Muren. § 28. Topic. § 95. Non intercedam, si quis, contemtis rationibus, quas exposui, totum locum retinendum esse contendat; mihi tamen ista omnia tollenda videntur.

tur [ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, quo de agitur, intelligant]. Nam si forte quaereretur, quae esset ars 210
imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator; qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adiungerem de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi, quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem: utererque exemplis Africanorum et Maximorum: Epaminondam atque Hannibalem, atque eius generis homines nominarem. Sin autem quaereremus, quis 211
esset is, qui ad rem publicam moderandam usum et scientiam et studium suum contulisset, definirem hoc modo, qui, quibus rebus utilitas rei publicae pararetur augereturque, teneret, iisque uteretur, hunc rei publicae rectorem et consilii publici auctorem esse habendum: praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Ti. Gracchum, patrem, et Q Metellum, et P. Africanum, et C. Laelium, et innumerabiles alios quum ex nostra civitate, tum ex ceteris. Sin autem quaereretur, quis- 212

211. *sin autem quaereremus* —. In huius sententiae forma discedit Antonius a reliquis, quum et modo *oratoris*, ex mox *iuris consulti*, et aliorum ipsam appellationem ab initio poneret; nunc non unum vocabulum definiendum ponit, sed hoc pluribus verbis complectitur, *is, qui ad rem p.* —, (poterat autem *moderatorem rei publicae* appellare, ut fecit in V^to^ De Re Publica: conferendumque id, quod legimus supra, § 8.); in quo hoc quoque praeter expectationem accidit, quod in illo definiendo dicit *qui contulisset*, non *qui conferat:* et hoc quoque mirandum, ipsum illud definiendum sic proponi, non ut aliquo perfectae virtutis aut facultatis nomine contineatur, sed voluntatis tantum et *usus* et *studii*, quod quis eo conferat: tum dubitare licet, an proprie dicatur, ut *studium*, ita *usum* et *scientiam* aliquo *conferre*. Advertit me hoc quoque, quod statim iisdem verbis inchoatur proximum, § 212, *sin autem quaereretur* —: porro, quod praeter necessitatem in utraque parte sententiae *rei publicae* nomen ponitur. His de causis suspicor, huius loci ingressum ipsum molestis additamentis refertum esse.

212. *ad agendum*. Ernestus corrigebat *ad scribendum*, fretus loco Muren. § 19, ubi illa militia urbana describitur, *respondendi, scribendi, ca-*

nam iurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cavendum peritus esset: et ex eo genere Sex. Aelium, M' Manilium, P. Mucium nominarem. Atque, ut iam
49 ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poeta quaeratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius ab quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profitetur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat [omnium] rerum divinarum atque humanarum vim, naturam causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur.
213 Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus, qui mihi visus est [omnem] omnium [rerum atque] artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine: atque eum puto esse, qui verbis ad audiendum iucun-

---

vendi: cui opposui alterum locum, ibid. § 22, ubi coniunguntur *respondere*, *actionem instituere*, *cavere*.

qui de sua vi — profitetur. Haec sic dicuntur, quasi philosophus ipse suam artem ita definiret: contra Antonii sententiam: neque *profiteri de aliqua re* Latinum, sed *prof. se dicturum esse de* —, ut supra, § 103: quodque fertur Acad II. § 73, *nihil excipit, de quo non profiteatur*, apparet e superioribus cogitando supplendum esse *se loqui.* — Hinc conficio, verba illa, *de sua vi ac sapientia*, satis stulte interpolata esse: neque enim credibile est h. l. *sua* eo modo accipiendum, ut § 217 et sq.

[*omnium*] *rerum divinarum atque humanarum vim, naturam causasque nosse.* Non solet Cicero in saepius usurpata illa philosophiae definitione appellare *omnes* res divinas: cf. Tusc. IV. § 57. V. § 7. Offic. I. § 153: ideoque mihi istud insititium esse videtur. Tum, corrigendum *vim et naturam*, quae distingui non oportebat, potiusque simul unam notionem efficiunt.

213. [*omnem*] *omnium rerum — scientiam.* Illud *omnem* superfuit e dittographia. Sed ne per se quidem *omnis scientia*, cum illo Genitivo iunctum, defendi potest.

omnium [*rerum atque*] *artium.* Quum modo in philosophi definitione *res divinas atque humanas* posuisset, credibile iam non est hoc nunc Crasso obiici, quasi is in oratore *omnium rerum* scientiam postulavisset: nec facile quis dicat, quo modo, in huiusmodi sententia, a *rebus* discernendae essent *artes;* et nihil praeter *artes* appellat Cicero tum

dis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse praeterea instructum voce et actione et lepore quodam volo. Crassus vero 214
mihi noster visus est oratoris facultatem non illis arctis terminis, sed ingenii sui finibus immensis paene describere: nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit; in quo per mihi mirum visum est, Scaevola, te hoc illi concedere, quum saepissime tibi senatus breviter impoliteque dicenti maximis sit de rebus assensus: M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, [vir regendae rei publicae scientissimus,] si audierit, hanc auctoritatem [gravitatis et] consilii [sui] vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas, iam, credo, huc veniat, et hanc loquacitatem nostram vultu ipso aspectuque conterreat; qui, quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte nititur. Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille 215

---

supra, § 6, tum Orat. § 3. Quoties praeterea duo illa vocabula in libris confusa sint, haud semel indicavi. De illo *rerum omnium* iterum videbimus ad § 219.

214. *oratoris facultatem non illis arctis terminis — describere.* De meo correxi *illis* pro *illius*, tum *arctis*, pro *artis*, id quod firmatur unius libri auctoritate apud Ellendtium. Vitiosum *illius* indicabat a librariis et Editoribus *artis* pro Genitivo habitum esse. *Arctis* opponuntur mox *fines immensi*, ut § 264 est, *fines exigui*.

saepissime. Ut aliis locis, ita hic praestabit *saepe*.

[*vir regendae rei publicae scientissimus*]. Neque hic decebat Antonium eas laudes tribuere Scauro, omnibus abunde cognito, et modo antecesserat *civitatum regendarum gubernacula*. Putida interpolatio abiicienda est.

hanc auctoritatem [gravitatis et] consilii [sui] vindicari a te. Nec ferri potest, ut *gravitati*, quae vel orationis, vel ipsius personae esse dicitur, *auctoritas* tribuatur: solent ista disiungi, ut Invent. I. fin., neque confundendum est id, quod Tusc. V. § 34 dicitur, sic interpretandum, ut Plato fuerit auctor huius gravis sententiae. Praeterea, ridiculum est *Scauri consilium* (sui) *vindicari a Crasso:* loquitur in genere, ut mox dicit *consilii publici auctor*. Ideo molesta emblemata eiicienda puto.

huc veniat. Unde hic Coniunctivus? Corrigendum, *huc veniet, ut hanc — conterreat*.

215. *aliquam scientiam*. Non oportebat Wyttenbachii correctionem, *alienam scientiam*, recipi. Corrigendum

consilii publici auctor ac senator bonus ob eam ipsam causam orator est, aut hic disertus atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, aliquam scientiam dicendi copia est consecutus. Multum inter se distant istae facultates, longeque sunt diversae atque seiunctae; neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et rei publicae dignitatem exornabant. Neque enim est interdictum, aut a rerum natu-
50 ra, aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artes nosse liceat. Quare non,
216 si eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco eiusdem hominis atque artis utraque facultas existimanda est: nec, si P. Crassus idem fuit eloquens et iuris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi iuris civilis scientia. Nam si, ut quisque, in aliqua arte
217 et facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumserit, is perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur; licet ista ratione dicamus, pila bene et duodecim scriptis ludere proprium esse iuris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit: eademque ratione dicantur et, quos φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poetae, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. Ac

---

est, *illam sc.*, nempe, procurandae civitatis.

216. *si eloquentissimus Athenis Pericles — fuit.* Recepi, iam a Lambino commendatum, *si*, pro vulg. *etsi*, ut et ratio suadebat, et constans Ciceronis consuetudo in ea argumentandi forma: conf. supra, § 118: et notavi ad Legg. p. 367 et 478. Igitur mox recte iterum, *nec, si —*, item § 237.

217. *nam si, ut quisque.* Prudenter ita correctum pro vulg. *nam si quisque, ut.* — Mox servandum *is*, quoniam in hac verborum compositione subiectum verbi *perficiet* omitti non potest. Tum corrigam et *sciat*, et *excellat.*

dicantur et, quos φυσικοὺς — nominant. Copula *et* manifesto in vitio est: corrigendum, *ii.*

ac hoc ne philosophi quidem. Nihili est Pron. *hoc*, quoniam obiectum ipsum mox subiicitur, *geometriam aut musicam.* Corrigendum conseo, *itaque ne ph. qu.*

qui omnia sicut propria sua esse atque a se possideri volunt. Nolim *sicut*

hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia sicut propria sua esse atque a se possideri volunt, dicere audent, geometriam aut musicam philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur. Ac, si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut, quoniam 218
dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percucurrisse, neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse: fateor enim, callidum quendam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philoso- 51
phi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita dixisti, 219
neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere, quum in eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit, in quo philosophia sit oratori necessario percipienda: quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas aetates videmus esse contritas, quorum ego copiam magni-

---

propria eiicere: primum, *proprius* et *suus* recte iunguntur, ut II. § 39: tum ideo corrigendum, *sicut propria et sua*. Conf. § 218.

218. *neque ea ut sua possedisse*. Crediderim, in hac sententiae parte, quae tamquam modum et finem imponit iis, quae modo postulabantur, requiri *neque tamen ea* —.

219. *quibus uti philosophi maxime solent*. Nihil erat cur philosophi dicerentur *maxime* illis tragoediis uti. Supra, § 87, Antonius ipse Carneadis in eam sententiam commemoraverat disputationem, sed coniunctam cum peculiari opportunitate, et vix mihi persuadeo, philosophos *solitos esse* istius modi tragoediis uti. Ut vere dicam, quod sentio, equidem istis facillime carerem, aut potius tanto fidentius ea damnarem, quod, si philosophorum fuissent, non dicturus fuisset Antonius *tragoediis tuis*.

quod ita dixisti. Poterat quoque *quum ita d.*

quum in eo. Praetuli hoc, prae re-

tudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire, et dicere, quae non abhor-
220 reant ab hominum moribus. Quis enim umquam orator magnus et gravis, quum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis, an cupiditas puniendi doloris? Quis, quum ceteros animorum motus aut iudicibus, aut populo dicendo miscere atque agitare vellet, ea dixit, quae a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, quique eos in iudicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse, et ad veritatem vitae propius accedere, permediocres ac
221 potius leves motus debere esse dicunt. Orator autem omnia haec, quae putantur in communi vitae consuetudine mala, ac molesta et fugienda, multo maiora et acerbiora verbis facit; itemque ea, quae vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque

---

liquorum librorum lectione, in qua *in* omittitur. — *Vis oratoris* ita appellatur § 58: tum, § 68, id ponitur, in quo *magnus* esse possit orator.

nisi qui rerum omnium naturam. Haec *rerum omnium natura* ad physicam philosophiam pertinet; et ab hoc argumento aliena est: tum *hominum rationes* quid sibi velint, non facile quis dicat, et tamen has retinet Pideritius, ceterum non male corrigens, *hominum naturas, mores atque rationes.* Collata § 60 et 165, locus sic constituendus mihi videtur, *nisi qui illarum rerum rationes et naturas moresque hominum penitus perspexerit. Naturas hominum* appellat quoque Fat. § 8.

hominum quoque ingeniosissimorum. Quorsum illud *quoque?* Non tantum ut intempestivum, sed ut molestum expellendum est.

de motibus animorum. Non dubitavi hanc Ernesti correctionem, quam in primis sequentia postulant, recipere prae librorum lectione, *de moribus an.*; nullos quippe novi *animorum mores.* Apparet ad vulgatam defendendam nihil praesidii esse in loco, quem apposueram, Verr. II. § 155, *ut multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere.* — Mox corrigendum fuit, *quae non abhorreant*, quoniam hoc in generali praecepto dicitur: vulg. *abhorrent.*

220. *leves motus debere esse dicunt.* Quem non offendit haec verborum collocatio? Sed propter vitiosum *debere* inculcatum est *esse.* Corrigendum *le-*

ornat, neque vult ita sapiens inter stultos videri, ut ii, qui audiant, aut illum ineptum et Graeculum putent, aut, etiam si valde probent ingenium oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant, sed ita 223
peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone sit, an in corpore, virtute, an voluptate definiatur, an haec inter se iungi copularique possint, an vero, ut quibusdam visum, nihil [certum] sciri, nihil plane cognosci et percipi possit. Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas variasque rationes; sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quaerimus. Acuto homine nobis opus 223
est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives, iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent. Teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordi- 52
nis, et eorum, apud quos aliquid aget, [aut erit acturus,] mentes sensusque degustet, philosophorum autem 224

---

ves motus decere dicunt: et haec fuit Peripateticorum sententia.

221. *orator autem omnia haec* —. Si bene se habet hoc novae sententiae initium, suspicor, ante haec alia quaedam excidisse, quoniam ea, quae nunc disputantur, nihil fere attingunt illam quaestionem de motibus animorum, sed potius eam de turpi et honesto, de bono et malo, deque utriusque norma et iudicio, aliasque controversias.

amplificat atque ornat. Immo, *exornat:* sicut III. § 152, *illustrare et exornare* iunguntur.

ut — etiam si valde probent ingenium oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant. Primum mutavi distinctionem, quum edi soleat *ingenium, oratoris sapientiam.* Sed quid hoc, quum dicuntur, etiam si probent ingenium oratoris, (tamen) admirari sapientiam? Revocata negandi particula, quae bis excidit, sic legendum est, *sapientiam non admirentur, nec se esse stultos moleste ferant.* Apparet Antonium hoc velle, illam Stoicorum disputationem de perfecto sapiente vulgo ridiculam visum iri.

222. *nihil [certum] sciri.* Falso interpolatum esse *certum*, explicabo ad III. § 67.

223. *aget [aut erit acturus.]* Vitiosum ipsum per se: et nullo exemplo defendetur hoc, ut in eiusmodi praecipiendi forma Futuro addatur Futur. Exactum.

224. *ad huiuscemodi [Tusculani] requiem.* Eiiciendum emblema, quo servato videri poterit unumquemque

libros reservet sibi ad huiuscemodi [Tusculani] requiem atque otium, nec, si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone, qui, quum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatum mo-
225 ribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro et amplissimo, et principi civitatis, ut illa diceres in maxima contione tuorum civium, quae dixisti? *Eripite nos ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri, nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus, et debemus.* Omitto *miserias*, in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest: omitto *fauces*, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus, quod sapienti negant accidere posse: *servire* vero quod non modo te, sed universum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es di-
226 cere, potestne virtus, Crasse, servire, istis auctori-

---

oratorem suum Tusculanum habuisse.

nec, si quando — Secutus sum aliorum certissimam correctionem, pro *ne, si quando*, quo hoc significaretur, ideo illos libros reservandos esse, ne mutuaretur —.

quum haec exprimenda verbis arbitraretur. Desero id, quod ante commendaveram, ut pro *verbis* legeretur *uberius*.

finxit in libris civitatem, i. e. eam, quae nusquam esset, sed non nisi ingenio scriptoris et literis exstaret, qualem Plato Republ. IX. p. 592. A. appellabat τὴν ἐν λόγοις κειμένην. Sic apud eundem Euthyphr. p. 11. C. τὰ ἐν τοῖς λόγοις ἔργα, et apud Aeschin. Ctesiph. p. 571. fin. ἐν τοῖς γράμμασι τιμᾶσθαι. Hinc diversum est quod dicit Demosthenes F. L. p. 399, οἷς ἦσαν ἐν λόγοις πολιτεῖαι. Eodem referendum est quum dicitur supra, § 164, *in causis oratio*, i. e. ea eloquentia, quae cernitur in forensibus causis.

a civitatum moribus abhorrebant. Ita infra, § 260, *usus civitatum vulgaris*: et II. § 337, *nosse mores civitatis*.

225. *et amplissimo et principi.* Secuti sunt Editores meam correctionem. Vulgo *et*, ante *principi*, omittebatur: nusquam *princeps* cum Adiectivo dicitur.

quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri. Quid igitur isti praeter sanguinem expetere poterant? quoniam hoc quidem extremum haberi solet. Sex. Rosc. Amer. § 7, *peto, ut*

bus, quorum tu praecepta oratoris facultate complecteris? quae et semper, et sola libera est, quaeque, etiam si corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum ius atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debet. Quae vero addidisti, non modo senatum *servire posse* populo, sed etiam *debere;* quis hoc philosophus, tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, probare posset? Senatum servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas, tradidisset?

Itaque haec, quum a te divinitus ego dicta arbitra- 53
rer, P. Rutilius Rufus, homo doctus et philosophiae 227
deditus, non modo parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat; idemque Servium Galbam, quem hominem probe commeminisse se aiebat, pergraviter reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quaestionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, quum M. Cato, Galbae gravis atque acer inimicus, aspere apud populum et vehemen-

---

pecunia fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat. Corrigendum est, ***nisi nostro s. n. p. expl.***

servire vero quod non modo te, — ausus es dicere, potestne virtus —. Quoniam reliquis, quae Crasso obiiciuntur, statim castigatio additur (*omitto miserias, in quibus —*, et *omitto fauces, ex quibus —*,) h. l. de meo inserendum putavi ***quod***, ante ***non modo***, ut, sublato signo interrog. post *dicere*, statim haec castigatio subiiciatur, *potestne —.*

226. ***tenere debet.*** Haec Schutzii correctio sequenda fuit: Coniunctivus ***debeat*** nulla sana ratione defendi potest.

227. ***philosophiae deditus.*** Sine ullo dubio recte dicitur ***artibus***, aut ***disciplinis deditum esse***, tum in primis ***studiis:*** sed dubito, an ***philosophiae deditus*** defendi possit, ut fortasse corrigendum sit, vel ***philosophis***, vel ***phil. disciplinis.***

apud populum. Omittendum fuit, quod in libris quibusdam his subiiciebatur, ***Romanum.***

quam orationem in Originibus suis exposuit ipse. Fieri potest ut hanc quoque mentionem Antonio tribuerit Cicero, eamque, quae in seq. § est, ***quod item apud Catonem —:*** sed tamen eam ab hoc sermone paullo alieniorem esse existimo, quum aptissima esset in Bruto, § 89: cf. § 80, ubi illam ***scriptam orationem*** reliquisse dicitur Cato: at, quod h. l. dicitur, ***exponere***, nihil aliud est, nisi breviter capita ipsa

ter esset locutus; quam orationem in Originibus suis
228 exposuit ipse. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, Q. pupillum filium ipse paene in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, et duos filios suos parvos tutelae populi commendasset, ac se, tanquam in procinctu testamentum faceret, [sine libra atque tabulis] populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaque, quum et invidia et odio populi tum Galba premeretur, his eum tragoediis liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, *nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse.* Haec Rutilius valde vituperabat, et huic humilitati dicebat
229 vel exsilium fuisse, vel mortem anteponendam. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit, et fecit. Nam, quum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiae, quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat. Paullum huic [Cottae] tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suae filio. Dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mucius more suo, nullo apparatu, pure et
230 dilucide. Quod si tu tunc, Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam petendum esse paullo

---

commemorare, sicut distinguitur a *narrando*, II. § 312.

228. [*sine libra atque tabulis*] Interpolata haec esse iudico.

his eum tragoediis liberatum ferebat. Cur melius sit *his*, quam aliorum *hisce*, vid. ad § 193. Ex illo vitio primum in libris ortum *hisque*, tum *his quoque*: sed mira coniectura erat Orellii, *his quinque*.

229. *liberius.* Desero id, quod huic Adverbio substituendum putaram, *uberius*.

huic [*Cottae*] Sicuti supra, § 200, ita h. l. nomen proprium post *hic* abiiciendum est.

230. *quamvis scelerati illi fuissent.* Non conficitur e superioribus, quinam sint *illi*, nisi *iudices*, qui ante, satis magno intervallo, appellantur. Hic igitur, pro *illi*, aptius reponetur *iudices*. — Mox, quum sequitur, *pestiferi* —

ante dicebas; et, si tibi pro P. Rutilio, non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere, quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, [pestiferi cives supplicioque digni,] tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae. Nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicta est, ut si in illa commentitia Platonis civitate res ageretur: nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rem publicam implora-
vit, nemo supplicavit; quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplosit; credo, ne Stoicis renuntiaretur.

Imitatus est homo Romanus et consularis veterem 54
illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus es- 231
set, sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit, et commode scriptam esse dixit: sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est, neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damnarent, an absolverent; sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant: erat 232

---

digni, Kaysero assentior ista tollenda esse.

dum causa ita dicta est. Sic correxi, quod in libris erat, *dicta sit*: ex aliis libris editum *ita dicitur*. Tamen ipsum *amissus est*, de eventu iudicii dictum, postulat praeteritum verbi tempus, ut mox *ingemuit*, et reliqua eodem tempore enuntiata.

231. *illis, quas iterum legibus ferre debebant*. Nondum expedire potui, quid sit *legibus ferre*. Potuitne scriptum esse, *quas iterum leges ferre iubebant?* Sed nihil ausim definire.

232. *et sententia quum iudicibus daretur*. Sententia postulat, ut corrigatur, *antequam iud. dar.* — Mox verba, *quasi aestimationem*, recte insititia esse iudicavit Kayserus.

commeruisse. Praestabit, credo, *meruisse*. Istius compositi requiro exemplum in Cicerone.

enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio, et sententia quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam [quasi aestimationem] commeruisse se maxime confiteretur: quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus habetur.
233 Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent: qui quidem si absolutus esset (quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenii magnitudinem vellem), quonam modo istos [philosophos] ferre possumus, qui nunc, quum ille damnatus est nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam, tamen a se oportere dicunt peti praecepta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum sit melius aut verius: tantum dico, et aliud illud esse atque hoc, et hoc sine illo summum esse posse.

55 Nam quod ius civile, Crasse, tam vehementer am-
234 plexus es, video quid egeris [: tum, quum dicebas, videbam]. Primum Scaevolae te dedidisti, quem omnes amare meritissimo pro eius eximia suavitate debemus; cuius artem quum indotatam esse et incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti: dein-

---

233. *qui si absolutus esset.* Hoc interpretando adiuvandum est, fierique potest ut exciderit id, quod nunc necessario est intelligendum: nempe hoc voluisse videtur, „si defensus oratoris „arte absolutus esset:" quod is dicit, cui persuasum est Socratem absolutum fuisse, modo oratoris arte et facultate in iudicio defensus fuisset, siquidem statim additur, eum *nullam aliam ob culpam nisi propter dicendi inscientiam* damnatum esse. Si hoc, Antonius inquit, verum est, *quonam modo istos ferre possumus, qui —:* in quibus primum, ut oportebat, omitto *philosophos* post *istos;* tum, necessario corrigendum fuit *possumus*, pro vulgato *possemus*, cuius nulla ratio reddi potest: nec videtur attendisse Ellendtius, haec non esse componenda cum *absolutus esset*, sed cum seqq., *quum ille damnatus est.* In illis, *inscientiam* recte servari, apparet ex iis quae notavi supra, ad § 99.

234. [*tum, quum dicebas, videbam*]. Maneo in sententia, haec stolide inserta esse. Quid hoc, ut, post *video*,

de, quod in ea tu plus operae laborisque consumseras, quum eius studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte 235
pugno: sit sane tanta, quantam tu illam esse vis: etenim sine controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio etiam hodie praesunt: sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno ornatu velis ornare iuris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. Nam si ita diceres, 236
qui iuris consultus esset, esse eum oratorem, itemque, qui esset orator, iuris eundem esse consultum; praeclaras duas artes constitueres, atque inter se pares et eiusdem socias dignitatis: nunc vero iuris consultum sine hac eloquentia, de qua quaerimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos, oratorem negas, nisi illam scientiam assumserit, esse posse. Ita est tibi iuris consultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum: sed, quia saepe utitur orator subsidio iuris in causis, idcirco istam [iuris] scientiam eloquentiae, tamquam ancillulam pedissequamque, adiunxisti.

Quod vero impudentiam admiratus es eorum patro- 56
norum, qui aut, quum parva nescirent, magna profite- 237

---

nunc dicat *videbam?* tum, ubi est obiectum verbi *dicebas?*

incomptam. Praeferendum hoc erat alteri *incomitatam*, propter *dote locupletandi* et *ornandi* verba, quae mox ponuntur, et quod Orat. § 78 *inornata* et *incompta* promiscue dicuntur.

236. *quia saepe utitur orator.* Commendaveram *utatur*, quod ista e Crassi dicerentur sententia. Nunc non opus esse agnosco: et alia forma est sententiae infra § 247, ubi recte, *quia — proposita sint.*

istam [*iuris*] *scientiam.* Omittendum est illud *iuris*, inepte iteratum.

237. *impudentiam admiratus es.* Sicut aliis in locis indicavi, ita h. l. decet simplex *miratus es* reponere, sicuti mox recte *mirandum* servatur.

quae maxima essent in iure civili. Sed nihil *magnum* appellari potest *in iure civili*, ut neque *parvum*. Fieri potest ut scriptum fuerit, *quae posita essent in iure civili.*

quum ea [*nescirent*] *numquam didicissent.* Plerique libri *numquamque*.

rentur, aut ea, quae maxima essent in iure civili, tractare auderent in causis, quum ea [nescirent] numquam didicissent; utriusque rei facilis est et prompta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemtio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quae coemtionem fecerit, causam posse defendere: nec, si parvi navigii et magni eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis herctum cieri oporteat, nesciat, idem herciscundae familiae causam agere
238 non possit. Nam quod maximas centumvirales causas in iure positas protulisti; quae tandem earum [causa] fuit, quae ab homine eloquenti, iuris imperito, non ornatissime potuerit dici; quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M' Curii, quae abs te nuper est dicta, et in C. Hostilii Mancini controversia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de iure
239 dissensio. Quaero igitur, quid adiuverit oratorem in his causis iuris scientia, quum hic iuris consultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno [hoc est, non iuris scientia, sed eloquentia sustentatus]. Equidem hoc saepe audivi, quum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque maior natu, et iam consu-

---

Ego paucos alios secutus sum, damnato, quod per errorem irrepserat, *nescirent*, putide primum iteratum ex anteced. (*quum parva nescirent*), tum, eiusdem sententiae ac *non didicisse*: conf. § 174, ubi *rudem esse*, i. e. nescire, et *didicisse* inter se opponuntur.

238. *quae tandem earum* [*causa*] *fuit*. Merito Kayserus *causa* inclusit: voluit interpolator *causarum*, sed non opus erat.

quibus quidem in causis omnibus —. Apparet Antonium sic in genere loqui, itaque mox inepte subiici *in his causis*. Sed ex levi vitio sententiae forma periit. Quemadmodum hucusque totus locus editus est, hoc dicitur, hominem eloquentem, iuris imperitum, causas illas ornatissime potuisse dicere, quoniam fuisset inter peritissimos summa de iure dissensio: contra, hoc voluit, ex illa dissensione peritorum consequi, nullo adiumento oratori futuram fuisse iuris scientiam. Restituenda est vera lectio haec: *quibus quidem in causis omnibus, si, ut in ipsa — nuntio superiori, fuit inter peritissimos — dissensio, quaero* [*igitur*], *quid adiuverit oratorem* [*in his causis*] *iuris scientia, quum hic iuris consultus* —.

239. [*hoc est, — sed eloquentia*], As-

laris, Servius Galba assectaretur, quod Crassi filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum: qui quum Crassum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset, ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit, quaesivitque, qua de re ad Crassum retulisset: ex quo ut audivit, commotumque [ut] vidit hominem, Suspenso, inquit, animo et occupato Crassum tibi respondisse video: deinde ipsum Crassum manu prehendit, et, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere ut respondisset, nec dubium esse posse: Galba autem alludens varie et copiose multas similitudines afferre, multaque pro aequitate contra ius dicere: atque illum, quum disserendo par esse non posset, (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbae nullo modo), ad auctores confugisse, et id, quod ipse diceret, et in P. Mucii fratris sui libris, et in Sex. Aelii commentariis scriptum protulisse, ac tamen concessisse, Galbae disputationem sibi probabilem et prope veram videri. 240

Attamen, quae causae sunt eiusmodi, ut de earum 57 241

---

senserunt mihi viri docti, hoc emblema abiiciendum esse.

nomine appellavit. Primum, non puto istius *rusticani cuiusdam* nomen cognitum fuisse Galbae: tum, *nomine appellatur* is, qui e pluribus unus appellatur, sicut Acad. Pr. II. § 13. Ideo videtur mihi *nomine* mutandum esse in *comiter*, quo modo loquitur Republ. I. § 9. Philipp. XIII. § 4.

[*ut*] *vidit hominem.* Assentior Ellendtio, *ut* melius omitti.

240. *atque illum* —. Quum totius narrationis principium suspensum fuisset ab illis, *saepe audivi*, tum mutatur constructio ex suspensa in rectam, *qui quum Crassum — ita respondere:* sequuntur, ex alia rursus forma, Infinitivi historici, *confirmare, afferre, dicere:* post quae reditus fit ad constructionem suspensam ex illis *saepe audivi*, quae tamen postrema minus recte, ut nunc fit per Coni. *atque*, sic arcte cum praecedd. iunguntur. Ideo, quoniam nunc ad conclusionem ventum erat, scripsisse mihi Cicero videtur, *itaque illum* —, et conclusionem ipsam definite sic potius indicandam esse, ut legatur, — *et ad auctores confugisset, et id, — protulisset, tamen concessisse* —.

241. *attamen.* Haec Coniunctio pror-

iure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus est, hereditatem petit? nemo: quia constat agnascendo rumpi testamentum: ergo in hoc genere [iuris] iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem iuris [in controversiis] ignorare, quae pars sine dubio
242 multo maxima est. In eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori eius partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem invenire; a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit: nisi vero (bona venia huius optimi viri dixerim [Scaevolae]) tu libellis aut praeceptis soceri tui causam M' Curii defendisti, non arripuisti patrocinium aequitatis, et defensionem [testa-
243 mentorum ac] voluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia (frequens enim te audivi, atque affui) multo maiorem partem sententiarum sale tuo, et lepore, et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium acumen illuderes, et admirarere ingenium Scaevolae, qui excogitasset, nasci prius oportere, quam emori, quumque multa colligeres et ex legibus, et ex senatus consultis, et ex vita ac sermone communi, non modo

---

sus non est huius loci. Corrigo, *etenim*.

nemo: — rumpi testamentum. Contra constantem, ni fallor, consuetudinem, ipse respondet, post interrogandi particulam *num*.

in hoc genere [*iuris*]. Delendum est *iuris*, quum inutile h. l., tum, quod minus proprie *genus iuris* appellatur. Recurrit *in hoc genere* § 244.

[*in controversiis*]. Merito hoc excluditur, natum ipsum, ut puto, e glossa *incontroversi*, vocabulo vix Latino. Latine dicitur, ut mox, *ius, quod ambigitur*.

242. *quamcumque defendat*. Alterum, *defendet*, tum rectum esset, si praecederet *non erit difficile*.

oratoris lacertis — torquebit. Vix ferendum, ut dicatur *orator oratoris lacertis torquere*. Corrigendumne *oratoriis*? Scribere potuit tamen *suis*, quod annotatori interpretandum visum fuerit.

[*Scaevolae*]. Quo iure omittendum, vid. ad § 193.

non arripuisti. Quum e libris edi soleret *nonne arrip.*, meam correctionem hanc assumserunt viri docti, quum demonstrassem, sic demum totum locum in unam argumentationem cogendum esse. *Non*, ἀσυνδέτως positum post *nisi*

acute, sed etiam ridicule ac facete, ubi, si verba, non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac laetitiae fuit: in quo quid tibi iuris civilis exercitatio profuerit, non intelligo, dicendi vis egregia summa festivitate et venustate coniuncta profuit. Ipse ille [Mucius], paterni iuris defensor, et 244
quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, quum contra te diceret, attulit, quod de iure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe eius omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in eiusmodi causis alias scriptum, alias aequitatem defendere docentur. Et, credo, in illa militis causa, si tu 245
aut heredem, aut militem defendisses, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et ad oratoriam facultatem contulisses: tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum videretur, vel si causam ageres militis, patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses, statuisses ante oculos, complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset; lapides me-

---

vero, idem est post *nisi forte*, Philipp. I. § 19: Conf. Madvig. Emendatt. I. p. 42.

defensionem [*testamentorum ac*] *voluntatis mortuorum*. Quum supra, § 180, diserte dictum sit, Crassum tum non *ex scripto testamentorum iura*, sed *mentem eius, qui testamentum fecisset*, defendisse, h. l. delenda sunt verba *testamentorum ac*.

243. *frequens — adfui*. Nihil aliud *frequens* est h. l., nisi *assiduus*, et sic accipiendum Caton. § 38. Orat. § 15. Rosc. Amer. § 16, quos locos indicavit Ellendtius, quum ipsi alia placeret interpretatio.

244. *ipse ille* [*Mucius*]. Ut saepius supra, ita hinc, post Pronomen, abiiciendum nom. proprium.

at in hoc genere. Requiro, *et in h. g.*

245. *et ad oratoriam facultatem*. Recepi Praepos. *ad*, e Cod. Leid.

complexus esset, i. e. tu finxisses, patrem complecti filium suum, cet. Et recipiendum fuit mox *coegisses*, pro vulg. *coegisset*. Crassus scil., illo artificio adhibito, ipse coegisset.

in magistri carmine, per contemtum dictum, quo scilicet minoris ponderis esset id, quod in XII tabulis erat consignatum, prae oratoria arte.

hercule omnes flere ac lamentari coegisses, ut totum illud, UTI LINGUA NUNCUPASSIT, non in duodecim tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.

58 Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui
246 istam artem, primum facillimam, non ediscant; quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant; deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram: deinde, quod sit plena delectationis; in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem, et ea se carere patiuntur, nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere.
247 Tum autem, quod amore patriae censes, nos nostrorum maiorum inventa nosse debere; non vides veteres leges aut ipsa sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus, et supplicia vitiis; equidem putabam, virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo et

---

246. *quae quam sit facilis* —. In hac verborum compositione nullum est anacoluthon, et perperam Kayserus illud *quae* omittendum censet. Singulis argumentis, quibus Crassus usus esse dicitur, ut coargueret adolescentium inertiam, statim opponitur solutio, quam his inchoat Relativum, sicut mox *in qua*, tertio respondetur sic, *non vides*, quarto his, *equidem putabam*. Ita saepe solet Cicero refutandi formas variare.

ita subnixi ambulant. In talibus *ita* ponitur cum superbiae significatione aut auctoritatis. Quo refero hoc e Tusc. I. § 117, *ita velut superiore e loco contionandum*: et eiusdem generis est οὕτως, apud Demosth. Mid. p. 565 extr.

in qua, nempe, arte: perperam commendaveram *in quo*.

248. *in iis causis, quas in iure possem defendere*. Duo me in his offendunt: primum, *in iure* per se nihil aliud est, nisi *in iudicio*, apud praetorem; atqui hoc commemorare nunc non opus erat: tum, non quaerebatur quas causas potuisset defendere, sed quas defendisset. Corrigendum censeo, *quas*

persuadendo, non minis et vi ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud, etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus. De me au- 248
tem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me umquam ius civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, umquam istam scientiam desiderasse: aliud est enim esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui nostrum licet fundos 249
nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si qui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico est, Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi, an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in iure civili, praesertim quum in causis et in negotiis, et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc duntaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur? Ac si iam sit 250

---

in iure positas defenderem, quae locutio est supra, § 238, sicuti, § 181, causae dicebantur *versari in iure*.

249. *cui nostrum licet* —. Recte, me auctore, abiecit Kayserus *non*, quod in libris erat, aut *nunc*, a Schutzio commendatum, ante *licet*. Utitur hoc exemplo Antonius, ut obtineat, eum, qui ius non didicerit, posse tamen causas in iure positas defendere; ita eum, qui rerum rusticarum ignarus sit, posse tamen vilico mandare quid fieri oporteat. — Hoc quoque suscepit iam Kayserus, quod commendaveram, *si qui fundus*, pro vulg. *si cui fundus*. — In fine, bene Madvigius *vilico est*, pro *vilico sit*, Opusc. Acad. II. p. 231, ubi recte in h. l. interrogandi particulam *num* defendit.

cur ergo non iidem —. Perperam commendaveram, ut *item* legeretur, pro *iidem*.

250. *cum hoc* [*Scaevola*]. Vid. ad § 200.

quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, — deferunt. Molestum est *ipsi*, interposito *omnia*, distrahi a *quorum*: sic, § 251 *ii, quorum causas re-*

causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit cum hoc [Scaevola] communicare; quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero, si de re ipsa, si de finibus, quum in rem praesentem venimus, si de tabulis et perscriptionibus controversia est, contortas res et saepe difficiles necessario perdiscimus, si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia iuri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

59 Nihil [ne] igitur prodest oratori iuris civilis scientia? Non possum negare, prodesse ullam scientiam, ei praesertim, cuius eloquentia copia rerum debeat esse ornata: sed multa et magna et difficilia sunt ea, quae sunt oratori necessaria, ut eius industriam in plura
251 studia distrahi nolim. Quis neget, opus esse oratori, in hoc oratorio motu statuque, Roscii gestum et venustatem? tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus, in gestu [discendo] histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quam vox? tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Graecorum more tragoedorum voci serviet, qui et annos complures sedentes declamitant, et quotidie, antequam pronun-

---

ceperimus. Unum hoc urgendum erat, *ipsos*, i. e. sua sponte, deferre solere. Igitur, delendum videtur *omnia*.

an vero. In hac interrogandi forma idem habemus supra, § 37.

quum in rem praesentem venimus. Hic quoque tolli oportere *non*, ante *venimus*, bene sensit Ernestus.

nihil [ne] igitur prodest —. In huiusmodi interrogandi consilio, quum obiectio fingitur, solet omitti Partic. *ne*.

distrahi. Adsciscendum hoc mihi videbatur e nonnullis libris, pro vulg. *distrahere*.

251. *quis neget*. Corrigam, *quis negat* —: conf. ad § 7.

in gestu [discendo] histrionum more elaborare. Probavit Kayserus, quod dixeram, *discendo* interpolatum esse, quod perpetuo dicatur *in aliqua re elaborare*, ipsumque hoc, *in gestu elab.*, recurrit mox, § 252. Sed, in iis, quae sequuntur, verba *dicendi studiosus* servanda sunt: et tueor hanc correctionem, *Graecorum more tragoedorum*, quum vulgo feratur, duabus literis vitio iteratis, *more et tragoedorum*, quasi *Graeci* et *tragoedi* distinguendi essent. Non nisi *tragoedi* in hoc genere erant commemorandi, ut § 128, *vox tragoedorum*.

annos complures sedentes declami-

tient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt, et quasi quodam modo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties praescribitur, paeanem aut nomionem citarimus. Quod si in gestu, qui multum oratorem adiuvat, et 252
in voce, quae una maxime eloquentiam vel commendat, vel sustinet, elaborare nobis non licet, ac tantum in utroque assequi possumus, quantum in hac acie quotidiani muneris spatii nobis datur; quanto minus est ad iuris civilis perdiscendi occupationem descendendum? quod et summatim percipi sine doctrina potest, et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod vox et gestus subito sumi et aliunde arripi non potest, iuris utilitas ad quamque causam, quamvis repente, vel a peritis, vel de libris depromi potest. Itaque illi diser- 253
tissimi homines ministros habent in causis iuris peritos, [quum ipsi sint peritissimi, et] qui, ut abs te paullo ante dictum est, pragmatici vocantur. In quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt. Sed tamen non fugisset hoc Graecos homines, si ita necesse esse

---

tant. Vix credibile, tum propter illam *complurium annorum* exercitationem, tum quod ea *sedentes* uti esse dicuntur.

paeanem aut nomionem. Sic Kayserus edidit. Vulgo *munionem:* et commendaveram ipse viri docti coniecturam *nomum*, quam confirmari putabam loco Platonis Legg. III. p. 700. B, fortasse quoque loco Photii Bibl. p. 320. b. vs. 23. Bekker.

252. *quae una maxime eloquentiam vel commendat, vel sustinet.* Sed eloquentia neque commendatione, neque fulcro indiget. Corrigendum est, *eloquentem.*

ac tantum. Necessario corrigendum, *ac tamen.*

253. *itaque illi disertissimi homines.* Qui sint *illi*, non apparet e contextu. Sed mutandum in *illic*, i. e. apud Graecos, cui mox opponit, *in quo nostri melius:* respicit ea, quae Crassus dixerat § 198.

[*quum ipsi sint peritissimi et*]. Non sine causa Lambinus correxerat *imperitissimi.* Sed hoc ipsum indicat, ista ab interpolatore profecta esse, et concedo nunc Henrichsenio, eo quoque motus argumento, quod in sollemni syntaxi *eos qui* divelli non licebat a *peritos;* tum, *pragmatici vocantur*, servanda sunt.

arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure civili, non ei pragmaticum adiutorem dare.

60 Nam quod dicis senectutem a solitudine vindicari
254 iuris civilis scientia; fortasse etiam pecuniae magnitudine: sed nos non, quid nobis utile, verum quid oratori necessarium sit, quaerimus. Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumimus, solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. Quod si ille, adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum, tamen aliquid ad requiem senectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare pos-
255 sumus? Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint, et quam varia genera dicendi, id, quod haud sciam an tu primus ostenderis, qui iam diu multo dicis remissius et lenius, quam solebas; neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio probatur: multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus et Laelium, qui omnia sermone conficerent paullo intentiore, numquam, ut Servius Galba, lateribus aut clamore contenderent. Quod si iam hoc facere non poteris, aut noles, vereris, ne tua domus, talis et viri, et civis, si

---

254. *iuris civilis scientia; fortasse etiam pecuniae magnitudine.* Hac distinctione assumta, melius exstat hoc, quod non est negligendum, *fortasse etiam* dici in concedendi forma, sed ita, ut simul refutationem contineat, plane ut formula *et quidem:* ipsam refutationem orditur a verbis *sed nos* —.

ad oratoris similitudinem. Conf. § 130.

255. *tua gravissimi sermonis lenitas.* Recte *lenitas*, sed improprie *gravitas* tribuitur *sermoni*. Corrigendumne est *suavissimi?* Modo, *lenius* fortasse mutandum in *lentius*.

vereris, ne tua domus. Alterum *ne* excidisse videtur, ut legendum sit, *vererisne ne* —.

subsidium senectutis. Quidni, *senectuti?* ut mox.

subsidium enim —, *otium.* Hanc sententiae formam, in qua subiectum postremo loco ponitur, exemplis firmavi in Bibl. Crit. N. III. p. 84. init.

256. *antiquitatis iter.* Hoc ex alio scriptore petitum videtur Kayserο. Sed quid opus erat, quum ipse supra, § 201, recte *antiquitatis memoriam* appella-

a litigiosis hominibus non colatur, a ceteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidium senectutis in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed tamquam portum aliquem exspectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti, otium. Reliqua vero, etiam si adiuvant, histo- 256
riam dico, et prudentiam iuris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo, Longino mutuabor. Neque repugnabo, quo minus (id quod modo hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur: sed mehercule non ita multum spatii mihi habere videntur, si modo ea facere et persequi volent, quae a te, Crasse, praecepta sunt; qui mihi prope iam nimis duras leges imponere visus es huic aetati, sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum prope necessarias. Nam et sub- 257
itae ad propositas causas exercitationes, et accuratae et meditatae commentationes, ac stilus ille tuus, quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est; et illa orationis suae cum scriptis alienis comparatio, et de alieno scripto subita, vel laudandi vel vituperandi vel comprobandi vel refellendi

---

visset? Quidquid sit, *iter* h. l. e corruptela ortum est: nullum cogitari potest *iter antiquitatis*. Melius *iter disputationis* dicitur II. § 234.

etiam si adiuvant. Vix ferendum, ut dicat, *mutuabor etiam si adiuvant*: et corrigendum videtur, *quae adiuvant*. — Mox, *mutuabor*, quoniam, ut e seqq. apparet, de adolescentium studiis, non de se loquitur, fortasse mutandum in *mutuabuntur*.

in omni recto studio atque humanitate versentur. Non dici posse contendo *in studio versari*, sine Genitivo obiecti, multumque diversum est *rectum studium*, supra, § 99, et Coel. § 24 *rectissima studia* cum *optimis artibus* iunguntur. Corrigendum suspicor, *in omni recto studio humanitatis*.

non ita multum spatii mihi habere videntur. Requiri puto *habituri videntur*, quoniam haec ad praecepta instituendi oratoris referuntur.

258. *illud vero — ad cohortandum: voluisti enim* —. Quum antea plena distinctione post *cohortandum* uterentur Editores, dixi, ad § 124, quare hoc corrigendum esset. Sed illa, *quod me-*

causa, disputatio non mediocris contentionis est, vel ad memoriam, vel ad imitandum.

61 Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor, ne
258 maiorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum: voluisti enim in suo genere unumquemque nostrum quasi quendam esse Roscium, dixistique, non tam ea, quae recta essent, probari, quam, quae prava [sunt], fastidiis adhaerescere: quod ego non tam fastidi-
259 ose in nobis, quam in histrionibus spectari puto. Itaque nos raucos saepe attentissime audiri video; tenet enim res ipsa atque causa: at Aesopum, si paullum irrauserit, explodi. A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate; in eloquente autem multa sunt, quae teneant, quae si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt, necesse est ea
260 ipsa, quae sunt, mirabilia videri.

Ergo, ut ad primum illud revertar, sit orator nobis is,

---

hercule — cohortandum, velut in parenthesi dicuntur.

quod ego. i. e. utrum recta an prava sint. Modo, *sunt*, post *prava*, rectissime omittitur.

259. *in eloquente.* Longe plerique servarunt *in eloquentia*, ideo vitiosum, quod de artifice, non de arte haec dicuntur. Correctionem meam video nunc firmari nonnullorum librorum auctoritate apud Ellendtium.

260. *ut primum impedimenta — superarit.* Sic corrigendum fuit vulg. *superaret.* Nam, ubi Demosthenis studium erat praedicandum, in directa oratione non dixisset *superabat*, sed *superavit impedimenta.*

261. *ut una continuatione — continerentur.* De meo edidi *et contentiones*, quum vulgo edi soleat *ei contentiones*, qui Dativus h. l. nihili est, contraque *et* bis postulatur in hac sententia.

[*qui etiam, — ingrediens arduo.*] Non renuntio opinioni, quam olim de hoc loco explicui, eum insititium totum esse, quamquam, ut videtur, nondum eam Editoribus, qui post exstiterunt, persuasi. Videamus singula. *Qui etiam* quum dicitur, necessario exspectatur id praedicatum iri, quod vel diversi generis sit ab eo, quod iam dictum est, vel certe aliquanto maius. Sed nihil hic subiici videmus, quod non ante commemoratum esset, ubi diserte traditur Demosthenem diligentia et labore superavisse impedimenta naturae, id est, tum pronuntiationem, tum spiritum angustum: itaque celebratam Demosthenis τραυλότητα (de qua egi Bibl. Crit. N. II. p. 82), quo referat Plutarchus (Demosth. cap. 7) illam narratiunculam

qui, ut Crassus descripsit, accommodate ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac forensi, remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint ampla atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur, imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit; quumque ita balbus esset, ut eius ipsius-artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur; deinde, quum spiritus 261
eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod eius scripta declarant) binae et contentiones vocis et remissiones continerentur. [Qui etiam, ut memoriae proditum est, coniectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuesce-

---

de calculis in os sumtis, iam indicatam in praecedd., frustra hic iterum explicari contendebam, idemque valere de spiritu exercendo: neque, quod Ellendtius putat, „distincte loqui discere" aliud quid est, quam „balbutiem corrigere." — Sequitur, *ut memoriae proditum est:* quae formula usurpari solet in gravioribus rebus, sicuti in eo, quod Demostheni contingere solebat, in Brut. § 289, omnino si quid esset eiusmodi, quod aliorum admirationem excitare posset; de calculis illis dici decuerat, *ut fertur.* — *Coniicere in os calculos* dubito, an castigatae Latinitatis sit. — *Summa voce pronuntiare,* vitiosum est. Vox vel gravis, vel acuta dicitur, item inflexa, et lenis; et novimus *summam vocis contentionem*, et *vim summam vocis*, ut Brut. § 313, non *summam vocem;* sed, et *magna vox* dici poterat, ut *vocis magnitudo*, Brut. § 235, et *magnus splendor in voce*, ibid. § 239 et 250. — *Uno spiritu pronuntiare* ideo reprehendendum, quod, sicuti *vox*, ita neque *spiritus*, numerari potest: *continens spiritus*, et *intermissus*, dicitur, ut III. § 216: conf. Brut. § 34: et quo uno loco recurrit illud *uno spiritu*, III. § 182, eum ipsum insititium esse demonstrabo. — In iis, quae postremo loco adiiciuntur, *neque is consistens in loco*, primum, inutile Pronomen est *is;* tum, *consistere* inscite opponitur sequenti *inambulare*, quod ipsum, minus aptum in huius rei explicatione, in re multum diversa usurpatur: conf. II. § 12. Brut. § 10 et 158; et, *in loco*, quod respondet Graeco κατὰ χώραν, languide additur. — *Ascensu ingrediens* ideo vitiosum est, quoniam non dicitur *ascensus* absolute, sed vel significato,

bat; neque is consistens in loco, sed inambulans, at-
262 que adscensu ingrediens arduo.] His ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior: cetera, quae collegisti ex variis et diversis studiis et artibus, tametsi ipse es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror.

62 Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem
263 videretur accedere. Tum Crassus, Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis; atque haud scio, an aliter sentias, et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo umquam praestitit: cuius quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed iam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utram-
264 que partem solent copiosissime dicere. Verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet; sed maius quid-

---

vel cogitato eo, quo quis ascendat.

Haec nisi quis mihi expediat, manebo, ut dixi, in sententia, totum locum inepte interpolatum esse.

262. *vehementer assentior.* Assensus est mihi Ellendtius, corrigendum esse *censeo*. Scilicet, illae *cohortationes* non erant Crassi, sed ipsius Antonii, nempe exemplum a Demosthene petitum, et *assentimur* alterius sententiae, ut Brut. § 22, 39, 227: tum, non negavi (quod putat vir doctissimus), *assentior* cum Infinitivo et Accusativo poni (cuius exempla haec sint, II. § 22, 39, 227), sed postulavi, ut diceretur *incitandos esse iuvenes assentior*, sine Infinitivo autem *censeo* dici, ut supra § 14, *tanta profitenda non censeo*. — Initio huius loci correxi vulg. *hisce*, et edidi *his*.

263. *haud scio, an — utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine.* Non urgebo nunc, proprie magis Crassum dicturum fuisse *abutare*, quam *utare*: sed gravius hoc est peccatum, quod primum *consuetudo mirifica* dicitur, quod, quamquam defendi posse non negarem, nisi sequeretur *qua tibi nemo praestitit*, relinquit tamen alterum, *consuetudo ad refellendum*, contra constantem syntaxeos normam. Equidem corrigendum coniicio, *mirifica adversarii refellendi arte*, quam mox *facultatem* appellat.

exercitatio — in philosophorum consuetudine versatur. Primum, in his offendit quod inter se opponi videntur

dam videbam, quum censebam oratorem, praesertim in nostra re publica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officiis praeceptisque oratoris quaesita sunt; sed, opinor, secundum hunc diem: satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. Nunc 265
et Scaevola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paullum requiescet, dum se calor frangat, et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Placuit sic omnibus. Tum Scaevola, Sane, inquit, vellem non constituissem [in Tusculanum me hodie venturum esse] Laelio: libenter audirem Antonium: et, quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum civile pervellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.

---

oratorum propria est, et *in philosophorum consuetudine versatur:* et ex Adv. *iam* conficeres, hoc voluisse Crassum, ut illa exercitatio, orta ab oratoribus, post demum ad philosophos esset translata. Alterum, quod notetur, hoc est, ipsam *exercitationem* dici *versari in consuetudine*. Diversum sane est quum § 12 dicitur *dicendi rationem communi in usu versari*, i. e. accommodare se communi usui: rursus alio modo, § 23, res quaedam dicuntur *in hominum disputatione versari*, i. e. homines de iis disputare. Credibile est Ciceronem scripsisse, — *oratorum propria, etiam in philosophorum consuetudine servatur*. Supra, in § 39, eadem correctione usus sum.

264. *qualis esse posset is*. Alienum mihi videtur ab hac sententia verbum *posse:* et requiro, vel, *qualis esset is*, vel *a me informari, qualem esse oporteret eum, qui* —.

265. *vellem non constituissem* [*in Tusculanum me hodie venturum esse*] *Laelio*. Non tantum, quod Lipsius iam sentiebat, *me venturum esse*, sed reliqua quoque, quae inclusi, putide inserta sunt, ut scilicet explicaretur brevitas elegans sermonis familiaris. Sic infra, II. § 27, *ad fratrem promiserat:* ad Div. IX, 1, 2, *sive in Tusculano, sive in Cumano ad te placebit. Laelii* nomen non sollicitandum, ubi certi nihil substitui potest: quis iste Laelius fuerit, ignoramus.

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBER SECUNDUS.

Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria te-
1 nes, opinio fuit L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse: erantque multi,

---

1. *erantque multi, qui, quamquam — arbitrarentur, tamen — praedicarent.* In recta oratione diceretur *multi, quamquam arbitrabantur, praedicabant:* nunc, propter suspensam formam, ex *erant qui, quamquam* adsciscit Coniunctivum. Utilia quaedam de hac disciplina monuit Beierus, Introd. ad Lib II. de Officiis p. 4: sed quum soleant viri docti, quum alii, tum Zumptius, Gramm. § 574, tradere, temere hoc fieri, exploremus unum alterumque locum, ut rationem servari demonstremus iis locis, quibus utuntur. Ad Div. XIII. 68. 1: *quae, quamquam ex multisp ro tua claritate audiam, tamen libentissime ex tuis literis cognoscam:* in his *audiam* Futurum Indic. est. Orat. III. § 27, *quamquam — tribuatur*, vindicabo Indicativum. Muren. § 20, *loquar:* rectissime corrigitur ab Ernesto *loquor*, probante Matthiaco. Tusc. V. § 85, *quamquam enim sint in quibusdam malis — :* in quibus Coniunctivus hac ratione explicandus. Constituerat Cicero praeclarum illud decretum beatae vitae, hanc in virtute positam esse, demonstrare omnium philosophorum sententiis convenire (conf. ibid. § 84), igitur, ad Peripateticos progressus, his, Inquit, *licet facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent; quam quum ad coelum extulerint* (leg. *extulerunt*), — *reliqua ex collatione facile est conterere atque contemnere: nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicant, negare, eos esse beatos, qui illam adepti sunt: quamquam enim sint in quibusdam malis, tamen hoc nomen beati longe et late patet.* Eo loco, si *sunt* legitur, propter syntaxin necessario intelligendi sunt ipsi *ii*, i. e. Peripatetici: sed, *quamquam sint* pendet ab Infinitivo cum Accus. (*eos esse beatos*), ideoque postulatur Coniunctivus. In Oratore, § 183, nunc assentior Wesenbergio, corrigendum esse *soluta*

qui, quamquam non ita se rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent; ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor, et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tum, ut pueri, re- 2
futare domesticis testibus, patre, et C. Aculeone, propinquo nostro, et L. Cicerone, patruo, solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo, quocum erat nostra matertera, quemque Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit: quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placeret, et ab iis doctoribus, quibus illi videretur, erudiremur,

---

esse videtur. Idem valet Topic. § 34 (*videbantur*): item in Fin. III. § 48, ut Goerenzius putabat, et post eum Coniunctivus (*negent*) summo iure sublatus est: pariterque in Caton. Mai. § 44 restitutus Indicativus, quum concedentis sit oratio. Omnino librariorum aberrationes curandae non sunt, ut supra, § 21, ubi requiritur *polliceri videtur:* nec dubito quin ad Div. IX. 8. 2. aliquis Codex praebiturus sit *dabant*, quod procul dubio rectum est. Verum igitur viderunt Otto et Madvigius in Fin. III. § 70, ubi omnes tamen libri servant *alii dicant*, ubi suo arbitratu Madvigius annotavit, disputationem de usu Partic. *quamquam* alienam esse ab eo loco: sed tanto magis dolendum, eandem prorsus omissam esse in eius Grammatica. Alia exempla eiusdem generis perlustravi ad Legg. p. 604 sqq.

incensos studio dicendi. Revocandum hoc fuit, prae vulg. *discendi*. Non per se *studium discendi* improbandum est, sed *incensus* eius rei demum studio dici quis potest, quam vehementer admiretur, ut I. § 97. Orat. § 33. Fat. § 3. Porro, quum *a doctrina deterrere* nihil aliud est, nisi *a discendo deterrere*, igitur ab iis, quae doctrina et tamquam arte traduntur a doctoribus (conf. quae disputavi ad Legg. p. 442 sq., et infra III. § 85 fin.), in altera illa lectione hoc diceretur, minus commode, *incensos studio discendi a discendo deterrere.* Contra, ii, de quibus sermo est, probabant in pueris illis *studium dicendi*, sed non necessariam putabant eruditionem ad consequendam dicendi facultatem.

2. *quemque Crassus dilexit.* De meo addidi copulam, non omittendam, ut mihi videbatur: libri plerique *quem Crassus*, Leid. *quem cum Crassus.*

et patruus, qui cum Antonio — decesserat. Turbatum est in his. In hac § 2 sermo de Crasso tantum est, quo

etiam illud saepe intelleximus (quum essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus); illum et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percunctando, eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei no-
3 vum, nihil inauditum videretur. De Antonio vero, quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille, vel Athenis, vel Rhodi, se doctissimorum hominum sermonibus dedisset, tamen ipse adolescentulus, quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum: nam

---

nihil pertinet illud de patruo, qui cum Antonio fuisset: de Antonio sequ. demum § 3 sermo est. Quapropter verba illa, quae proposuimus, omissis *et patruus*, reiicienda in suum locum sunt, § 3, post verba *patruo nostro acceperamus*.

de eius studio doctrinaque saepe narrarit. Corrigendum dixeram, *de eius studio doctrinae*, in eaque sententia maneo, quum Voss. habet *studio doctrina*, sine copula. *Studium* sane dici non poterat sine Genitivo obiecti: et *studium doctrinae*, ut ex iis conficitur, quae modo disputavi, est *studium discendi*. — *Narravit* quod dicitur, defenditur numerus singularis observatione Matthiaei in Wolfii Analect. III. p. 11.

quumque — et ea disceremus, quae Crasso placeret —. Neglectam video ab Editoribus correctionem meam, cuius tantum abest ut me poeniteat, ut denuo eam ornare lubeat. Iam ipsum illud, quod in vulgata lectione dicitur, quodam modo absurdum est. Neque enim illa elementa doctrinae dici poterant *placere* Crasso; et paene ridiculum est fingere Crassum, ea et aetate et dignitate, *usum esse doctoribus*, sive ad discendum, sive ad victus consuetudinem, quem constat alienissimum fuisse ab eiusmodi instituto vitae (conf. II. § 365. III. § 82 et 85), etiamsi Staseam illum sibi familiarem appellat (I. § 104): itaque Cicero mox appellat *nostros doctores*. Hinc necessario corrigebam, *quae Crasso placeret*, sc. nos discere, pro *placerent*, et *quibus illi videretur*, sc. ut disceremus, pro *g. ille uteretur*; neque in *quibus* iterari opus erat Praepos. *a*. Vix attinet huius loquendi formae exempla afferre: conferantur tamen haec: Verr. II. § 39. fin. *quos commodum ipsi fuit*: III. § 18, *quam ipsis videretur*, ibique Zumpt. Rabir. Perd. § 20, *quos iis videretur*: eademque ratio, saepe usurpata a Livio, Gronovio corrigendi opportunitatem praebuit in XXIII. 13. 12: et totum hoc fluxisse a Graecorum consuetudine, ne opus quidem est explicare.

quum essemus eiusmodi. Non assentior iis, qui haec abiicienda censent: aliquanto exquisitior loquendi forma est, quam pro annotatoris ingenio. *Eiusmodi esse* refertur vel ad virtutem aut vitium, vel ad facultatem (conf. Verr. I. § 56. IV. § 148, Leg. Manil. § 13, quem locum tractavit Madvig. Opusc. Acad. I. p. 129): h. l. erit igitur, quum eo intelligentiae pervenissemus. Sed horum explicandorum causa interposita sunt sequentia, *quod*

iam tum ex me audiebas, mihi illum ex multis variisque sermonibus nullius rei, quae quidem esset in iis artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. Sed fuit hoc in utroque eo- 4
rum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem huic populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse numquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur. Quorum con- 5
silium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus: illud

---

vel — poteramus.

3. *in iis artibus.* Vulg. *his.* Sequor Henrichsenium, et perperam alterum interpretatur Ellendtius, quem mirari licet, quum ad § 64 affirmat, nihil certi de illis Pronom. distinguendis constitui posse.

4. *Antonius — probabiliorem huic populo orationem fore —.* Non dubitavi verissimam Pearcii correctionem recipere in textum, quum omnes libri proderent *hoc populo*, quamquam summa fecit Ellendtius ad h. l., ut obtineret, hunc Ablativum absolutum, ut appellat, servandum esse. Non satis est ad defendendam correctionem duo exempla excitare, primum in eadem sententia, infra, § 153, quum dicitur *existimavi probabiliorem huic populo oratorem fore:* alterum III. § 92, *vernaculis rebus satis facere me posse huic populo non putabam:* quamquam apertum est per syntaxin (*probabilis*, et *satisfacere*) requiri in his Dativum: sed attendendum est *hoc populo*, quod interpretari necesse est, quasi diceretur, *quum hanc populi voluntatem esse constet de re publica*, non nisi cum Verbo absoluto dici, sicuti Legg. III § 37, *quid hoc populo obtineri possit*, et Leg. Agrar. II. § 101, *hac contione, hoc populo certe non vererer:* idemque valere puto in omnibus exemplis istius Ablativi absoluti, quae magna diligentia vir doctissimus collegit. Sed eum plane miror eandem interpretationem adhibere his verbis, Brut. § 311, *tumultus interim recuperanda republica* (ubi aptius corrigatur *recuperandae rei publ.*), tum his, Orat. § 74, *quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset* (quod commode sic corrigetur, *immolata Iph.*)

censebat. Non necessario Coniunctivus postulatur, propter praeced. *vellet:* sed, *sentiebat. Censemus* ea, quae fieri oporteat. Supra iam bis e libris enotatum est verba illa inter se permutari, ad I. § 113 et 209.

5. *ne sine omni quidem sapientia.* Videri potest hoc aliquanto nimium esse: et quoniam modo praecessit *dicendi doctrina*, postulari mihi videtur in his quoque Genitivus, *ne sine omnis quidem sapientiae*, sc. doctrina.

eloquentiae nomen relinquendum est. Sed ei, qui hoc se posse non profitetur, reliquendum est nomen *eloquentis*, i. e. non poterit appellari eloquens. Itaque sic corrigendum. Ita infra, § 38, *orator sine ea nomen obtinere suum* (*oratoris*) *non potest.* Conf. § 306.

autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere umquam et praestare potuisse.

2 Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae: bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta teneatur. Omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut elo-
6 quentiae nomen relinquendum est. Quare equidem et in nostra civitate, et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos [et ingeniis et] magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor; talem vero exsistere eloquentiam, qualis fuit in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam pertinerent, tantamque dicendi
7 copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo. Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis; vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuis-

---

6. *multos [et ingeniis et] magna laude dicendi — fuisse.* Assentior Pideritio. Primum, plur. *ingenia* pro ipsis hominibus poni solet, quorum ingenium laudatur, ut mox, § 8. 11. 38, et passim. Rursus, si corrigatur *ingenio*, haberemus bis idem, quoniam *ingenium* de eloquentia dicitur. Sed recte mihi videtur Mullerus sequens *fuisse* corrigere, ut fiat *floruisse*: ita III. § 130. — Mox, *confirmo*, nempe id, quod ante iam dixi, non mutandum in *affirmo*.

7. *ab oblivione hominum atque [a] silentio vindicarem.* Omittenda videtur Praepos. altero loco, quoniam ista non ut diversa ponuntur, sed una notio significatur, quasi dixisset *ab oblivionis silentio*.

8. *laborandum.* i. e. id operam dandam esse. Bene hoc servatum prae altero, *elaborandum*, ut mirer Ellendtium de eo dubitare potuisse. *Elaboramus* in aliqua arte.

quod quidem exstaret. Postulari mihi videtur *exstet*. Non negligendum hoc est, quod e verbis *et id ipsum adolescens*, conficiendum necessario est, Antonium id *adolescentem reliquisse*, id, quod fieri non potest ut Cicero scripserit. Coniicio, post *exstet*, excidisse *edidisset*.

quum etiam nunc —, hanc immortalem redderemus. Quod in postrema parte *hanc* ponitur, idque ad praecedens refertur, corrigendum necessario

se, vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam, ut laudem eorum iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque [a] silentio vindicarem. Nam, si ex scriptis co- 8
gnosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum: sed, quum alter non multum (quod quidem exstaret), et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset; deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior 9
maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam me refellente: sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt; ut duos summos viros iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo [illi oratores] cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste commendemus. 3

Nec vero te, carissime frater atque optime, rheto- 10

---

mihi videtur *quam etiam nunc* —. Tum, modo, corrigendum, *tenerem*.

9. *quod hoc etiam spe aggredior maiore ad probandum*. Frustra haec interpretari conatus est Ellendtius ad I. § 15. Quid aggrediebatur Cicero? hoc, ut Crassi et Antonii memoriam immortalem redderet. Quorsum nunc ista, *ad probandum?* Nihil hic erat probandum. Praeterea, obiectum verbi *aggrediar* est in Relativo *quod*. Nihil expedio, nisi duo illa, *ad prob.*, abiiciantur: an mutanda in *ad periclitandum?*

in quo liceat mihi fingere. In *liceat* et Praesens in vitio est, et Coniunctivus, quoniam sermo est de eo, quod nunc facturus non erat. Corrigendum, *in quo licebat* —, *si quid vellem*.

quibus ambo [*illi oratores*] *cogniti sint*. Ferri non potest ut, in Praesenti tempore, illi dicantur *cogniti esse*. Quare non dubito, quin hoc scriptum fuerit, *qui ambo cognoverunt*. Ne Coniunctivus quidem huius loci erat: praetereaque inutile emblema, *illi oratores*, tollendum.

10. *sed* [*quoniam*] *sive iudicio* —. Recte mihi omitti videtur *quoniam*: continent enim haec, quae subiiciuntur, explicationem antecedentium, in quibus laudabatur Quinti fratris orationis subtilitas et ornatus, nunc additur eum tamen oratorem numquam fuisse;

ricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam (quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? sed [quoniam] sive iudicio, ut soles dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se [Isocrates] scripsit ipse, pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti, sive, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem, sed paene in tota civitate), non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter
11 eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarum artium possit illudi. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse praeteritum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur: quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam rationemque dicendi per te ipsum, usum autem per nos percipere voluisti. Sed, quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra adhortatione, ad eorum, quos proposuimus,
12 sermonem disputationemque veniamus.

Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiam tum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta

---

proptereaque non eo consilio Cicero scribit hos De Oratore libros ad fratrem mitti a se, ut eum erudiret rhetoricis praeceptis. Sic excluditur *quamquam*, quod Ernestus substitui commendabat isti *quoniam*: tota enim haec parenthesis pertinet usque ad verba *in tota civitate;* et quod sequitur, *non tamen* —, refertur ad illa, quae initio ponebantur, *nec vero te — erudiam.*

ut ipse iocari soles. Fieri non potest ut Cicero scripserit *soleo.* Sed mox corrigendum, *oratorem*, pro *rhetorem*: neque enim credibile est Ciceronem h. l. cogitasse de dicendi magistro: neque enim a docendo, sed *a dicendo* Quintus refugerat.

11. *arbitraretur.* Corrigendum, *arbitretur*, ut Kayserus.

qui prudentiam — percipere voluisti. Quum in oratore duo requirantur, et *ratio dicendi*, i. e. ars ipsa, et *usus*, illam, nquit, ipse percepisti, hunc per me *percipi voluisti;* quo modo corrigendum mihi videtur. Incredibile est enim ut quis *usum per alium percipiat.*

13. *se audisse* [*dicebat*]. Propter antecedens *dixit*, melius hoc *dicebat* omittetur.

14. *Scaevolam ita dicere* [*aiebat*]. Et inutile h. l., et improprium est illud

in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre venit: quod ubi audivit, commotus Crassus surrexit, omnesque admirati maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Qui quum inter se, ut ipsorum 13
usus ferebat, amicissime consalutassent, Quid vos tandem? Crassus, num quidnam, inquit, novi? Nihil sane, inquit Catulus: etenim vides esse ludos: sed, vel tu nos ineptos licet, inquit, vel molestos putes, quum ad me in Tusculanum, inquit, heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi a se Scaevolam hinc euntem esse conventum, ex quo mira quaedam se audisse [dicebat], te, quem ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, et tamquam in schola, prope ad Graecorum consuetudinem, disputasse. Ita me frater 14
exoravit, ne ipsum quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed mehercule verentem, ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem: Scaevolam enim ita dicere [aiebat], bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. Hoc tu si cupidius factum existimas, Caesari attribues; si familiarius, utrique nostrum: nos quidem, [nisi forte molesti intervenimus,] venisse delectat. 4
Tum Crassus, Equidem, quaecumque vos causa huc 15

---

aiebat, quod in responso tantum usurpatur.

[***nisi forte molesti intervenimus***]. Sunt sane haec ipsa molesta post illa, ***ne molesti vobis interveniremus***. Iustam brevitatem habebimus in his, ***nos quidem venisse delectat***.

15. [***magis adeo — contigit***]. Lambinum offendebat asyndeton, qui corrigebat, ***magisque***: sed, his adiectis, non firmatur id, quod modo dixerat, cuius potius explicatio exspectabatur. Ernestus illa verba parenthesi includi, itaque verborum reliquorum ordini eximere volebat: sed suam quoque parenthesis rationem habere debet, neque per eam occupari oportet id, quod statim post additur. Varietas lectionis fere nulla est, ***alia ulla***, an ***aliqua***. Offensioni est verbum ***contigit***, quoniam hoc dicitur in iis, quae extrinsecus accidunt, ut mox, § 16. Si praeterea attendimus sequens, ***qui dum obsequor —***, minus recte subiici illis, ***id contigit***, sed aptissime verbo ***placui***, licebit, spero, suspicari, totum illud ab alio interpositum esse, et hinc tollendum. Antonius, I. § 208, opportune suam ***facilitatem*** excusaverat.

ut [***iis***] ***de rebus***. Intempestiva designatio, per Pron. ***iis***, abiicienda est. Crassus in genere loquitur.

attulisset, laetarer, quum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos: sed tamen (vere dicam) quaevis mallem fuisset, quam ista, quam dicis. Ego enim (ut, quemadmodum sentio, loquar) numquam mihi minus, quam hesterno die, placui: [magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit;] qui, dum obsequor adolescentibus, me senem esse oblitus sum, fecique id, quod ne adolescens quidem feceram, ut [iis] de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod, transactis iam meis partibus, ad Antonium audiendum
16 venistis. Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus in illa longiore te ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta plus, quam ego, apud te valere videatur, et te exorabo profecto, ut mihi quoque et Catulo tuae suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit, non te urgebo, nèque committam, ut, dum vereare, ne tu
17 sis ineptus, me esse iudices. Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caesar, ex omnibus Latinis verbis huius verbi vim vel maximam semper putavi: quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod *non* sit *aptus*, idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam, qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut

---

16. *ita sum cupidus* —. Post Ellendtii explicationem, desero meam suspicionem, haec correctione indigere.

17. *tum ille — inquit, Caesar*. Neque *tum ille* abiicienda sunt, quo Pronomine Crassus indicatur, ad quem scilicet ista a Caesare dicta fuerant; et propterea servandus Vocativus, *Caesar*, quem temere Editores mutari volebant in *Crassus*. Conf. § 19. init.

18. [*Graeci*]. Merito in uno alteroque libro omittitur.

19. *horum* [*Graecorum*]. Intempestivum interpretamentum abiiciendum est.

nec tamen in otio. Recte Pideritius revocavit *tamen*, ab aliis omissum, quoque sententia carere non potest.

se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is *ineptus* esse dicitur. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio: itaque, quod vim huius mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt: ut enim quaeras omnia, quo modo [Graeci] ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio an nulla sit maior, quam, ut illi solent, quocumque in loco, quoscumque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis argutissime disputare. Hoc nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes heri coacti sumus. 18

Tum Catulus, Ne Graeci quidem, inquit, Crasse, qui in civitatibus suis clari et magni fuerunt, sicuti tu es, nosque omnes in nostra re publica volumus esse, horum [Graecorum], qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt; nec tamen in otio sermones huiusmodi disputationesque fugiebant. Ac si tibi videntur, qui temporis, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri; num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa, ubi nunc ambulamus, et palaestra, et tot locis sessiones gymnasiorum Graecorum et disputationum memoriam quodam modo commovent? aut inopportunum tempus, in tanto otio, quod et raro datur, et nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui 19 20

---

20. ***ambulamus.*** Non tamen spernenda correctio, *inambulamus:* cf. § 12.

gymnasiorum Graecorum et disputationum. Sic de meo, non tamen sine auctore, edidi, pro *gymn. et Graec. disp.*, nihil quippe erat, cur *disputationes Graecae* appellarentur.

inopportunum tempus. Ipsa, quae Ellendtius affert, exempla, probant, *importunum* (ut vulg. legitur) non nisi de loco dici, ad quem difficilis accessus sit. Redditur Graecum ἄκαιρον, itaque illud adscivi.

ut — vitam nullam esse ducamus. Suspicor, abundare Infin. *esse* in illa constructione verbi *ducere*. Ita certe *putare*, mox, § 25. Diversum est *sentire:* vid. Lael. § 86.

omnes ii sumus, ut sine his studiis vitam nullam esse
21 ducamus? Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram, et sedes, et porticus etiam ipsos, Catule, Graecos exercitationis et delectationis causa, non disputationis invenisse arbitror. Nam et saeculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in iis philosophi garrire coeperunt; et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire [quam philosophum] malunt, qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt: ita levissimam delectationem
22 gravissimae, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quod dicis esse, assentior: verum otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio.

6 Saepe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum [rus] ex urbe, tamquam e vinculis, evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem
23 animi remissionem ludumque descendere. Sic enim res sese habet, [ut] quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa fingere et constituere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi

---

21. *discum audire* [*quam philosophum*] *malunt*. Quae tollenda indicavi, primum, prorsus inutilia sunt, quoniam praecedit *eorum auditores;* tum, quod sequens Relativum, *qui*, sic demum apte ad *discum* refertur.

22. *quum* [*rus*] *ex urbe — evolavissent*. Et per se inutile est *rus*, post *rusticari*, et *evolare* perpetuo solet absolute dici.

23. *sic enim res sese habet*, [*ut*] *quemadmodum* —. Praemitti saepe solet illa formula absolute, sicut Senect. § 65. fin. Tusc. V. § 63: diversique generis sunt exempla, quae exposuit Madvigius ad Fin. p. 57: tum nulla ratione similitudo, quae proponitur h. l., ita cum illa formula coniuncta est, ut Particulam finalem *ut* admittat, sicut infra, III. § 200. Ideo Coniunc-

laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare: sic nostri animi, negotiis forensibus atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt, vacui cura atque labore. Itaque illud, quod ego in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus, ac sentiebam. Nam, si, inquam, Scaevola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur? inquam; quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? Tum illud addidi: mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit. In qua permaneo, Catule, sententia; meque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare delectat. Nam, quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam, ut C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, [ea, quae scriberet,] neque se ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse: de quo etiam scripsit, *Persium non curo legere* (hic enim fuit, ut non ignoramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus); *Laelium Decimum volo* (quem cognovimus virum bonum, et non illiteratum, sed nihil ad Persium): sic ego, si iam mihi disputandum sit de his

---

tivos, *gestiant — cupiant*, in Indicativos mutavi. Sic demum *ut* finalis se tuetur, si illud ipsum, quod *sic se habere* dicitur, subiicitur, non item, si iam praecessit, nec nisi similitudine aut exemplo illustratur. Alia indicavi ad Legg. I. § 58.

negotiis forensibus. Novissimus Editor secutus est id, quod e Cod. Voss. et Leid. commendaveram, quum reliqui habere videantur *forensibus negotiis*. Amat Cicero in talibus chiasmum.

24. *quando denique nihil ages?* Malim, *demum*. In uno libro omittitur *denique*.

25. [*ea, quae scriberet*]. Non iniuria haec pro interpolatis habentur, in nonnullis libris omissa: explicabatur ita sequ. *se*, quod ipsum melius collocatur post *ab indoctissimis*, quam ante.

nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos: malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi.

7 Tum Caesar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi
26 videor navasse operam, quod huc venerim: nam haec ipsa recusatio disputationis disputatio quaedam fuit, mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio esse partes, [ut de tota eloquentia disserat,] quemque iamdudum Cotta, et Sulpicius ex-
27 spectat? Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro. Quidnam? inquit Catulus. Ut hic sitis hodie. Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo: sic faciemus: atque ista quidem conditione,
28 vel ut verbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arrisit; et simul, Praecisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, et hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facile promisit.

Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt; et

---

26. [*ut de tota eloquentia disserat*]. Ridiculum, quoniam nulla virtus aut facultas vel *tota* cogitari potest, vel in partes tribui, sed potest ars quaedam, et disciplina. Igitur supra, § 13, recte, *de eloquentia disserere:* tum, diversa sunt haec, § 29, *hoc totum sive artificium, sive studium dicendi*, et § 39, *hoc totum diserte dicere*, in quibus *hoc totum* significat, quicquid sit. Igitur, quinque illis verbis sublatis, aptius etiam Relativum *quemque* continuabit superiora. Antonii partes aliquanto arctius describuntur I. § 264.

27. *atque ista quidem conditione, — me teneres.* Quod aliis, mihi quoque accidit, ut haererem in horum verborum interpretatione; quibus iterum consideratis, repudio quidem id, quod ante proposueram, sed corrigendum censeo, *me tenes.*

28. *audite vero.* Quod h. l. per ironiam dicitur, serio loquitur Orator in Muren. § 78.

non nos solum. Praetuli hunc ordinem prae vulgato, *non solum nos.*

29. *sed tamen, quoniam hoc totum, —.* Praetuli hoc vulgatum prae eo, quod post ediderunt, *sed quia tamen —*, quoniam duae hae coniunctiones copulari sic non possunt, et potius utraque sententiam inchoare debet. Igitur *sed tamen docebo vos* sic dicitur, ut profiteatur Antonius, non se deterreri ab illo suscepto, quod Catulus adesset: tum huius fiduciae rationem reddit, *quoniam os accedere oportet*, sine quo ipsum *dicere* cogitari non possit.

ille, Audite vero, audite, inquit. Hominem enim audietis de schola, atque a magistro et Graecis literis eruditum: et eo quidem loquar confidentius, quod Catulus auditor accessit, cui non nos solum Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere. Sed tamen, quo- 29
niam hoc totum, quicquid est, sive artificium, sive studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse; docebo vos, discipuli, id quod ipse non didici [quid de omni genere dicendi sentiam]. Hic posteaquam arrise- 30
runt, Res mihi videtur esse, inquit, facultate praeclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quae sciuntur: oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi: itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt, et iudicant, et nos contrarias saepe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, quum alterutri necesse sit falsum dicere, sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud de-

---

[*quid de omni genere dicendi sentiam*]. Festivum erat hoc Antonii, quod dixerat, *docebo vos, quod ipse non didici*, ideoque *arriserunt*: sed nulla festivitas erat in his, quae inscite addita sunt, *quid — sentiam*. Non sane Antonius *discere* potuerat, *quid sentiret!* et haec ipsa verba primum in eodem vitio sunt, in quo erant illa, quae § 26 inclusi: tum, *genus* ipsum appellare demum poterat, postquam rem explicuerat, § 32; itaque, argumento iam definito, Crassus apte dicere poterat, III. § 25, *quid sentiam de universo genere dicendi*. Conf. II. § 235. Sic obtinebo, ut spero, ut totum illud interpolatum habeatur.

30. *oratoris autem omnis actio — continetur*. Quaesieram, quid h. l. esset *oratoris actio*. Respondet Ellendtius, eam esse πᾶσαν πρᾶξιν ῥήτορος, non optime Graece, et frustra quaeras eius locutionis exemplum in Graecis Rhetoribus. Tamen nunc mihi videtur satis perspicuum esse hoc velle Antonium, omne id, quod agat orator, et in quo dicendi facultatem expromat et exerceat, non scientia, sed opinionibus (quae nulla arte addisci possint) *contineri*, i. e. regi; quemadmodum *contineri* usurpatur Offic. III. § 23, et passim.

[*quae ad scientiam non saepe perveniat*,]. Quae in his verbis reprehendenda esse dixeram, concessit mihi Ellendtius: neque enim nisi de eo dici poterant, qui scientiae cupidus esset; et illud *non saepe* sumit hoc, aliquando tamen *pervenire*. Post conieci corrigendum esse, *quae scientiam spernat*:

fendat, quum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in eiusmodi re, quae mendacio nixa sit, [quae ad scientiam non saepe perveniat,] quae opiniones hominum, et saepe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis.

8 Nos vero, et valde quidem, Catulus inquit, puta-
31 mus, atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus: exorsus es enim non gloriose, ma-
32 gisque, ut tu putas, a veritate, quam a nescio qua dignitate. Ut igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam; sic illud affirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum, et ad excipiendas eorum voluntates. Huius rei [scientiam] si quis volet magnam quandam artem esse dicere, non repugnabo: etenim, quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant, non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius, quam alii dicant, id possit notare.
33 Ergo id qui toto in genere fecerit, is, si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. Atque utinam, ut mihi illa videor videre in foro atque in causis, ita

---

Ellendtius delere mavult, „quod inep„tam priorum de mendacio explicatio„nem continere videantur." Ipse nunc nihil definio.

32. *huius rei* [*scientiam*] — *artem esse dicere.* Improprie *scientia* explicatur *artis* vocabulo: neque *scientiam* negaverat modo Antonius, sed *artem* esse. Indicanda fuit interpolatio. *Huius rei* quod dicitur, refertur ad obiectum illorum praeceptorum: nec muto id, quod supra, ad I. § 196, notavi: sed *rei* vocab. apte usurpatur infra, § 52 init. et 55 init. Alio modo, mox, § 36, *ars* dicitur *profiteri scientiam.*

33. *exponere.* Mirum sane aliis placuisse alteram lectionem, *exquirere.*

34. *qui enim cantus moderata oratione dulcior inveniri potest?* In his recte deserta est altera lectio, *moderatae orationis pronuntiatione dulcior.* Nempe, *cantui* opponitur *oratio*, i. e. locutio ea, quae propria oratoris est: conf. Orat. § 64: itaque ipsa continet *pronuntiationem*: nec ferendum est ut dicas *orationem pronuntiare*, tamquam si dicas *locutionem pronuntiare*: et *pronuntiatio*, quae infra, § 79, cum ipsa actione (ὑποκρίσει) coniungitur, nihil aliud est nisi recitatio: tum,

nunc, quem ad modum ea reperirentur, possem vobis exponere! Sed de me videro: nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore praeclarius. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus iucundius percipi possit. Qui enim cantus moderata oratione dulcior 34
inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor imitanda, quam orator suscipienda veritate iucundior? quid autem subtilius, quam crebrae acutaeque sententiae? quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? quid plenius, quam omni genere rerum cumulata oratio? Neque ulla non propria oratoris res est, quae quidem ornate dici graviterque debeat. Huius est in dando consilio de maximis rebus cum di- 9
gnitate explicata sententia; eiusdem et languentis populi 35
incitatio, et effrenati moderatio: eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur: quis cohortari ad virtutem ardentius? quis a vitiis acrius revocare? quis vituperare improbos asperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius frangere [accusando] potest? quis moerorem

---

pronuntiare est, verbis complecti id, quod vel quaerendo cognoveris, vel mente deliberaveris, sicut et *historiam pronuntiare*, et *philosophia placitum* dicitur, observante Heusingero ad Corn. Nepotis fragmm. post Mallium Theodorum p. 145, sq. et 160: *moderata oratio* autem est numerosa, quam quis pronuntiando moduletur: cf. Orat. § 198.

quae quidem — debeat. Revocavi Coniunctivum: novissimi Editores servarunt alterum, *debet*. Qua ratione discrimen contineatur, explicui ad Sest. § 140, in Mnemos. IX. p. 209, sq.

35. *huius est in dando consilio — sententia.* De more significat triplicem oratoriae facultatis explicandae locum, senatum, contionem, et iudicia. Sed, quamquam *consilium dare de re publica* recte in senatoris munere ponitur infra, § 43 et § 337, h. l. tamen, quoniam illud ipsum *sententiae explicandae* verbo iam continetur, abiicienda censeo haec, *in dando consilio*, languida per se, quorumque nihil simile in seqq. offenditur.

[*accusando*] — [*consolando*]. Haec quoque putide interpolata sunt.

ad salutem vocatur. Supra, I. § 32, dicebatur *dare salutem*.

36 levare mitius [consolando]? Historia vero, testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam, si qua est ars alia, quae verborum aut faciendorum, aut deligendorum scientiam profiteatur; aut si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus; aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur aut argumentorum, aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis; fateamur, aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum
37 esse, aut cum alia aliqua arte esse commune. Sed, si in hac una est ea ratio atque doctrina, non, si qui aliarum artium bene locuti sunt, eo minus id est huius unius proprium: sed, ut orator de iis rebus, quae ceterarum artium sunt, si modo eas cognovit (ut heri Crassus dicebat), optime potest dicere; sic ceterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte di-
38 dicerunt. Neque [enim], si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam, [id quod multi], medicus de morbis, aut si de pingendo pictor aliquis diserte scripserit aut dixerit, idcirco illius artis putanda est eloquentia, in qua

---

36. *fateamur, aut hoc — esse commune.* Sententia requirere mihi videtur, perspicuitatis causa, *aut nobis cum alia — commune.* In tota hac argumentatione, quamquam ante dixerat (§ 33) *artem non esse* oratoris, nunc tamen sumit eam artem esse, quae opponatur reliquis artibus.

37. *ornatius illa sua dicunt, — dicerunt.* Requiro Futura, *dicent*, et *didicerint.*

38. *neque [enim].* Bene Kayserus iudicat, hoc tollendum esse.

[*id quod multi*]. Etiamsi verum esset multos medicos diserte conscripsisse, tamen in hac argumentatione non decebat hoc de industria efferri, quoniam per exceptionem tantum conceditur ut aliquis exstiterit, qui scribendi facultate valuisset.

eo multi etiam — consequuntur. Ut vulgo haec eduntur, necessario ad sententiam explicandam iungenda sunt *multi omnium generum atque artium.* Sed, primum, ista sic divelli non licebat: tum, ut recte modo dicebatur *ceterarum artium homines*, non ideo recte dicitur *multi omnium artium.* Sine controversia verba illa interpolatori debentur. Ne cogitavit quidem h. l. Antonius de *omnibus artibus* (*genera* quod appellat propemodum barbarum est), sed hoc dixit, *multi etiam sine doctrina aliquid* (nempe, *in ea*)

quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid [omnium generum atque artium] consequuntur: sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, quum videris, quid quaeque doceat, tamen hoc certius esse nihil potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea obtinere nomen suum non potest: ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant, hic, nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impe- 10
diendus est [interpellatione] iste cursus orationis tuae, 39
patiere tamen, mihique ignosces: non enim possum, quin exclamem, ut ait ille in Trinummo; ita mihi vim oratoris quum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime: quod quidem eloquentem vel optime facere oportet [ut eloquentiam laudet]: debet enim ad eam laudandam, ipsam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porro: tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum diserte dicere; idque si quis in alia arte faciat, eum assumto aliunde uti bono, non proprio, nec suo. 40
Et Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit,

---

consequuntur.

etsi ex eo iudicari potest, —. Non assentior Pideritio, qui Coni. *etsi* et *tamen* hinc expellit, quum nihil concedatur, cui id, quod subiicitur, contrarium sit. Sane, inquit Antonius, *quid cuiusque* (*artis*) *sit proprium, ex eo iudicari potest, quum videris, quid quaeque doceat* (ut recte correxit Kayserus vulg. *doceant*); sed *tamen* hoc certissimum est —.

quam quod omnes — non possit. Structura haec vitiosa est post *certius esse nihil potest:* requiriturque hoc, *quam quum omnes — praestare possint, oratorem — non posse.*

39. *impediendus est* [*interpellatione*] *iste cursus* —. Credibile non est Catulum perquam otiose nomen istius figurae addidisse, quae inter reliquas apte commemoratur infra, III. § 205.

[*ut eloquentiam laudet*]. Puerilis interpretatio, quum ipsum hoc iam indicetur Relativo *quod*. Et, quandoquidem *facere oportet* significat, fieri aliter non posse, quin faciat, absonum est, quod subiicitur, *debet enim — adhibere*, quod per se iam ineptum est. Corrigatur, *etenim — adhibet* —.

non proprio, nec suo. De his supra notavi, ad I. § 217.

40. *unius cuiusdam operis.* Si Comici dictum est, ipsius verbis relatum, excludendum esse opinor *cuiusdam*.

hominemque reddidit: nam hesterno sermone unius cu-
iusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem, au-
baiulum nobis oratorem descripseras, inopem [quendam]
humanitatis, atque inurbanum. Tum Antonius, Her-
enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refel-
lissem, hos a te discipulos abducerem: nunc, Catulo
audiente et Caesare, videor debere non tam pugnare
41 tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere. Sequitur
igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in
foro atque in oculis civium constituendus, ut videamus,
quid ei negotii demus, cuique eum muneri velimus esse
praepositum. Nam Crassus heri, quum vos, Catule et
Caesar, non adessetis, posuit breviter in artis distribu-
tione idem, quod Graeci plerique posuerunt, neque
sane, quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur,
ostendit; duo prima genera quaestionum esse, in qui-
bus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum
42 certum. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo
aliquid generatim quaereretur, hoc modo: [expetendane
esset eloquentia;] expetendine honores: certum autem,
in quo, quid in personis, et in constituta re et definita,

Antonius supra, I. § 260, *in hoc uno opere, ut ita dicam.*

inopem [*quendam*]. Merito Ernestus offendebatur illo adiecto Pronomine: in mera descriptione eius, quem modo *remigem aliquem* vocaverat, melius illud Pron. abest, neque admittenda Ernesti correctio, *quidem*. De eiusdem Pron. abusu notavi supra, ad I. § 12 et II. § 40. Sed I. § 94 neglexi monere, verba, *ex communi quadam opinione hominum*, ideo quoque interpolata mihi videri.

41. *duo prima genera*. Ut III. § 116.

42. [*expetendane esset eloquentia*]. Vix concedi potest hoc, ut dicatur quis *expetere eloquentiam*, quam *consequi*, aut *assequi* licet ei, qui, naturae bonis ornatus, his studium et exercitationem adiungit: sed *expetimus* bona externa. Totum illud, ut ineptum, delendum est: aptiora exempla ponit Crassus, III. § 116. Et, ne quis existimet, huic doctrinae adversari tamen locum I. § 19, tenendum istic verbi *expetere* obiectum esse gloriam, aut dignitatem, non eloquentiam.

43. *ea mihi videntur* —. Non attinebat novam ita inchoare sententiam, quasi novi aliquid de iis, quae modo definita erant, exspectaretur: statim, ut Crasso occurratur, genera distinguuntur, iudiciale et deliberativum. Corrigendum, *et mihi videntur*, et cum antecedd. continuandum.

a Crasso tactum est. Nempe I. § 141.

quaereretur; cuiusmodi sunt, quae in foro, atque in
ciuium causis disceptationibusque versantur. Ea mihi 43
uidentur aut in lite oranda, aut in consilio dando esse
posita: nam illud tertium, quod et a Crasso tactum
est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui haec maxime
illustravit, adiunxit, etiam si opus est, minus est ta-
men necessarium. Quidnam? inquit Catulus; an lau-
dationes? id enim video poni genus tertium.

Ita, inquit Antonius: et [in] eo quidem genere scio et 11
me, et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehemen- 44
ter, quum a te est Popilia, mater vestra, laudata;
cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate
tributum puto. Sed non omnia, quaecumque loquimur,
mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda.
Ex iis enim fontibus, unde omnia ornate dicendi 45
praecepta sumuntur, licebit etiam laudationem ornare,
neque illa elementa desiderare, quae ut nemo tradat,
quis est, qui nesciat, quae sint in homine laudanda?
Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis
suae, quam contra collegam censor habuit, principio
dixit, *Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in*

---

id enim video. Fortasse corrigendum, *audio.* Conf. ad I. § 46.

44. *et* [*in*] *eo quidem genere* —. Quoniam *delectari* necessario postulat Ablativum, delenda est Praepositio.

45. *neque illa elementa desiderare.* Non puto, concedendum esse ut Cicero scripserit, *licebit non desiderare:* tum, *illa elementa* oportet esse ea, quae iam indicata essent, quum h. l. nihil eius generis antecedat. Corrigendum videtur, *neque illa ulla elementa desiderat.* Modo, praestabit *ex iisdem enim* —.

quae sint in homine laudanda. Non quaeritur nunc hoc, *quae laudanda sint*, sed *quae* (*elementa*) *sint in homine laudando*, i. e. laudationis: ita statim illa elementa, secundum Crassi orationem, commemorat. Igitur, expositis illis, mox, § 46 fin., dicitur, *haec facile videbit qui volet laudare.* Itaque non utimur ea correctione, quam Kayserus edidit, *posita enim in eis sunt rebus:* potiusque hanc explicationem sic continuari agnoscendum est, *positis enim iis rebus, — non posse; qui laudabit quempiam*, —.

in iis rebus [*se pati vinci*] *non posse.* Ferendum non est ut *se* et *vinci* ita divellantur. Sed non solet talia plene iterare: igitur, sublatis, quae interposita sunt, legendum, *in iis rebus non posse:* et utrobique in *posse* intelligendum est *eos.*

exponenda sibi esse fortunae bona. Requiri puto, propter seq. *deinde*, ut legatur, *primum exponenda* —.

iis rebus se vinci, posse animo aequo pati; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus [se pati vinci] non posse; qui laudabit quempiam, intelliget exponenda
46 sibi esse fortunae bona: ea sunt generis, pecuniae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii, et ceterarum rerum, quae sunt aut corporis, aut extraneae: si habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse; si amiserit, moderate tulisse: deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Haec, et quae sunt eius generis, facile videbit, qui volet lau-
47 dare quempiam; et qui vituperare, contraria. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? non enim, si est facilius, eo de numero quoque est excerpendum. Quia nolo, inquit, omnia, quae cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil possit
48 dici sine praeceptis suis. Nam et testimonium saepe dicendum est, ac nonnumquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium [seditiosum civem et turbulentum]. Explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro re publica restitissem; quaeque ab eo contra rem publicam facta arbitrarer, exposui: diu retentus sum, multa audivi,

---

46. *si habuerit.* Propter syllabam finalem vocabuli praeced. duae literae exciderunt, legendumque, *ea si habuerit.*

47. *quoniam est in ratione rerum.* Sive *est*, sive *inest* legatur, fateor, me haec non intelligere. Suspicor tamen, hoc voluisse Catulum, ideo laudationum peculiare genus habendum esse, quod certa ratio sit earum rerum, quae tamquam elementa sint.

nolo ea sic tractare. Praestabit, credo, *tractari:* et, ex eadem norma mox, § 48, malim, *quum de eloquentia praecipiatur, aliquid etiam — tradi.*

48. [*seditiosum civem et turbulentum*]. Annotatoris haec sunt: quis fuisset Titius ille, bene noverant ii, ad quos loquitur Antonius.

49. *mandata sint exponenda.* Corrigi poterat, *sunt:* sed aptius erit, *ut mandata sint exp.*, ut suspensum sit ab *accidit.*

nulta respondi. Num igitur placet, quum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis, quasi in arte, tradere? Nihil sane, inquit Catulus, necesse est.

Quid? si, quod saepe summis viris accidit, mandata 12
sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad 49
imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu? num, quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendum, idcirco pars etiam haec causarum numeranda videtur, et propriis praeceptis instruenda? Minime vero, inquit Catulus: non enim deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas, ex ceteris rebus et causis comparata. Ergo item, inquit, 50
illa, quae saepe diserte agenda sunt, et quae ego paullo ante [quum eloquentiam laudarem] dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium, neque certum praeceptorum genus, et agenda sunt non minus diserte, quam quae in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio; quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret; sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt. Plane, inquit Catulus, assentior. Age vero, inquit Antonius, qualis ora- 51
toris, et quanti [hominis in dicendo] putas esse historiam scribere? Si, ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus: si, ut nostri, nihil opus est oratore: satis est non esse mendacem. Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt,

---

et propriis —. De meo sic correxi: vulg. *aut propriis* —.

50. *paullo ante* [*quum eloquentiam laudarem*]. Inscitum emblema expellendum. Primum, metuendum non erat ne obliti iam essent reliqui, qua opportunitate illud *paullo ante* (§ 35) dixisset: tum, non *eloquentiam* isto loco, sed *oratoris vim* laudaverat (§ 39), quo loco iam illud, *eloquentiam laudare*, interpolatum esse dixi.

51. *qualis oratoris et quanti* [*hominis in dicendo*] *putas esse* —. Nihil esset in his, quod offenderet, si recte dici constaret *talis*, et *tantus in dicendo*: ne *homo* quidem *in dicendo* ferri potest; nec *homo tantus* umquam dicitur, sed aliis Adiectivis illud nomen solet ornari. Ideo ista interpolata mihi videntur. Conf. Legg. in exordio.

ut noster Cato. Mirum accidit quod in ieiunis illis annalium scriptoribus Cato quoque numeratur, de cuius Originibus longe aliter iudicat Cicero Brut. § 66, sq.

52 ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium [,pontificem maximum], res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui eti-
53 am nunc annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque, qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti, talis noster Cato, et Pictor, et Piso; qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio (modo enim huc ista sunt importata), et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem.
54 Paullum se erexit, et addidit maiorem historiae sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater: ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

---

52. *usque ad P. Mucium [pontificem maximum]*. Inutile additamentum, propter sequens *pontifex maximus*, hinc resecandum est.

efferebatque in album. Servavi librorum lectionem prae Lambini coniectura, *referebatque*. Puto, illud verbum proprium esse, ut sit edere in publicum: tum, abiiciendam esse inutilem explicationem, *et proponebat tabulam domi*, quum Servius quoque, ad Aen. I. 373, *album* interpretans, dixerit, esse *dealbatam tabulam:* dubitari poterit quoque, an populo cognoscendi potestas esset, si *domi* ea tabula proponeretur.

54. *addidit maiorem historiae sonum vocis*. Ellendtius hoc *vocis* abesse malebat. Nondum concedo. Primum, aliquoties apud Ciceronem reperies, dici *sonum vocis:* tum, ipsi historiae melius tribuitur *vox*, quam *sonus;* historia loquitur, non sonat: ipse scriptor *sono uti* dicitur infra, § 58.

neque distinxit historiam varietate locorum. Quod Iaçobsius coniecerat, *colorum*, aptius diceretur inter ea, quibus stilus et compositio orationis continentur. Vulgatam quum antea interpretabar sic, ut Coelius diceretur res gestas in singulis oris non seorsum complexus esse; nunc eam rationem desero, nec tamen probare possum Ellendtium, qui *locos communes* intelligit. Verbum ipsum *distinguendi* in hoc argumento ostendit, cogitandum esse de ornamentis orationis: et, quoniam ista fere perpetuo iunguntur — videri poterit aliquanto audacius —, corrigendum censeo *varietate sententiarum*. Sic modo, § 36, *orationem variare et distin-*

Est, inquit Catulus, ut dicis: sed iste ipse Coelius 13
neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus: sed, ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit: vicit tamen, ut dicis, superiores. Minime mirum, in- 55
quit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat: apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, quum ad ceteras res illustres, tum ad historiam scribendam maxime se applicaverunt. Nam et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum [ego Graece scripta] intelligere possum, magnopere delectet: et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea 56
sententia, facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut

---

fuere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus. Conf. mox, § 58 et 62.

55. *nam et Herodotum.* Sumsi *nam*, pro aliorum *namque:* vid. Madvig. Ep. ad Orell. p. 70.

quantum [ego Graece scripta] intelligere possum. Merito novissimus Editor ista insititia esse indicavit: inutilem continent occupationem eius, quod § 60 dicitur.

56. *omnes — facile vicit.* Hoc quidem loco praeferendum erit *vincit*, quod multi libri habent. Neque enim cum superioribus, aut aequalibus, sed cum iis confertur Thucydides, qui post eum fuerunt.

creber — rerum frequentia. Iugulatur in his proprietas sermonis, quoniam, etiamsi *frequentia rerum* per se recte diceretur, inscite quis appellatur *creber frequentia:* igitur infra, § 58, *rerum copia.* Sit sane hoc novum, sed suspicor, *creber*, ut alia Adiectiva copiae et inopiae, cum Genitivo iungi, et, qui hoc ignoraret, interpolavisse *frequentia*, ut Ablativus prodiret.

a re publica remotus.. Non videtur hoc tantum significare, Thucydidem a re publica gerenda abstinuisse, procul a r. p. fuisse, sed fortasse ἀποχειροτονηθέντα, aut καταδικασθέντα. Nempe errare mihi videtur Pideritius, qui de ostracismo cogitat. Dubitandum non est quin Thucydides, qui στρατηγὸς in classe apud Thraciam aberat, propter infelicem expeditionis eventum primum exauctoratus fuerit, tum, absens in ius vocatus, exsilio mulctatus. Conf. Grotii Hist. Graec. vol. VI. p. 419. — Mox,

nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in re publica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarent; et hos ipsos libros tum scripsisse dicitur, quum, a re publica remotus, id, quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset.
57 Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero [,ex clarissima quasi rhetoris officina,] duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt, causas omnino numquam attige-
14 runt. Denique etiam a philosophia profectus princeps
58 Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam; et hic quidem rhetorico paene more; ille autem [superior] leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia, et sententiarum varietate [abundantissi-

---

atque, quod statim in libris subiicitur illis, auctoritate Voss. omisi, ortum fortasse e prava scriptura sequentium, *id quod*.

57. *otium suum consumsit*. Nihil erat cur *suum* adderetur, neque additur supra, I. § 57. Ego facile carco illo Pronomine.

[*ex clarissima quasi rhetorum officina*]. Probabunt, spero, viri docti Ruhnkenii iudicium, Hist. Crit. Orat. Graec. p. LXXXVII, ista spuria esse. Non urgebo nunc, istiusmodi similitudinem et ab Antonii ingenio, et a praesentis demonstrationis consilio alienam esse, sed *rhetorum officinam* appellare non licebat, et *quasi* prave collocatum est. Qui ista inseruit, cogitavit de hoc loco, Brut. § 32, de Isocrate, *cuius domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi*. Conf. infra, § 94. — Mox non plane assentior Kayserο, verba, *ab Isocrate magistro impulsi*, spuria iudicanti: quorum verborum haec certe, *ab Isocrate*, servanda sunt, quibus mox opponitur et *Socraticus*, et *ab Aristotele*.

58. *denique etiam* —. Nondum mihi satisfacit illud *denique*, quoniam neque h. l. pro *postremo* est (adiicitur enim Timaeus), neque sic valet, ut verbo totum hoc comprehendam et absolvam:

mus], et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

Haec quum ille dixisset, Quid est, inquit, Catule? 59
Caesar: ubi sunt, qui Antonium Graece negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter? quam proprie de unoquoque dixit? Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum. Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans horum libros, et nonnullos alios, sed delectationis causa, quum est otium, legere soleo. Quid est ergo? fatebor aliquid ta- 60
men: ut, quum in sole ambulem, etiam si ego ob aliud ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic, quum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studiosius legerim, sentio illorum tactu orationem meam quasi colorari. Sed, ne latius hoc vobis patere videatur, haec duntaxat in Graecis intelligo, quae ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi: in philosophos 61
vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, qui sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de iustitia, de honestate, de voluptate, ver-

---

neque concedo Ellendtio, in *denique* contineri aliquam admirationem. Considerandum hoc relinquo aliis. Praeterea dubito, an istarum Particularum, *denique etiam*, natura patiatur, ut ita copulentur. Conf. quae notavi ad I. § 142.

ille autem [*superior*]. Tollendum hoc postremum, explicandi causa adiectum, quasi incertum esset quis esset *ille*. *Superior* appellari solet de duobus cognominibus is, qui aetate antecedit.

dulcior i. e. nimis dulcis.

sententiarum varietate [*abundantissimus*]. Iam ipse Superlativus suspectum reddit illud Adiectivum: sed praeterea, tam *copia*, quam *varietate abundans* ineptum est.

magnam eloquentiam — attulit. Fere affirmem, Ciceronem non potuisse scribere *magnam eloquentiam*: sed potuit *magnam eloquentiae laudem*.

60. *quid est ergo?* Secutus sum Voss. Vulgo, *quid ergo?*

fieri natura tamen, ut colorer. Ad constructionem, in *fieri* ex altera parte intelligendum est *sentio*. Quid sit *natura colorari*, nondum expedire potui.

61. *disputationibus illigati*. Corrigendum, *illigatae*, nempe illae res: ipsi philosophi non poterant dici *disp. illigati*.

bum prorsus nullum intelligo; ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati: poetas omnino, quasi alia quadam lingua locutos, non conor attingere: cum his me, ut dixi, oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares. Sed illuc redeo.

15 Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud
62 scio, an flumine orationis et varietate maximum. Neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis: sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde, ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simul-
63 tatis? Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum

---

62. *neque tamen eam reperio* —. Non recte omiserunt novissimi Editores illud *tamen*, quo indiget ipsa argumentatio.

63. *eventus exspectantur*. Imo, *spectantur*.

64. *verborum autem ratio — persequendum est*. Neque reliquorum constructio, neque ipsa verbi vis ullo modo fert hoc *persequendum est*. Praeterea, quod initio dicitur, *verborum ratio et genus orationis*, tamquam si haec in una enumeratione censerentur, vitiosissimum est. Loco istius copulae *et*, verbum finitum restituendum est, veluti *ratio postulat genus orationis*. Opponuntur haec *rerum rationi*, § 63.

videtisne nulla esse praecepta. Revocandum fuit *nulla*: novissimi *ulla*, vitiose, quoniam *videtisne* i. q. nonne videtis, ut § 62. Sed statim expellenda sunt verba interpolata haec, *quae in artibus rhetorum reperiantur*, quasi essent tamen praecepta, sed quae istic non reperirentur. Mox, ubi decebat, de *artibus*, sed sine addito inutili *rhetorum*, loquitur, *in his artibus, quae traditae sunt*.

oratoris officia. De meo sic correxi: libri, *oratorum off.*

[*cohortationis — admonita*]. Summo iure haec pro interpolatis habentur: non satis concinne interposita e § 50. Falso quoque in iis legebatur *admonita*, pro simpl. *monita*: eadem confunduntur in libris infra, § 175.

quid actum, aut dictum sit, sed etiam quo modo; et, quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. Ver- 64
borum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, sine hac iudiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Harum tot tantarumque rerum videtisne nulla esse praecepta [quae in artibus rhetorum reperiantur]? In eodem silentio multa alia oratoris officia iacuerunt, [cohortationis praecepta, consolationis admonita,] quae tractanda sunt omnia disertissime; sed locum suum in his artibus, quae traditae sunt, habent nullum. Atque in hoc genere illa quoque 65
est infinita silva; quod oratori plerique [,ut etiam Crassus ostendit,] duo genera ad dicendum dederunt; unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur, addat, si quis volet, etiam laudationes; alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tem-

---

65. *atque in hoc genere* —. I. e., ut in eodem silentio rhetorum iacerent. Quod autem totius longioris loci interpunctionem mutandam esse dixi, ita ut apodosis inchoaretur a verbis *hoc quid, et quantum sit*, (quae apud Ellendtium novam sententiam inchoant), iterum demonstrandum est, quoniam viro doctissimo persuadere mihi non licuit. Sed prius liberanda est oratio putido emblemate, *ut etiam Crassus ostendit*, de quibus primum monendum est, illud ipsum modo ante, § 41, sq., iam dictum esse, tum perridicule *etiam* poni in hac sententia, quasi voluisset Antonius, minime hoc exspectandum fuisse a Crasso: nam isto modo errare invitum ipsum Ellendtium minus mirum est, qui infra, ad § 69, de eo loquens, quod ipse recte animadvertisset, addit, „quod etiam Bakius vidit:" tum, non oportebat dici Crassum istud *ostendisse*, qui non nisi commemoraverit. His igitur exclusis, in protasi observandum est, quum dicatur *illa infinita silva*, abrumpi hoc, et, pro explicatione Pron. *illa*, subiici explicationem quasi parentheticam, *quod* (i. e. *quoniam*) *oratori plerique duo genera* —; tum sequi apodosin, *hoc quid, et quantum* —. Et apparet ex his postremis istam apodosin pertinere eo, quod *infinitam* silvam appellavisset, siquidem hoc nunc rhetoribus exprobrat, quod ii de infiniti generis quaestionibus nihil praecepissent.

pore et sine persona quaestionem: hoc quid, et quantum sit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur.
66 Si enim est oratoris, quaecumque res infinite posita sit, de ea posse dicere, dicendum erit ei quanta sit solis magnitudo, quae forma terrae, de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare; denique ei, qui profitetur esse suum, non solum de iis controversiis, quae temporibus et personis notatae sunt, [hoc est, de omnibus forensibus,] sed etiam de generum infinitis quaestionibus dicere, nullum
16 potest esse genus orationis, quod sit exceptum; sed si
67 illam quoque partem quaestionum oratori volumus adiungere, vagam et liberam et late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de virtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus contrariisque vitiis dicendum oratori putemus; itemque de re publica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus; assumamus eam quoque partem, sed
68 ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, [morem hominum,] quae versantur in consuetudine vitae, in ratione rei publicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto; si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat, at certe, ut in causa pru-

66. [*hoc est, de omnibus forensibus*]. Manifesto hoc annotatoris est emblema.

de generum infinitis quaestionibus. Plurale istud, ut *genera* dicantur, in hoc quidem argumento improbandum (sicut reieci supra, § 34,) in alio (ut infra § 134) admittendum: et *generum quaestiones* nihil aliud essent, nisi quaestiones de generibus. Itaque in promptu est corrigere *de generis infiniti quaestionibus*. Rursus, aliud est *genus orationis*, nempe argumentum orationis. Sed alio modo corrigendum erit infra, § 71.

68. [*morem hominum*]. Unus tantum liber praebet *moremque hom.*: sed tum Praepos. iterari oportebat, tum, nusquam *mos*, sed *mores hominum* dicuntur, postremo, hi proprie et suo loco mox indicantur. Hinc illa tollenda

denter possit intexere; hisce autem ipsis de rebus ut ita loquatur, ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates constituerunt, locuti sunt, simpliciter et splendide, sine ulla serie disputationum, et sine ieiuna concertatione verborum. Hoc loco ne qua sit admiratio, si 69
tot tantarumque rerum nulla a me praecepta ponentur, sic statuo; ut in ceteris artibus, quum tradita sunt cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sunt, tradi non necesse esse; ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel formae, vel aetatis, etiam si non didicerit, pingere, neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit; (neque est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possint, a doctore tradantur, sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode persequuntur): similiter arbitror, in hac sive ratione, sive exercitatione 70
dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de re publica, aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, quum Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiam si haec numquam separatim [facere] didicisset.

Tum Catulus, Praeclare mihi videris, Antoni, po- 17

---

sunt. Conf. supra, I. § 219, et infra, § 131, et III. § 76.

ut ii. Revocavi hoc (ut supra), pro vulg. *uti ei.*

sine ulla serie disputationum. Tamquam si in unaquaque re plures postularentur disputationes! Corrigendum, *disputationis. Series disputationis* est eius legitima forma secundum artem.

69. *neque est omnino.* Vulg. *neque enim est omn.*, quam Coniunctionem auctoritate meorum librorum omisi.

persequuntur. Quod Pideritius substitui vult, *per se assequuntur*, ideo improbandum est, quia in hoc argumento nihil cogitari potest quod isti, non *per se*, sed *aliena ope* persequerentur.

70. *separatim [facere] didicisset.* Interpolatum est *facere*: intelligendum est *fingere*.

71 suisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus, quid, etiam si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. Deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarum, cetera innumerabilia exercitationi et similitudini reliquisti. Sed vide, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit et pellis, Hercules autem et alia opera maiora in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur de universis generibus [rerum], quam de singulorum causis, ac multo etiam maius de natura deorum, quam de hominum litibus dicere.

72 Non est ita, inquit Antonius: dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam (id, quod est maius) expertus. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti: in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum; in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis

---

71. *deduxisti enim totum hominem in duo solum genera causarum.* Illud *deducere* sic explicandum est, quasi dicat, reliqua ut minus curaret orator, duo solum illa genera causarum imposuisti; nempe ea, quae Antonius posuerat supra, § 43, *quae aut in lite oranda, aut in consilio dando essent posita.* Nihil erat cur in hac sententia voc. *causarum* displiceret.

de universis generibus [*rerum*]. II. l. illud plurale, *genera*, servandum est: sic enim ipsae illae quaestiones designantur: conf. § 66. Sed *genera rerum* coniungit duo, quae eiusdem potestatis sunt: itaque *rerum* tollendum. Longe diversum est, quod § 83 dicitur *genera rerum.*

72. *omnium ceterarum rerum — plena veritatis.* In hoc longiore loco exigui momenti sunt lectionis varietates: sed caput est formam sibi repraesentare, quam universae sententiae induere voluerit scriptor; id quod maxime incisis indicandum. Antonius ostendere vult, in illo genere eloquentiae, quod summum esse existimat (nempe in causarum contentionibus), reliquorum quoque generum tamquam effundendas esse copias, omninoque nullum de reliquis tot tantarumque virtutum praesidio indigere; quae conclusio tum continetur verbis, *omnium sententiarum — est utendum*, tum ornatur iis, quae *accedere* oportere dein adiicit. Dubitari igitur non potest quin apodosis ab ipsis illis verbis (*omnium sententiarum*) incipiat; modo constituamus, quibus propositis haec apodosis respondeat. Necesse est autem ad illa pertinere hanc apodosin, in quibus operis ipsius et varii et difficillimi descriptio ponitur,

exitu et victoria iudicatur, ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus, et repellendus, ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est: qui quum aut docendus est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam oratione moderandus; in quo saepe benevolentia ad odium, odium ad benevolentiam deducendum est; qui tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus, omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum; tum accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, [plena spiritus,] plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit, non sane, quemadmodum in clipeo idem artifex, minora illa opera facere [discat] laborabit. 73

Tum Catulus, Quo ista maiora ac mirabiliora fecisti, eo me maior exspectatio tenet, quibusnam rationibus, 18 74

---

inde a verbis, *quum aut docendus*, usque ad *contorquendus*. Iustam formam istis restituisse mihi videor, levissimis mutationibus usus. Igitur de meo edidi *qui quum aut docendus est*, abiecto *is* post *docendus*: omisi *autem*, post alterum *odium*; addidique *tum* ante *accedat*. In fine horum, ubi recte postulatur actio *plena animi*, (ut Brut. § 268) abiiciendum est interpretamentum, *plena spiritus*: indicium tenemus in Cod. Leid., in cuius marg. haec notata sunt, *ai. i. spus*, i. e. *animi id est spiritus*: tum, Graecum φρόνημα non nisi plurali numero *spiritus* dicitur: conf. III. § 107. Offic. III. § 47.

73. *non sane, quemadmodum in clipeo — facere laborabit*. Non discedo ab iis, quae pridem de h. l. disputavi. Igitur sprevi Ernesti coniecturam, *ut* inserentis, post *quemadmodum*: de quo non alienum est monere, dici non posse *laborare, quemadmodum faciam*, tamquam si *laborare* esset i. q. *quaerere*; sed dici *laborare, ut faciam*, aut *laborare facere*, aut *lab. in aliquo opere*. Praeterea, absurdum est *laborare, quemadmodum discam*. Igitur, abiecto *discat*, locus sic fuit constituendus, *non sane, quemadmodum in clipeo idem artifex, minora illa opera facere laborabit*. Pideritius, qui verba *idem artifex* pro glossemate habebat, non attendit, in hac sententiae parte subiectum diserte ut indicaretur requiri. Forma est comparationis negantis, hoc sensu: non laborabit, quemadmodum neque Phidias laboravit. *Laborare* cum Infinitivo est Verr. III. § 127.

74. *quibusnam rationibus* —. Non sunt huius loci ullae *rationes*: neque audiendus Ellendtius, qui *rationem* in-

quibusque praeceptis ea tanta vis comparetur: non quo mea quidem iam intersit (neque enim aetas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui numquam sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus); sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum
75 cognoscendi studio adductus requiro. Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, quum ipse numquam forum, numquam ullum iudicem aspexerit; ut Peripateticus ille dicitur Phormio, quum Hannibal [Carthagine expulsus] Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret, quumque [is] se non nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret: hic [Poenus] non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vi-
76 disse neminem. Neque mehercule iniuria. Quid enim

---

terpretari videtur τέχνην, oblitus, ab Antonio artem spretam esse. Ex iis, quae Antonius respondet, § 90, suspiceris corrigendum esse *quibusnam exercitationibus*.

non quo mea quidem iam intersit. In his utraque particula, et *quidem*, et *iam*, a loci sententia aliena est. Corrigendum, *mea quidquam intersit*.

numquam sententias — extorsimus. Ridiculus error in *sententias*: immo, *sententiam*.

75. *numquam ullum iudicem aspexerit*. Sumsi hoc e v. l., pro vulg. *iudicium*, quod quo modo quis *aspiciat*?

[*Carthagine expulsus*]. Ideo hoc interpolatum videtur, quod statim post sequitur *exsul*.

quumque [*is*]. In hac verborum compositione Pron. *is* necessario ad Phormionem referendum est, contra sententiam: igitur hinc tollendum censeo, ut Hannibal intelligatur verbi subiectum.

tum, quum ceteri —. Credibile non est istius narrationis conclusionem in duas diversas sententias fuisse divulsam, ut primum narraretur istos *quaesivisse ab Hannibale*, tum seorsum adiiceretur

aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annis de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Graecum hominem, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur: quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros: sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut ille Hannibalem, sed pueros aut adolescentulos docere conantur.

Erras, Catule, inquit Antonius: nam egomet in mul- 19
tos iam Phormiones incidi. Quis enim est istorum 77
Graecorum, qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perpetior et perfero: nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat, aut efficiunt, ut me non didicisse minus poeniteat: dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal, et eo fortasse plus habeo [etiam] negotii: sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. Dividunt enim totam rem in duas partes, in 78
causae controversiam, et in quaestionis: causam appellant rem positam in disceptatione reorum et contro-

---

hunc respondisse. Aliquanto melius apparebit Hannibalem non nisi ab illis provocatum illud de Phormione iudicium pronuntiavisse, si locus ita constituetur: *tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer delectati, quaererent ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret, hic non optime Graece, —.* Ernestus in his postremis *hic* omiserat: sed praestabat eius Pronominis interpretationem omittere, quum praesertim *Poenus* apud Ciceronem fere cum calliditatis significatione appellari soleat.

76. *ut ille Hannibalem.* Revocavi *ille*, perperam novissime omissum.

77. *plus habeo [etiam] negotii.* Particulae *etiam* nusquam in hac sententia locus est.

78. *in disceptatione reorum.* Desero suspicionem, quam olim tuebar. *Rei* sunt, quorum res agitur in iudicio: conf. infra, § 116, 134, 137, 183. III. § 109.

de altera parte dicendi mirum silentium. In his, *dicendi*, quod fuerunt qui omitterent, firmandum exemplis, infra, § 233 et I. § 22. Tum conieci, *merum silentium*, pro *mirum*.

versia: quaestionem autem, rem positam in infinita dubitatione: de causa praecepta dant; de altera parte
79 dicendi mirum silentium est. Deinde quinque faciunt quasi membra eloquentiae, invenire, quid dicas, inventa disponere, deinde, ornare verbis, post, memoriae mandare, tum ad extremum, agere ac pronuntiare: rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit, neminem posse dicere, nisi, et quid diceret, et quibus verbis, et quo ordine diceret, haberet, et ea meminisset? Atque haec ego non reprehendo, sed ante oculos posita esse dico: ut eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem (quoniam aliter ab aliis digeruntur), in quas est ab his omnis oratio distributa.
80 Iubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus, et docilem, et attentum: deinde, rem narrare ita, ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis: post autem, dividere causam, aut proponere, nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde, contraria refutare: tum autem alii conclusionem orationis, et [quasi] perorationem collocant, alii iubent ante, quam peroretur, ornandi aut augendi causa digredi, deinde,
81 concludere ac perorare. Ne haec quidem reprehendo: sunt enim concinne distributa: sed tamen (id quod

---

80. *dividere causam.* I. e. diligenter definire id, in quo causa posita est. Ita Graeci rhetores Verbo διαιρεῖν utuntur. Sic infra, § 331, postulatur *ut causa ponatur.* Et credibile est illa, *aut proponere*, explicandi causa ab alio addita esse.

81. *ne haec quidem —.* Distinxi aliquanto melius. Nam *haec* ad sequentia referendum: quumque sententiam interrumperet, interpositis his, *sunt enim — non perite*, satis cognito more instaurat, per Partic. *enim*, sic, *quae enim praecepta —.*

conclusionem orationis et [quasi] perorationem. Nescio, cur illud *quasi* interponatur, tamquam si quid novum et translatum diceretur: igitur statim post *concludere* et *perorare:* conf. Orat. § 122.

conservanda. Iterum, ut toties aliis locis, compositum arreptum pro simplici. Legendum, *servanda.*

82. [*excitandis mentibus iudicum*]. Kayserus haec iure mihi videtur uncinis inclusisse, quod illa *incitatio* alio pertinet potius, quam ut *attentus* fiat iudex. Praeterea, *animos incitare* (Orat. § 63) recte dicitur, propter cognitam eius Substantivi vim; sed *mentes inci-*

necesse fuit hominibus expertibus veritatis) non perite: quae enim praecepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam 82
ego mihi benevolum iudicem facilius facere possum, quum sum in cursu orationis, quam quum omnia sunt inaudita: docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum doceo et explano: attentum vero, crebro tota actione [excitandis mentibus iudicum], non prima denuntiatione [efficere possumus]. Iam vero narrationem 83
quod iubent verisimilem esse, et apertam, et brevem, recte nos admonent; quod haec narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare: omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum; cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat, ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittitur; deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem, et superare, mendosum est; tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet, neque redundare.

Sed hoc · si in iure civili, si etiam in parvis, aut 20
mediocribus rebus doctiores assequi possunt, non idem 84

---

tare requirebat ea adiecta, quae v. c. legimus supra, I. § 53. — Mox idem vir doctus, me probante, verba *efficere possumus* quoque tollenda iudicat.

83. *ut genera rerum primum exponerentur.* Correxeram, *exponantur*, quoniam, si haec velut a Crasso dicta traderentur, necesse erat mox corrigere, *in quo vitium esset*, et *praetermitteretur*, et *mendosum esset*, et *deceret*. Non persuasi Ellendtio, cuius interpretationem, ut video, sequitur Pideritius. Sed, neque forma orationis cogit, ut haec ex Crassi mente tradita accipiantur; totum enim illud, *cuiusmodi — dicebat*, interponitur reliquis ipsius Antonii verbis: neque res ipsa commendat, siquidem non accurate haec conveniunt cum loco I. § 188, sq., et vix credibile est Antonium ea supplere aut corrigere voluisse, quae Crassus protulisset. Eadem de causa *praetermittitur* e libris revocandum fuit, pro *praetermittatur*.

84. *doctiores assequi possunt.* In his subiectum est *doctiores*, eo ipso vitiosum, quoniam, ut *boni*, ita *docti* sane substantive dicuntur, sed nec *meliores*, nec *doctiores*. Corrigendum est, *docti*, i. e. qui id didicerunt.

sentio tanta hac in re tamque immensa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui haec docent: omnia iam explicata et perpolita assequentur: sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi neque obscuri. Sed videant, quid velint, ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumturi: aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat. Attamen ars ipsa ludicra [armorum] et gladiatori et militi prodest aliquid; sed animus acer et praesens, et acutus idem atque versutus, invictos
85 viros efficit [,non difficilius arte coniuncta]. Qua re ego tibi oratorem sic iam instituam, si potero, ut, quid [efficere] possit, ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit; tentabo, quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua [efficere] possit. Si intelligam, posse ad summos pervenire, non solum hor-

---

omnia iam explicata — assequentur. Desero nunc, quod in his olim tentavi. Sed nulla demonstratione indiget istud *assequentur* in vitio esse. — Sed, quoniam his mox subiicitur, *sunt enim — libri*, non temere mihi videor suspicari, aliquid excidisse post verba *qui haec docent*, quo diceretur ne opus quidem esse doctoribus, nam omnia peti posse e libris. — *Perpolita* eodem modo dicuntur infra, § 201.

ars ipsa ludicra [armorum] — prodest aliquid. Latinum non est *ars armorum*, et postremum hoc vocabulum interpolatum est. Sed praeterea, quod in hac sententia in praedicato ponitur, *prodest aliquid*, convenit *militi*, non item *gladiatori*, cui in illa arte omnia posita sunt: hoc igitur corrigendum, *gladiatoris*, et utrobique copula delenda.

[*non difficilius arte coniuncta*]. In Kayseri editione haec uncinis inclusa reperio; merito, ut mihi videtur. Si hoc dicere voluit horum verborum inventor, artem facile coniungi cum illo animo acri, debilitat, aut potius tollit illud ipsum, quod modo dictum erat, nempe artem aliquid quidem prodesse, sed, quo viri invicti fiant, esse animum acrem. Sed, quid est illud *difficile?* et quo pertinet Comparativus? Ne dici quidem poterat *ars coniuncta*, quoniam nullam *coniunctionem* animus admittit.

85. *ut quid [efficere] possit, ante perspiciam.* Supra, ad I. § 126, notavi, illud *efficere* interpolatum esse, quod ideo quoque hinc alienum est, quod *dicendo quid efficere* ipsi tantum oratoris actioni tribui potest, non ei, qui illud curriculum nondum ingressus est; diversumque est, quod est III. § 221, ubi de ore dicitur hanc esse unam partem corporis, *quae, quot animi motus sunt, tot significationes possit efficere. Quid possit* refertur tantum ad naturae bona, quae in futuro oratore requiruntur: hinc mox, § 86, *qui aliquid potest*, et *qui optime potest*. Sed

tabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque bonus mihi videbitur esse, obsecrabo: tantum ego in excellenti oratore, et eodem viro bono, pono esse ornamenti universae civitati: sin videbitur, quum omnia summa fecerit, tamen ad mediocres oratores esse venturus; permittam ipsi, quid velit; molestus magnopere non ero: sin plane abhorrebit, et erit absurdus; ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra, neque is, qui aliquid potest, deterrendus; quod alterum divinitatis mihi cuiusdam videtur, alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis, tertium vero illud, clamare contra quam deceat et quam possit, hominis est, ut tu, Catule, de quodam clamatore dixisti, stultitiae suae quam plurimos testes domestico praeconio colligentis. De hoc igitur, 86 87

---

eodem iure idem verbum tollendum est in his, *quid lingua [efficere] possit.*

quid deceat, i. e. quam commendationem afferat a forma corporis, a specie, et a reliquis, quae enumerantur: conf. § 88 init. Contrarium est si *absurdus* est.

si intelligam, posse ad summos pervenire. Neque hoc mihi probandum videtur, ut quis dicatur *ad summos*, sc. *oratores, pervenire*, neque, quod mox dicitur, *ad mediocres oratores venire:* multoque melius, Brut. § 263, *in patronorum numerum pervenire.* Ne ipsa quidem appellatio *summorum oratorum* huius loci est: et aptius esse putarem, *posse ad summa pervenire:* alterumque fortasse sic licebit corrigere, *tantum mediocris orator esse futurus*, quoniam *tamen* in hac sententia alienissimum est.

quum omnia summa fecerit. Neque hoc, nec *summe fec.*, quid sit intelligo, certe ita ut sententiae conveniat, in qua intelligi potuisset, *quum omnem operam dederit.*

86. *quod alterum divinitatis —, humanitatis.* Non intellexisse mihi videtur Pideritius huius loci consilium et sententiam, qui sic legere suadeat: *quod alterum, non facere, quod non optime possis, divinitatis mihi cuiusdam videtur, alterum, facere, quod non pessime facias, humanitatis —*, abiecta, quae bis ponitur, Coni. *vel.* Scilicet illa disiunctio necessario pertinet ad eum, qui mediocris tantum orator esset futurus, cui permissurus erat Antonius alterutrum, *vel facere, vel non facere.* Sed in altero eiusmodi descriptio periit, quae, reliquis suo loco servatis, sic restituenda est, *quod alterum, optime posse, divinitatis —.*

de quodam clamatore. Quod commendaveram, *clamatore*, pro vulg. *declamatore*, adiutus auctoritate Cod. Leid., novissimi Editores susceperunt, et convenit in primis seq. *domestico praeconio.*

87. *loquamur.* Corrigendum puto, *loquemur.*

qui erit talis, ut cohortandus adiuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea duntaxat, quae nos usus docuit; ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus.

21 Atque (ut a familiari nostro exordiar), hunc ego,
88 Catule, [Sulpicium] primum in causa parvula adolescentulum audivi, voce, et forma, et motu corporis, et reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quaerimus, oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis effervescentibus et paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis. Non sum aspernatus: volo enim, se efferat in adolescente fecunditas: nam sicut facilius in vitibus revocantur ea, quae sese nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur; ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem: non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem as-
89 secutum. Vidi statim indolem, neque dimisi tempus, et

---

88. *hunc ego, Catule, [Sulpicium]*. Non tulerunt veteres annotatores, ut in eiusmodi sermone inter praesentes Pron. *hic* sine explicatione nominis proprii maneret. Brevi intervallo iam quater nomen *Sulpicii* delendum est, nempe et hic, et § 96, 107 et 124: idem in *Scaevolae* nomine notavi, ad I. § 191. Contra, III. § 29 et 30, servanda nom. propria post Pronomen, quippe distinguenda.

in vitibus revocantur ea, quae —. In promptu esse mihi videtur ut corrigatur, *resecantur*.

89. *ludum* — *[ad discendum]*. Et hoc interpolatum est, et ab aliis rursus corruptum in *ad dicendum*, quod quum praeferebat Ernestus alteri, quoniam recte animadvertebat, illud *discere* significari iam nomine *ludi*, obliviscebatur tamen, discipulis (nam haec figura et similitudo servanda est) in *ludo* non *dicendum*, sed *discendum* esse. Praeterquam igitur quod et *ludus*, et *magister* iam continet *discendi* significationem, persuasum mihi est *ludus* non nisi cum Genitivo iungi posse, sicuti in Ep. ad Q. frat. III. 4, 6 *ludus discendi* dicitur. Sine illo Gerundio, III. § 74 fin., est, *cui disciplina fuerit forum*.

ab hoc sermone cohortationis meae. Iunguntur illa Substantiva sic, quasi *cohortatio* contineret *sermonem*. Falso: alterum sine altero esse poterat. Corrigendum, *ab hoc sermone cohortationeque mea*.

sed ea non satis proficere potuisset. Agnovisse puto Ellendtium, subiectum verbi *potuisset* necessario esse Sulpicium, itaque concludit, *ea* esse Ablativum; sed, per se, inquit, elegantius dicitur ipsa *natura proficere*. Incredibile! siquidem *proficere* discipuli est,

eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse [ad discendum], magistrum autem, quem vellet, eligeret, me quidem si audiret, L. Crassum: quod iste arripuit, et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat: omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat: sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset, atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum atque omni animo intueretur.

Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demon- 22
stremus, quem imitetur [,atque ita ut, quae maxime 90
excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur]. Tum accedat exercitatio, qua illum, quem

---

qui progressus facit. Sed, ut per Ablativum quis dicatur *natura proficere*, Latinum non est. Nihil melius reperio quam ut corrigatur, *in eo*, i. e. in illo genere magnifico. — Mox, *intendisset* mutandum in *tendisset:* conf. ad I. § 135. Quam inconsiderate, ut in aliis, ita in hoc verbo Praepositiones a librariis vel corrumpantur, vel affingantur, nuper quoque indicavit Madvig. Emendatt. Livianae, in VII. 25, 7.

90. [*atque ita — persequatur*]. Ab aliis viris doctis recte haec pro interpolatis habita sunt, quum suo loco idem dicatur § 92, sintque propria exercitationis, cuius mox demum mentio subiicitur. E nonnullorum Codd. collatione, in quibus sequens locus, *non ut multos* — § 92 *persequatur*, omissus est, facile explicatur interpolatio.

multos imitatores — consectantur imitando. In his Ernestus suspicabatur, et *essent* pro *sunt*, et *consectarentur* legendum esse, quod a *cognovi* ista penderent. Sed hic quoque tempora modique componuntur ad id, quod primarium locum tenet in principio sententiae, neglecto eo, quod non nisi modum quemdam orationi addit. Itaque in his, *non ut multos cognovi*, simplex sententia, extra illum modum, est *non ut multi, quos cognovi*. Non neglexit hoc Madvigius in Verr. IV. § 77 (vid. Ep. Crit. p. 72), quo magis miror, virum praestantissimum non idem tenuisse in eadem Oratione, § 68, quem modo tractaverat, et ubi *audierint* Futurum servandum, quippe aptum ex *perventuram*. De hoc genere syntaxeos dixi in Scholic. Hypomn. I. p. 69. Supra, § 71 init., *videris posuisse, quid oporteret*, defenditur Imperfectum sic, ut voluerit, *posuisti, quid oporteret*. Non intelligo, quo iure hunc locum ad de-

delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene
91 vitiosa, consectantur imitando. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius, aut statum, aut motum: si vero [etiam] vitiosi aliquid est, id sumere, et in eo ambitiosum esse, non magnum est; ut ille, qui nunc etiam amissa voce furit in re publica, Fufius, nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur: sed [tamen] ille nec deligere scivit, cuius potissimum similis esset, et in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia
92 voluit. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo: deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequetur. Quid enim causae censetis esse, cur aetates extulerint singulae prope singula genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus iudicare, quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Graecis, ex quorum scriptis, cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit, intel-

---

monstrandum usurpet Heusingerus ad Offic. I. 30, 15 (§ 109), ubi illis, *itemque in sermonibus alium* (ut legendum est), opponitur mox, *contraque* —, et in illis intelligendum *videmus*. Quod autem legitur, *saepe cognovi*, ferendum non est, in primis post *multos*: corrigendum, *ipse cogn.*

91. *si vero* [*etiam*] *vitiosi* —. Aliena hinc est Coni. *etiam*, quae praesertim modo recte poneretur.

et in eo ambitiosum esse. Suscepi Lachmanni acutam coniecturam, prae vulg. *vitiosum esse*. Sensus est, et in eo se iactare. Sed displicet id, quod subiicitur, *non magnum est*, non tantum languidum, sed ne verum quidem. Coniiciebam, *inane est*, sicuti supra, I. § 17, *inane* et *irridendum* coniunguntur. Nil tamen definio.

sed [*tamen*] *ille*. In uno tantum Cod. omitti video *tamen*, me iudice, recte.

92. *persequetur*. Vulg. *persequatur*, ut § 96. Utrobique corrigendum fuit, quod in hac praecipiendi forma de more Futurum ponitur. Mox corrigendus fuit verborum ordo: vulg. *singulae singula prope*.

93. *quorum quidem scripta constent*. Non attinet nunc illam controversiam attingere. Ea aetate, qua Cicero scripsit, non satis caute de talibus rebus iudicare didicerant homines literati. Spengelius, qui in Artium Scriptor. p. 61, sq. prudenter disputat post

ligi potest. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem 93
scripta constent, Pericles atque Alcibiades, et eadem
aetate Thucydides; subtiles, acuti, breves, sententiis
magis, quam verbis abundantes: non potuisset accidere,
ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi pro-
ponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias,
Theramenes, Lysias: multa Lysiae scripta sunt, non-
nulla Critiae, de Theramene audimus: omnes etiam
tum retinebant illum Periclis succum, sed erant paullo
uberiore filo. Ecce tibi est exortus Isocrates, [magister 94
istorum omnium,] cuius e ludo, tamquam ex equo Tro-
iano, meri principes exierunt: sed eorum partim in
pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. Itaque
et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae,
multique alii, naturis differunt, voluntate autem simi-
les sunt [et] inter sese [et magistri]; et ii, qui se ad
causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Ly-
curgus, Aeschines, Dinarchus, aliique complures, etsi
inter se pares non fuerunt, tamen omnes sunt in eodem
veritatis imitandae genere versati; quorum quamdiu man-
sit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque

Ruhnkenium, de Pericle recte pronuntiat, eum nil scriptum reliquisse, e loco Platonis Phaedr. p. 257, D, quem ipse usurpare solebam. De hoc autem et de Alcibiade, neglecta omni traditione, quae plerumque ex intempestiva ambitione orta videtur, hoc argumentum vim habere oportet, non cadere potuisse in istos homines istius aetatis et istorum temporum, ut scriptas orationes relinquerent.

94. [*magister istorum omnium*]. Ridiculum emblema, quoniam, per Grammaticam, *isti* sunt Critias, Theramenes, Lysias, fortasse etiam superiores; quorum tamen nemo Isocratem audivit, et, si audivisset, alio genere orationis isti usi essent, quam quod modo describebatur. Ad eos, qui sequuntur, Pron. *isti* referre non licet: conf. § 95, *omnium istorum*.

itaque et illi. Necessario revocandum fuit *itaque*: vulg. *atqui*. Demonstrat hoc, istos omnes, et qui historias scripserunt, et qui causas egerunt, ideo voluntate inter se similes fuisse, quod unum Isocratem sibi proponerent ad imitandum.

Philisti. Sic, non *Philinci*, legendum esse, et quid inter utrumque intersit, paucis indicavi in Bibl. Crit. N. V. 2, p. 456, sq.

similes sunt [*et*] *inter sese* [*et magistri*]. Probo Kayserum, qui istis exclusis sententiam veriorem reddidit.

95 vixit. Posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim [obscurata est et] evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni; tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique horum similes exstiterunt: quae si volemus usque ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem, et eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitatur Asia, sic semper fuisse aliquem, cuius se similes plerique esse vellent.

96 Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris [atque magnis], tum scribendo maxime persequetur: quod si hic noster [Sulpicius] faceret, multo eius oratio esset pressior, in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere

---

omnes sunt in eodem veritatis imitandae genere versati. Virorum doctorum dubitationes de verbis *veritatis imitandae*, et varias coniecturas cognoscere licet ex Ellendtii annotatione. Mihi hoc notandum videtur, necessario requiri aliquam notam istius generis, quod ab Isocratis schola ortum esse dicitur, quemadmodum enuntiabatur hoc modo in superioribus: atqui, *veritatem imitari* non appellari posse certum *genus* orationis: Isocrateum autem genus tanto magis nunc definiri oportebat, quod dicitur *in eodem genere versati sunt*. Accedit quod, quum hi quoque oratores ex illa schola profecti dicantur, nihil ad eius scholae indolem pertinet *veritas*, quae non tantum ab arte, quam tradebat Isocrates (sicut rhetores dicebantur *expertes veritatis*, supra, § 81), sed in primis ab eius orationibus in genere epidictico, et in pompa alienissima est. Sed ipsum illud, *veritatem imitari*, neque oratorum est, neque historicorum, sed histrionum: conf. III. § 214. Ut brevi absolvam, quoniam id mihi requiri videtur, ut eius generis, cuius Isocrates auctor fuisse perhibetur, character opponatur veterum illorum *subtilitati* et *brevitati*, fieri potest ut corrigendum sit, *ubertatis imitandae:* conf. Orat. § 40.

95. *exstinctis his.* Miror, Ellendtium, quum *eis* ederet, monuisse, „non minus bonum esse *his*:" tamquam si promiscue ista ponerentur.

eorum memoria sensim [obscurata est et] evanuit. Si tenendum est, quod mihi quidem videtur, Ciceronem ubique proprietatem verborum servare, fieri non potest ut scripserit, eorum *memoriam obscuratam esse*, quippe illo verbo constanter indicari solet aliud quid esse, cuius vel splendore et luce, vel vi et magnitudine obscuretur id, de quo sermo est, quapropter saepe idem, *obrui* dicitur: e multis locis conf. infra III. § 215, et Fin. III. § 45, ita ut *obscurari* non nisi in contentione cum aliis dicatur, vid. Fin. V. § 90. Accedit quod eorum memoria dicitur

in summa ubertate, inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est. Hic Sulpicius, Me quidem, 97
inquit, recte mones, idque mihi gratum est; sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror. Tum ille, Quasi vero, inquit, non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint: sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor: verum, et in hoc ex re familiari mea, et in illo ex eo, quod dico, quantulum id cumque est, quid faciam, iudicari potest. Atque esse 98
tamen videmus, qui neminem imitentur, et suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine consequantur. Quod et in vobis animadverti recte potest, Caesar et Cotta, quorum alter inusitatum nostris quidem oratoribus leporem quemdam et salem, alter acutissimum et subtilissimum dicendi genus est consecutus; neque vero vester aequalis Curio, patre, mea sententia, vel elo-

---

sensim obscurata esse: nam, quae illustriora aut maiora exsistunt, non sensim, sed statim obscurant. Proprie, contra, *evanescere* dicitur memoria, i. e. non amplius servari et usurpari, sicut aliquoties loquitur in Bruto, tum Tusc. V. § 85.

Democharen. De hoc alia quaerenda sunt, sed quae nihil ad huius loci interpretationem pertinent.

ut hodie Alabandensem. Perperam ex omnibus fere libris edebatur, *ut hodie etiam Alab.:* nam ea Coniunctio significaret inexspectatum illud fuisse, ut Meneclem imitarentur. Conf. supra, ad § 65. — Ascivi mox, *ut — imitatur*, quoniam non nisi exemplum interponitur, nihilque hoc ad argumentationem pertinet: alii, *imitetur*.

96. *exercitationibus crebris* [*atque magnis*]. In his *crebras exercitationes* intelligo recte dici, non item *magnas:* nam, quod infra dicitur, § 119, *exercitatio maxima*, item, quod I. § 145, *magna exercitatio*, multum diversum est. — Quod mox corrigebam, *persequetur*, a libris confirmatum est: vulg. *persequatur*.

quod si hic noster [*Sulpicius*] *faceret.* Pro *haec*, quod Voss. praebebat, malui vulg. servare, *hic*, ut *quod* esset Pron. obiecti.

in summa ubertate. Deceptus prava interpunctione olim haec corrigere volebam. Post animadverti coniungenda esse, *rustici solent dicere in summa ubertate*, i. e. quum summa ubertas est. Et sic vidit Pideritius.

98. *atque esse tamen videmus.* Sustuli *multos*, ante *videmus*, auctoritate libri Voss. Sed, quum redeat, post interposita illa de Sulpicio et de se, ad illud imitandi studium, quod modo *plerisque* tribuerat, quod his opponitur melius inchoabitur, puto, Coni. *atqui*, quam *atque*.

inusitatum nostris quidem oratoribus. Hunc ordinem, prae vulg. *quidem nostris*, meorum quoque librorum auctoritate commendabam.

qui [*tamen*]. Intempestivum est illud *tamen*, quoniam quod sequitur confirmat ea, quae modo dicta sunt.

quentissimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imitari; qui [tamen] verborum gravitate, et elegantia, et copia suam quamdam expressit quasi formam figuramque dicendi: quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit, in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.

24 Verum, ut aliquando ad causas deducamus illum,
99 quem instituimus, et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum atque litium (riserit aliquis fortasse hoc praeceptum; est enim non tam acutum, quam necessarium, magisque monitoris non fatui, quam eruditi magistri), hoc ei primum praecipiemus, quascumque causas erit tractaturus, ut eas diligenter penitus-
100 que cognoscat. Hoc in ludo non praecipitur; faciles enim causae ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum ascendere: ascendit: hostes repulit: accusatur. Nihil est negotii huiusmodi causam cognoscere: recte igitur nihil de causa discenda praecipiunt [: haec est enim in ludo causarum formula fere]. At vero in foro tabulae, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, [decreta, responsa,] vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est: quarum rerum negligentia plerasque cau-

---

99. *quem instituimus.* Ita recte novissimus Editor, pro aliorum *constituimus*: cf. supra, § 85, et mox, § 117 et 162.

huiusmodi causam. Praeferendum fuit alteri, *eiusmodi*.

100. [*haec est enim — formula fere*]. Demonstravi, hanc non nisi interpretis cuiusdam annotationem esse: idque probarunt Editores.

cognationes, affinitates, [*decreta, responsa,*] *vita denique* —. Postremum, *vita*, recte subiicitur *cognationibus* et *affinitatibus*, non item copulatur cum *decretis* et *responsis*! quae interposita esse coniicio e § 116.

101. *de ea re, quam non novit.* Requiri puto, *quam non cognovit*: cf. § 99 et 104.

non turpissime dicere. Hoc aliquanto nimium est, nec quaerebatur utrum pulcre, an turpiter, sed recte, an contra diceret. Una syllaba abiecta, habebimus, *pessime*, quod mihi aptius esse videtur.

dum inertiae vituperationem, quae maior est, —. Non sine causa in his haesit Lambinus, quum non intelligeret, quare illa *vituperatio maior* dice-

sas, et maxime privatas (sunt enim multo saepe obscuriores), videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam 101
suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare, et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas: in quo est illa quidem magna offensio vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis; sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere: ita dum inertiae vituperationem, quae maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque 102
re me ipse doceat, et ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur; et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque, quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, iudicis. Qui locus est talis, ut plus habeat adiumenti, quam incommodi, hunc iudico esse dicendum; ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abdico atque eiicio. Ita assequor, ut alio tempore cogitem, quid 103
dicam, et alio dicam: quae duo plerique, ingenio freti, simul faciunt: sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. Quum rem 104

---

retur. Ellendtium, qui Lambino occurrere studet, non attinet refutare. Sed perspicuum esse opinor, non hoc patronis illis crimini dare voluisse Antonium, quod, maiorem vituperationem contemnentes, in aliam, quae minor esset, inciderent, sed contra, quod, dum alterum contemnerent, in gravius incurrerent. Itaque levi transpositione locus adiuvandus est sic: *ita, dum inertiae vituperationem contemnunt*, (non tantum non effugiunt, sed) *assequuntur etiam illam, quae maior est, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis.*

102. *abdico atque eiicio.* Neque *abdicare* mihi quidem probavit Ellendtius, neque *abdicere*, in augurali disciplina cognitum (Divin. I. § 31), ullo modo hic defendi potest. Vitium contraxisse locus videtur ex antiqua lectionis varietate, in qua esset tum *abiudico*, tum *abiicio*, quod postremum tribus illis vocabulis substituendum est.

104. [*sive ex crimine — ratione vivendi*]. Horum pleraque, alia in aliis Codd. omittuntur: sed etiam si nihil istic omissum esset, nihilominus sentirem, recte haec a Kaysero notari ut insititia:

penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quae sit causa ambigendi: nihil est enim, quod inter homines ambigatur, [sive ex crimine causa constat, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex persona, ut laudis, sive ex disputatione, ut de ratione vivendi] in quo non, aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quaeratur, aut quale sit, aut quid vocetur.

25 Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum,
105 plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis [, quae maximae sunt,] neganda fere sunt omnia, et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere: de sicariis, de veneficiis, de peculatu infitiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in iudiciis, ex controversia facti: in deliberatio-

---

demonstratum quum nondum reperiam, conabor rationes colligere, quibus illud iudicium confirmetur. Verbi causa, tota illa ambitiosa enumeratio et distributio eorum, unde causa ambigendi oriri possit, non erat huius loci, quoniam is deliberationem quoque, et laudationem, et disputationem continet, Antonii autem praecepta prorsus continentur intra *causas iudiciorum et litium* (§ 99): isque, ulterius progressus, praeter *iudicia* non nisi *deliberationes* complectitur suo loco (§ 105), *disputationem* autem diserte excludit (§ 109). Ne oratio quidem ipsa reprehensionem effugere potest. *Ex crimine causa constat, ut facinoris.* Contra propriam indolem verborum est ut *causa*, i. e. ipsum τὸ κρινόμενον, causa ambigendi (Orat. § 126), dicatur *constare ex crimine*: nisi quis forte contendat, hoc voluisse scriptorem, non futuram esse causam ambigendi, nisi crimine in iudicium res sit deducta. Tum, ipsum *crimen facinoris* ideo vitiosum est, quod non nisi certae rei Genitivus iungi solet cum *criminis* nomine, v. c. *crimen ambitus, veneni*, similiumque: igitur, quum Coel. § 6 dicitur *accusatio crimen desiderat*, nihil aliud dicitur, nisi, hoc proprium est accusationis, ut certum quid reo obiiciatur. Igitur magis ferendum esset hoc, *accusationem* (non *causam*) *crimine constare.* Idem fere notandum in his, *ex controversia, ut hereditatis*: nam *controversiae* appellatio generalis est; neque ad res privatas tantum pertinet (conf. I. § 139, II. § 78, Orat. § 121); ita ut *controversiam constituere* (I. § 143) nihil aliud sit, nisi causam ambigendi definire, et *res in controversiam adduci* dicitur ibid § 183. Accedit quod perperam Genitivus *hereditatis* cum *controversiae* nomine iungitur, quum oportuisset *de hereditate*, aut *hereditaria*: nam, quod *verbi controversia* dicitur, aut *generis*, aut *facti*, diversum est, quoniam in istis non est

nibus plerumque ex futuri, raro ex instantis, aut facti. Saepe autem res non, sit, necne, sed qualis 106
sit, quaeritur: ut, quum L. Opimii causam defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure pro salute patriae factum esse dicebat: ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rem publicam capessenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti respondebat, iure caesum videri. Iure autem omnia defenduntur, quae sunt eius generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut casu facta esse vi- 107
deantur. Iam, quid vocetur, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc [Sulpicio] fuit in Norbani causa summa contentio: pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam, ex quo verbo lege Appuleia tota illa causa pendebat.

---

ille Genitivus obiecti, sed eo tantum indicatur ad quam interpretationem controversia pertineat. Minus etiam apte reliqua dicuntur, *deliberatio belli*, tum, *persona laudis*, in qua difficile adeo est *causam*, aut *controversiam* cogitare: neque *ex disputatione*, sed *in disputando* cogitari potest controversia inter disceptantes. Firmari hae reprehensiones poterant excitatis exemplis, quae tamen praesto esse puto studiosis orationis Tullianae.

105. *quae quidem sunt criminum.* Explicandum est, tamquam si dixisset, e nostris causis eae, quae sunt criminum, infitiatione defenduntur. Sic agnoscitur necessario *sunt* dici, non *sint*, post *quae quidem*. De hoc discrimine dixi nonnulla Scholic. Hypomn. I. p. 134, et Mnemos. IX. p. 210: itaque diversum esse apparebit quod offendimus § 93 et 146.

[*quae maximae sunt*]. Haec Kayserus inclusit, iure, ut mihi videtur: quid enim hoc est, certas causas *maximas* dici?

et de ambitu raro illud datur. In his causis non quidem praecipit, omnia infitianda esse, sed alio nomine esse vocanda. Excidisse puto negationem, legendumque, *haud raro illud datur* —. Mox corrigendum, *et de vicariis* —.

106. *saepe autem res — quaeritur.* Ascivi *autem*, prae vulg. *etiam*, quippe aptius ad inchoandam mentionem huius tertii generis.

sed id — factum esse. Si recte, ut mihi quidem videtur, Victor. omittit *id*, corrigendum erit, *factam*. Crebro recurrit *caedem factam* esse.

respondebat. Vulg. *responderat*, bene a Lambino correctum, quum levius corruptum esset in Leid. et Voss., qui *respondeat*. Servandum erat Imperfectum, ut *negabat*, et *dicebat*.

107. *cum hoc* [*Sulpicio*]. Abiiciendi Nominis proprii rationes supra exposui. Sic infra, § 230, *ab hoc*, non addito Crassi nomine.

108 Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, dilucide breviterque [uterque] definiat. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio; ut, quum quaeritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas; in quibus hoc praecipit ratio atque doctrina, ut vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque
100 supersit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset maiestatem minuere. Etenim definitio primum, reprehenso verbo uno, aut addito, aut demto, saepe extorquetur e manibus: deinde, genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem: tum, in sensum et in mentem iudicis intrare non potest; ante enim praeterlabitur, quam percepta est.

26 Sed in eo genere, in quo, quale sit [quid], ambigi-
110 tur, exsistit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio; in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui, quod tum explicatur, quum ea verba [,quae desunt,] sugge-

---

108. *ut verbum illud — definiat.* In his recte nunc susceptum est *dilucide*, pro vulg. *lucide*. Sed sequenda erat eorum librorum auctoritas, in quibus *uterque* omittitur: agitur quippe de defendendis causis, neque ex praecedd. afferri potest, quo *utriusque* designatio defendatur. Corrigendum est, *dilucide breviterque definiatur*. Sic mox, *praecipit ratio — ut exprimatur*: conf. § 83.

109. *in mentem iudicis intrare non potest.* Quod Ellendtius elegantius habebat, ut *manare*, pro *intrare*, legeretur, mihi in primis improprium videtur.

110. *in quo, quale sit [quid], ambigitur.* Eiiciendum illud *quid*. Conf. § 104, fin.

quum scriptum a sententia discrepat. Frustra putabam, in his vitium inesse: idem dicitur Orat. § 121, *si aliud in sententia, aliud in verbis* esse videtur: cuius generis ambiguum commemoratur Caecin. § 81, fin. Sed edere malui *quum scriptum*, e v. l., pro vulg. *quod scriptum*. Relativum non est huius loci, sed Coni. *quum* utuntur in definiendo.

[*quae desunt*]. Improprie haec inserta esse mihi videntur.

sta sunt, quibus additis, defenditur sententiam scripti perspicuam fuisse: et ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur: idque aut numquam diiudicari poterit, aut ita diiudicabitur, ut, referendis praeteritis verbis, id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. Ambiguorum autem quum plura genera sunt, quae mihi 111
videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debebant; tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis, vel scripti, quum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint praetermissa. Iterum autem peccant, quum genus hoc causarum, quod in scripti 112
interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt; nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. 113
Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possint, quid fiat, factum futurumve sit, aut quale sit, aut quomodo nominetur: nam illud, quod quidam Graeci adiungunt, rectene factum sit, totum in eo est, quum, quale sit, quaerimus.

---

referendis praeteritis verbis. Non est corrigendum, ut aliquando putabam. *Referre praeterita verba* est excitare, quae praecesserant in scripto. Apte confert Pideritius Invent. II. § 117. Alia sunt *verba praetermissa*, § 111.

111. *qui non minus nosse debebant.* Recepi necessariam Ernesti correctionem, quum libri haberent *debeant*. Non latebat eum ratio Coniunctivi, quod ei Henrichsenius exprobrat; sed videbat *qui* non esse causale. Nihil huc pertinet Beieri doctrina ad Offic. T. II. p. 132 et 283. Conf. Partit. Orat. § 38, sq.

113. *nam illud, quod quidam Graeci adiungunt.* Praetuli *illud*, quod proprie magis ad id, quod sequitur, pertinet: vulg. *hoc*. Tum, *quidem*, post *illud*, Leid. quoque exemplo omisi. Praeterea, pro eo, quod complures libri habent, *quod, quale sit*, malui edere *quum, q. s.* Quod novissimi Editores exhibuerunt, *in eo est, quale sit*, abiecto *quaerimus*, interpolationem scilicet tollentes, Latinitati adversatur. Mox, de meo correxi, *revertor:* omnes libri *revertar*.

27 Sed iam ad institutum revertor meum. Quum igitur,
114 accepta causa, et genere cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam, quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et iudicii: deinde, illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum, quos defendimus, alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id,
115 quod volumus, commovendos. Ita omnis ratio dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa; ut probemus vera esse, quae defendimus, ut conciliemus nobis eos, qui audiunt, ut animos eorum, ad quemcumque causa
116 postulabit motum, vocemus. Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae ratione tractantur; ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatus consulta, res iudicatae, decreta, responsa, et reliqua, si quae sunt, quae non pariuntur ab oratore, sed ad oratorem [a causa atque] a reis deferuntur: altera est, quae tota in disputatione et in argumenta-
117 tione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem [etiam] de inveniendis cogitandum est. Atque isti quidem, qui docent, quum causas in plura genera secuerunt, singulis gene-

---

114. *accepta causa, et genere cognito.* Hanc meam correctionem suscepit Kayserus, cuius exemplum sequi non dubito. Vulg., *accepto causae genere et cognito*, in quo inerat *genus causae accipere*, quod dicere non licere contendo: orator non nisi *causam accipit*, sicut dicitur § 355: sed inde diversum est *genus*, quod idem esse puto cum *causa ambigendi*, cuius cognitionem supra iam, § 104 init., a *re et causa* distinguebat, ut § 132 eam *naturam causae* appellat. Tria sunt igitur quae causae patrono imponit Antonius, quorum primum est *causam penitus cognoscere* (§ 99, fin.), alterum *causam ambigendi cognoscere* (§ 104), cui postremum accedit *orationem constituere, quae sit propria quaestionis.*

quae sit propria quaestionis et iudicii. Est hoc unum de tribus, quae nunc commemorantur, nempe ea dicere, quae proprie pertineant ad rem, cuius quaestio et iudicium agitur: quas tres partes quum mox, § 115, aliis verbis significat, huius primae officium esse dicit *ut probemus vera esse, quae defendimus*

116. [*a causa atque*] *a reis deferuntur.* Probo Kayserum, qui ista

ribus argumentorum copiam suggerunt: quod, etiam si ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simul ac posita causa sit, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere, tamen et tardi ingenii est rivulos consectari, fontes non videre, et iam aetatis est ususque nostri a capite, quod velimus, arcessere, et, unde omnia manent, videre. Et primum genus illud earum rerum, quae ad 118
oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. Nam pro tabulis et contra tabulas, pro testibus et contra testes, et pro quaestionibus et contra quaestiones, et item de ceteris rebus eiusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite de singulis temporibus, hominibus, causis: quos quidem locos (vobis hoc, Cotta et Sulpici, dico) multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. Longum est enim nunc me explicare, qua ra- 119
tione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quaestiones oporteat. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae: artem quidem et praecepta duntaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemque illa, quae sunt 120
alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, exco-

---

abiicienda censuit. *Rei* appellantur, quorum causa est.

117. *in hoc autem [etiam] de inveniendis.* Spurium est *etiam*, quum per se, propter oppositionem, tum quod illae Coniunctiones ita copulari non solitae sunt. Natum est e duplici lectione.

quum — secuerunt, singulis generibus —. In huiusmodi expositione, ex Ciceronis consuetudine, post illud *quum*, requiro, *tum singulis generibus —.*

a capite — arcessere, et, unde omnia manent, videre. In primis improprie haec sic iunguntur, *arcessere* et *videre*, estque hoc adeo praeposterum: rectius modo *consectari* et *non videre* inter se opponebantur. Praeterea istius Infinitivi *videre* ingrata iteratio est. Non spernenda lectio *manant*, sed ea suscepta locus sic constituendus est, *a capite, quod velimus, arcessere, unde omnia manant.* Aliquanto post, § 130, *aperiamus capita ea, unde omnis — disputatio ducitur.* Supra quoque, I. § 42, *caput et fons* in eadem re ponuntur.

120. *totum arte tinctum.* Horum neque interpretationem probare possum, quam Ellendtius commendabat

gitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque, quum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum, quid, deinde, quo modo dicamus, alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit, videre: alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate, copiose, varieque dicere.

Qua re illam partem superiorem, quoniam semel ita
28 vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam at-
121 que conficiam, — quantum consequar, vos iudicabitis, — quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut et concilientur animi, et doceantur, et moveantur: [haec sunt enim tria numero;] ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effe-
122 cit. Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens

---

ad § 85, neque nunc video, quo modo sit corrigendum.

121. [*haec sunt enim tria numero*]. Puerile emblema recte abiicitur.

qui hoc primus in nostros mores induxit. Quamquam repudio id, quod olim corrigebam, *in nostras aures*, non tamen probandum mihi videtur hoc, ut Crassus dicatur illa orationis ornamenta *in Romanorum mores induxisse*, quod multum diversum est ab eo, quod infra, § 337, dicitur, genus dicendi accommodandum esse *moribus civitatis*. Intelligerem hoc scriptum: *qui hoc primus in nostros sensus induxit*. Supra, § 53, *modo huc sunt ista importata*: et III. § 30, Caesar dicitur *norum dicendi genus induxisse*.

122. *namque ego, Catule* —. Locus hic et interpungendo, et interpretando adiuvandus erat. Perspicuum esse arbitror nihil aliud voluisse Antonium, quam ut confirmaret plenius id, quod modo dixerat, Crassum solum consecutum esse illas dicendi primarias virtutes, neque nisi hoc spectans necesse habebat ullam *assentandi suspicionem vereri* (necessario enim simplex hoc verbum substituendum est vulgato *revereri*). Quid autem, in vulgata interpunctione, subiicitur istis, *namque ego?* hoc, *neminem esse oratorem, quem non audierim*, qua praedicatione minime confirmantur Crassi laudes. Has autem quum initio cogitabat, statim dimittit sententiam, ut ea praeparet, quae fidem concilient et auctoritatem iis, quae dicturus erat. Haec digressio incipit a verbis *dicam enim*, pertinetque primum usque ad *diligenter audierim*: tum iterum inchoat sententiam primariam, verbis *itaque, si quid est in me*, quae rursus abrumpitur interpositis reliquis usque ad verba *penitus insederit*. Po-

assentandi suspicionem) — neminem esse oratorem paullo illustriorem arbitror, [neque Graecum, neque Latinum] quem aetas nostra tulerit, quem non et saepe, et diligenter audierim; — itaque, si quid est in me, — quod iam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis, — ex eo est, quod nihil quisquam umquam, me audiente, egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit: — itaque ego [is, qui sum, quantuscumque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus,] sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Quamobrem, si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum 123
ego hunc [oratorem], quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso [et] vestiendum et ornandum.

Tum Crassus, Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut 124

---

stremo redit eo, quod initio positum non absolverat, instauratque constructionem sic, *itaque ego* —.

Quod ad singula nonnulla attinet, *neminem esse oratorem* ideo in vitio est, quod ita *nemo* non solet coniungi cum Substantivo: conf. Zumpt. Gramm. § 676. Itaque non verens reprehensionem propter Coniunctionis repetitionem, pro *neminem*, legendum censeo *neque enim*. Porro, *neque Graecum neque Latinum*, ineptum additamentum est: neque omnes istius aetatis oratores Graecos audire potuit Antonius, et nunc in illa comparatione de Latinis tantum oratoribus poterat sermo esse. Quod in seqq. editur, *itaque ego is, qui sum, quantuscunque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus*, plane inutilem et inficetam continet explicationem pronominis *ego*, quod ipsum refert breviter id, quod modo dixerat, *si quid est in me* cet. Inscite quoque *qui sum*, pro *qualiscumque sum*: tum, *quantuscumque ad iudicandum* barbarum est, quoniam ferendum non est ut quis dicatur *tantus ad iudicandum*: et vix operae pretium est monere, his, *omnibus auditis oratoribus*, inepte iterari, quae iam dicta erant.

123. *hunc* [*oratorem*]. Recte agnovit interpolationem Kayserus, ex quo genere, in eadem sententia, nonnullas indicavimus in Oratore.

tradam eum Crasso. Contra morem, *si hunc crearo, tradam eum Crasso*. Malim *tradam tum Crasso*.

[*et*] *vestiendum et ornandum*. Non erant ista sic disiungenda, quasi prorsus diversi generis essent. Itaque et hic, et mox, § 124, prius *et* abiiciendum.

124. *diloricare tunicam*. Latinum non esse puto *diloricare*, nec, ut mihi videtur, vel Apulei, vel Nonii aucto-

instituisti. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearis et eduxeris, eum non [et] vestire et ornare, praesertim quum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem, et eius diloricare tunicam, et iudicibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere? qui idem, hoc accusante [Sulpicio], quum hominem seditiosum furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare, et demonstrare gravissimis verbis, multos saepe impetus populi non iniustos esse, quos praestare nemo posset? multas etiam e re publica seditiones saepe esse factas, ut quum reges essent exacti, ut quum tribunicia potestas esset constituta; illam [Norbani] seditionem ex luctu civium, et ex Caepionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse, et iure esse
125 conflatam? Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, sine quadam incredibili vi ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus hoc non maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare; sed haec ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt.

---

ritate satis defenditur; et, si fingeretur, significaret loricam distrahere, ut improprie iungeretur cum *tunica*. Sed scriptum fuit sine dubio *discindere*, ut infra, § 195: Norbanum in hoc iudicio loricatum affuisse cogitare sanequam nimis absurdum est. — Mox, *Sulpicio* abiiciendum esse apparet: conf. ad § 107.

multos saepe impetus — nemo posset. Pideritio aliquid in his desiderari videbatur, ut sana sententia exstaret: itaque de coniectura edidit, *quos praestare nemo non posset*, locumque ita interpretatur; multos impetus ita non iuri adversari, ut eos unusquisque praestare ac defendere possit. Non accipio. Veluti *praestare* (quod ille perperam cum *defendendi* verbo coniungit) nihil aliud est, nisi eorum *culpam sustinere*, si orti sint: conf. quae notavi in Scholic. Hypomn. V. p. 12, sq. Necesse autem est Antonium in illa demonstratione obtinere voluisse, Norbanum istius seditionis crimine liberandum esse, nam *populi* illum *impetum* fuisse:

Tum Catulus, Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime 29
admirari soleo, quod, quum inter vos in dicendo dissimil- 126
limi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut praetermissum, aut relictum sit, non explices; neque te, Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse. Hic Crassus, Quin tu, inquit, 127
Antoni, omittis ista, quae proposuisti, quae nemo horum desiderat, quibus ex locis ea, quae dicenda sint in causis, reperiantur: quae, quamquam abs te novo quodam modo praeclareque dicuntur, sunt tamen et re faciliora, et praeceptis pervagata: illa deprome nobis unde afferas, quae saepissime tractas, semperque divinitus.

Depromam equidem, inquit, et, quo facilius id a 128
te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Meae totius orationis, et istius ipsius [in dicendo] facultatis, quam modo Crassus in coelum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi; una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem 129
[orationis], secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos,

---

conf. § 199 et 203. Qua propter ego in his nihil mutem. Sed in proximis, *illam Norbani seditionem*, tollendum est *Norbani* nomen, quod ne modo quidem in his, *hominem seditiosum*, interpolatum est.

125. *haec ipsa, — ea semper*. Non inferri solet *ea*, post *haec*: et frangitur sic praeterea sententiae consilium, ut diceret, *haec ipsa* in illa Antonii actione maxime enituisse, *quae nunc ad me delegare vis, quae semper — fuerunt*, quo modo corrigendum censeo.

127. *ista, quae proposuisti*. Conf. § 118, sq.

quae, quamquam — dicuntur. Sed nondum eam explicationem aggressus erat Antonius: itaque corrigendum, *dicantur*.

128. [*in dicendo*]. Merito interpolatum habetur.

ut ante dixi. Nempe § 121.

129. *prima lenitatem* [*orationis*]. Melius aberit illud *orationis*, quo nunc non indiget haec demonstratio.

huius generis quasi doctrinam con-

aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed, quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem huius generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, et pauca dicemus, [pauca enim sunt,] quae usu iam tractata, et animo quasi notata habere videmur.

30 Ac tibi sapienter monenti, Crasse, libenter assen-
130 timur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus, aperiamus autem capita ea, unde omnis ad omnem et causam, et orationem disputatio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt cogitatione conquirendae; nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causae seposita argumenta revolvi nos oportet, sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam expli-
131 candam statim occurrant. Sed hi loci ei demum [oratori] prodesse possunt, qui est versatus in rebus vel usu, quem aetas denique affert, vel auditione et cogitatione, quae studio et diligentia praecurrit aetatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine

---

tinere. Apertum est *hoc genus* esse totum illud, quod Antonius explicandum susceperat, *quid dicendum sit* (§ 120, seq.). *Illa pars*, quam nunc explicat, absolvitur § 181; tum pergit ad *inclinationem voluntatis*, et § 185 ad *animi permotionem*.

[*pauca enim sunt*]. Admodum inepte et languide haec inferciuntur. Continuandum est, *pauca dicemus, quae usu— videmur*: nam, qui Coniunctivus e libris edi solet, *videamur*, commendari nulla iusta ratione potest.

130. *assentimur*. Non dubitavi suscipere meam correctionem: libri constanter *assentiamur*, satis imperite. Mox *ut relinquamus* est, illas defensiones relinquendas esse.

disputatio ducitur. Modo, § 121, dixerat *quibus ex locis ducatur oratio*.

131. *ei demum [oratori] prodesse possunt, qui est versatus* —. Primum, *oratori* interpolatum est: tum, in hac restrictione requiritur, *qui sit versatus*. Mox, *quem aetas denique affert* inopportunum habet *denique*, mutandum, ut opinor, in *cuique*.

voluntatibus civium. Hoc plurale,

civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed iterato, quo meliores foetus possit et grandiores edere: subactio autem est usus, auditio, lectio, litterae. Ac primum naturam causae videat, quae num- 132
quam latet; factumne sit, quaeratur, an quale sit, an quod nomen habeat. Quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit; deinde, quid veniat in iudicium, quod isti sic iubent quaerere: interfecit Opimius Gracchum: quid facit causam? quod rei publicae causa, quum ex senatus consulto ad arma vocasset: hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium, licueritne ex senatus consulto servándae rei publicae causa. Perspicua sunt haec quidem, et in vulgari prudentia sita: sed illa quaerenda, quae ab accusatore et a defensore argumenta, ad id, quod in iudicium venit, spectantia, debeant afferri.

Atque hic illud videndum est (in quo summus est 31
error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros 133

---

subactates, explicui in Scholic. Hypomn. V. p. 306, sq.

ut agro non semel arato. Legendum et distinguendum, *ut agro, nec semel arato, sed iterato.* Auctoritate librorum, ante *iterato*, omisi *novato et*, iam ab Ellendtio damnata.

subactio autem — litterae. Premere non possum suspicionem, hanc prorsus inutilem explicationem ab annotatore profectam esse. Ne ferendum quidem hoc est, ut *subactio* dicatur *esse usus* (quamquam recte dixeris *usu subigitur ingenium*), neque oportebat ad definiendam *subactionem* ea poni, quibus ea perficeretur, tamquam si diceretur, *victoria est fortitudo et patientia;* neque infra, III. § 42, dicitur *verborum subtilitas est ratio, literae, consuetudo*, sed, eam *affert ratio*, cet.

132. *sed illa quaerenda, quae — afferri.* In his prorsus insolitum est ut *argumenta* dicantur *spectare ad quid.* Suspicor *spectantia* e vitio natum esse.

133. *atque hic illud videndum est (in quo — impolitum): constituunt enim —.* Sic interpungendo hic locus adiuvandus erat, si quidem *illud*, ini-

mittimus: non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum): constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum; unum appellant, in quo sine personis atque temporibus de universo genere quaeratur; alterum, quod personis certis et temporibus definiatur: ignari omnes controversias ad universi generis
134 vim et naturam referri. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinebat ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii: de ipso enim universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui civem ex senatus consulto patriae conservandae causa interemerit, quum id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, non generum ipsorum universa
135 disputatione quaeratur. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne pecunias contra leges P. Decius, argumenta et criminum, et defensionis revocentur oportet ad genus, et ad naturam universam; quod sumtuosus, [de luxurie;] quod alieni appetens, [de avaritia;] quod seditiosus, [de turbulentis et malis civibus;] quod a multis arguitur, [de genere testium;] contraque, quae pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque

---

tio positum, non statim explicari videtur quid sit. Nempe, ut saepe, *illud* suspensum manet, explicaturque nova instituta constructione: conf. § 140 et 295. Sic igitur h. l. *illud videndum est: constituunt enim* — dicitur pro *illud videndum, quod magistri illi constituunt*. Conf. ad I. § 124.

constituunt — duo genera. Eandem doctrinam aliis verbis exponit supra § 78.

134. *nihil pertinebat*. Sic edidi de meo, quippe postulabatur. Libri vel *pertinet*, vel *pertineat*, quorum alterum nihil altero deterius Ellendtio videbatur: sed utrumque vitiosum est.

135. *ceperitne pecunias contra leges P. Decius*. Quis h. l. Decius intelligendus sit, quaesiverunt viri docti. Sed verba, *contra leges*, ideo hinc aliena esse puto, primum, quod *pecuniam capere* numquam secundum leges fieri poterat; tum, quod ipsum hoc non quaerendum erat in controversia *facti*. [*de luxurie;*] — [*de avaritia;*] — [*de turbulentis et malis civibus;*] — [*de genere testium*]. Assentior Kayserо haec omnia interpolata esse: et sum

homine ad communes rerum et generum summas revolventur. Atque haec forsitan homini, non omnia, 136
quae sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quae veniant in iudicium tum, quum de facto quaeratur: sed tamen criminum multitudo est et defensionum, non locorum, infinita.

Quae vero, quum de facto non ambigitur, quaeruntur 32
qualia sint, ea, si ex reis numeres, et innumerabilia 137
sunt, et obscura; si ex rebus, valde et modica, et illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescumque is, quem pater patratus dediderit, receptus non erit, toties causa nova nascetur: sin illa controversia causam facit, videaturne ei, quem pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse; nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis Mancini nomen pertinet. Ac, si quid affert 138
praeterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra quaestionem est; et ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est. Haec ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam; quamquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis et in temporibus positas esse: nam, etsi incurrunt tempora et personae, 139
tamen intelligendum est non ex iis, sed ex genere

---

sane ab eo profecta, qui non intelligeret, ipsis illis, *quod sumptuosus*, cet., genus et naturam universam indicari.

136. *omnia, quae sunt in natura rerum.* Alienissima ab huius disputationis argumento est *natura rerum*. Suspicor, corrigendum esse, *in natura generum:* et fortasse modo supra, § 135, *ad communes rerum et generum summas*, illud *rerum* e dittographia ortum est. *Genera* certe aliquoties ita appellantur: quamquam pro his *res* quoque dicuntur, ut § 137, *si ex rebus*, et § 139, *genera rerum;* et § 145, *in generum causis atque naturis omnia sita esse.*

criminum multitudo est et defensionum, non locorum, infinita —. Ita rectissime restitutum a Pideritio: vulg. *non defensionum aut locorum.*

138. *extra quaestionem est.* In hac apodosi requiram, *id extra q. e.*, i. e. ne ipsum quidem pertinet ad defensionis argumenta.

in genere definiendo. Vid. § 133.

139. *quod in tanto otio — efficere potuerunt.* Vitium est in hoc *potuerunt*, quoniam modo antecedit eos *non esse consecutos*. Corrigendum, *poterant.*

quaestionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me; nullum enim nobis certamen cum istis esse debet: tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paullo
140 subtilius explicarent. Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster et Sulpici: quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum; est enim infinita, si in personis ponitur; quot homines, tot causae: sin ad generum universas quaestiones referuntur, ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes, et memores, et sobrii oratores percursas animo et prope dicam decantatas habere debeant: nisi forte existimatis, a M' Curio causam didicisse L. Crassum, et ea re multa attulisse, quamobrem, postumo non nato, Cu-
141 rium tamen heredem Coponii esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causae vim ac naturam nomen Coponii aut Curii pertinuit: in genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus omnis quaestio. Quum ita scriptum est, *si mihi filius genitur, isque prius moritur*, et cetera, *tum ut mihi ille sit heres:* si natus filius non sit, videaturne is, qui, filio mortuo, institutus heres sit, heres esse;

---

140. *ut eas omnes — debeant.* Quum modo dixisset eas causas *modicas et paucas* esse, minus convenit, ut eas nunc *omnes* appellet: sed ne *omnes diligentes* quidem iungi apte possunt: postremo, ut *oratores* in subiecto dicerentur, nunc quidem vix ferendum; quo omisso, suspicor, locum sic esse corrigendum, *ut eas homo diligens, et memor, et sobrius percursas — debeat.*

141. *quum ita scriptum est —.* Melius sic totam hanc particulam distinguendam esse, quum prius cum superioribus necteretur, assensus mihi est Ellendtius, qui tamen non probat, quod *scriptum sit* mutabam in *scr. est*, quippe, inquit, „*quum* oratione obliqua interrogationis afficitur:" id quod mihi non persuadet. — In extrema parte perperam corrigebam, *rationem discendi*, pro *r. dicendi:* et recte hoc Pideritius interpretatur de orationis forma accommodanda generi cuiusque causae.

isti nos iuris consulti. Dici non poterant *isti*, nisi si prius eorum mentio facta esset: sed hucusque non nisi de magistris dicendi sermo fuit. Corrigendum, *ipsi* --.

perpetui iuris et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes desiderat. In quo etiam isti nos iuris consulti im- 33
pediunt, a discendoque deterrent: video enim in Cato- 142
nis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint; credo, ut putaremus in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse, ut, quod homines essent innumerabiles, [debilitati a iure cognoscendo,] voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiiceremus. Sed haec Crassus aliquando nobis expediet, et exponet descripta generatim. Est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se ius civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum, et ad artem facilem redacturum. Et 143
quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit [de iure], didicit, et quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse afferet, ut, quae sint in iure, vel acute describere, vel ornate illustrare possit. Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, quum se de turba et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque contulerit. Iam id qui- 144
dem saepe, inquit Catulus, ex eo audivi, quum diceret, sibi certum esse a iudiciis causisque discedere: sed,

---

142. [*debilitati a iure cognoscendo*]. Merito haec suspecta sunt. Neque *debilitandi* verbum huc pertinet, quasi esset *deterrere*, neque ipsa constr., *debilitari a cognoscendo*, Latina est.

se ius civile — coacturum. Revocavi *se*, a novissimis Editoribus neglectum.

143. *et quidem*. Huic formulae, quae in respondendo usurpari solet, quum id, quod dictum ab altero est, vel suppletur, vel corrigitur, nunc locus nullus est. Corrigam, *id quidem*, abiecto illo Pronom. post *haudquaquam*.

quod disci potuit [*de iure*]. Constanter dicitur *ius discere*, non *de iure*. Nec sane hic opus erat illud discendi obiectum appellare. Nihil nisi interpolatio est.

quae sint in iure. Post haec excidisse suspicor, *posita:* neque enim nude dici solet, *esse in iure*.

144. *neque enim ipse auxilium suum a viris bonis* —. Revocavi, quod novissimi Editores excluserant, *ipse*, post *neque enim:* contra, exclusi *saepe*, post *auxilium suum*, corruptum, ut puto, ex illo Pronomine, neque huius loci. Conf. § 193.

ut ipsi soleo dicere, non licebit: neque enim ipse auxilium suum a viris bonis frustra implorari patietur, neque id aequo animo feret civitas, quae, si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit. Iam hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum, et istam oscitantem [et dormitantem] sapientiam [Scaevolarum et ceterorum] beatorum
145 otio concedamus. Arrisit hic Crassus leniter, et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es: me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.

34 Huius quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius, (quoniam intelligitur, non in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quae in dubium vocarentur; genera autem esse definita non solum numero, sed etiam paucitate), ut eam materiem orationis, quae cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam ornatamque com-
146 prehenderent, rebus dico et sententiis, [ea vi sua

---

iam hercle. Restitui *iam*, quum alii libri habeant *nam:* nulla enim ratio redditur, sed, quid futurum sit, praedicitur.

istam oscitantem [*et dormitantem*] *sapientiam* [*Scaevolarum* —]. Merito ista, *et dorm.*, novissimi Editores abiicienda censuerunt: inepta et imperita interpretatio est praecedentis *oscitantem*. Sed maneo in sententia, *Scaevolarum et ceterorum* ridicule interpolata esse, quippe, Crasso praesente, qui Scaevolae gener erat, non credibile est Antonium Scaevolis *oscitantem sapientiam* exprobrare voluisse; tum inficetum est additum illud *et ceterorum*. In *beatorum* tamen appellatione nihil est cum invidia coniunctum. Conf. Legg. I. § 32.

145. *quoniam intelligitur.* Altera lectio, *qu. intelligeretur*, non video, qua ratione commendari possit. Ab his verbis incipit parenthesis usque ad *sed etiam paucitate:* tum demum subiicitur absolutio eius, quod dicere instituerat, *hic est finis, ut eam materiem* —.

in generum causis atque naturis. Nullas novi neque *causas*, neque *naturas generum*. Suspicor, mutatis casibus, legendum esse, *in generibus causarum atque naturis*. De istis nominibus notavi ad § 136.

verba pariet,] quae semper satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Ac, si verum quaeritis, quod mihi quidem videatur, (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam), hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus, neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus; quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito et usu, pertractata esse possunt: sed tamen animus referendus est ad ea capita, et ad illos, quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc to- 147
tum est sive artis, sive animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venere et pervestiges, quod quaeras: ubi eum locum omnem cogitatione saepseris, si modo usu rerum percallueris, nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet.

Et sic, quum ad inveniendum in dicendo tria sint, acumen, deinde ratio, quam licet, si volumus, appellemus artem, tertium diligentia; non possum equidem

---

146. [*ea vi sua verba pariet*]. In his nulla e libris varietas excitatur, praeterquam *eae*, et *parient*, aut *pariant*. Sed non attinebat ea corrigere, ut olim conatus eram: sunt enim manifesto interpolata. Statim advertit non ferenda tautologia, quum statim subiiciantur haec, *ut ea res ipsa peperisse videatur*. Praeterea, de quocumque dicatur, sed in primis absonum est, si de *rebus et sententiis* dicitur, ea *vi sua verba parere*. Porro, vitiosum est hoc, quod *materies orationis* dicitur *instructa ornataque rebus et sententiis*, ita ut has (*res* et *sententias*) *res ipsa* peperisse videatur. Corrigendum est, — *comprehenderent, verbis dico et sententiis, quae semper* —.

in forum deferre. Probum magis erit *afferre*. Mox item, pro *tum denique*, praestabit legere *tum demum*.

ex quibus omnia — ducuntur. Idem, iisdem prope verbis, dixit supra, § 130. Sed hic difficile est probare *inventa*, quae ex illis locis *duci* dicuntur. Modo rectius dixerat *argumenta eruere* ex illis locis. *Inveniendi* mox alios fontes indicat. Pro *inventa* aptius legeretur *instrumenta*.

147. *ex tarditate incitat*. Postulatur, credo, *excitat*.

non ingenio primas concedere; sed tamen ipsum inge-
148 nium diligentia etiam ex tarditate incitat, diligentia, inquam, quae quum omnibus in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis; haec semper adhibenda; haec, nihil est, quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est: ut adversarium attente audiamus, atque ut eius non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant,
149 diligentia est: [id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est] deinde, ut in iis locis, quos proponam paullo post, pervolvatur animus, ut penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est [ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut vo-
150 cem, ut vires]. Inter ingenium quidem et diligentiam perpaullulum loci reliquum est arti: ars demon-

---

148. *causa — nota sit.* Necessario corrigendum, *cognita sit.*

diligentia est. Hoc, aliquoties h. l. iteratum, melius, opinor, sic enuntiabitur, *diligentiae est.*

vultus — omnes. Idem plurale est III. § 216.

149. [*id tamen — prudentia est*]. Recte haec spuria visa sunt viris doctis; nec intelligo, quo modo ea vindicare voluerit Pideritius. Non tantum totum illud de *prudentia* intempestive interponitur in iis, quae de *diligentia* praedicantur, nec nisi acutula observatio est, sed ipsa dictio nec proprietati, nec perspicuitati satisfacit. *Id facere* male reddit illa, *attente audire:* nec facile intelligitur quid sit *dissimulanter attente audire:* tum, obscurum est quid *proficere* sibi posse *videatur* adversarius inde, quod alter attente audiat.

[*ut his rebus — ut vires*]. Et haec recte interpolata esse indicavit Kayserus, et gratum nobis fecisset, si rationes iudicii sui explicuisset. Sed nihil est in illis verbis, quod defendi possit. *His rebus* quum dicit, perperam omnia illa, quae modo diligentiae tribuebantur, *rerum* nomine complectitur: tum, neque *memoriam*, neque *vocem*, neque *vires adhibere rebus* propriae Latinitatis est (*memoriam adhibere* videtur tantum defendi posse ex I. § 18, ubi tamen non nisi per zeugma fertur, quum proprie dicatur *custodem adhibere*), multoque minus ex illis omnibus *lumen* accendi rebus dici potest, neque omnino ista quidquam pertinent ad inventionis virtutem, quam unam in hac demonstratione spectat Antonius. His igitur exclusis, quae praecedunt, extrema sunt eorum, quibus *diligentia* ab Antonio commendabatur: unde conficio, pro *deinde*, legendum esse *denique*.

strat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire: reliqua sunt in cura, [attentione animi,] cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore, complectar uno verbo, quo saepe iam usi sumus, diligentia; qua una [virtute omnes] virtutes reliquae continentur. Nam orationis quidem copia videmus ut 151
abundent philosophi, qui, ut opinor, (sed tu haec, Catule, melius) nulla dant praecepta dicendi, nec idcirco minus, quaecumque res proposita est, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur.

Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut 36
plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi, et 152
habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant. Sed Aristoteles, is, quem ego maxime admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur: a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua: sive

---

Confundi ista in Codd. exemplo est Brut. § 41. Neque utimur appendicula ex Codd., *haec magna sunt*, neque ea, quam Ernestus excogitavit, *diligentia est*.

150. [*attentione animi*]. Nihil est, nisi interpretamentum praecedentis, *cura*. Latinum sane est *animum attendere*, et ipse *animus* dicitur *attendere:* sed neque usquam apud probatos scriptores *attentio* offenditur, neque, si usurparetur, h. l. sententiae conveniret, quoniam minus quid significaret, quam quae in reliquis intelligi necesse est. *Cura et cogitatio* iunguntur infra quoque, § 174 et 186.

qua una [*virtute omnes*] *virtutes*. In Kayseri editione bene ista pro spuriis habentur.

152. *locos, ex quibus omnis argumenti via — inveniretur*. Novissime editum est *omne argumentum — inveniretur*, ideo minus aptum, quoniam nihil aliud est, nisi *quodvis argumentum*. Sed Havn. A. apud Ellendtium exhibet *omnis argumentandi vis;* ut corrigendum sit, *omnis argumentorum vis*, i. e. copia. Sed quoniam *ex locis ducuntur argumenta* (ut § 146), non *inveniuntur*, corrigendum erit, *in quibus*, ut § 150 dicitur, *ubi sit illud, quod studeas invenire*.

plus — operae Graecis dedisse rebus. Si, ut *res Romanae*, ita *res Graecae* historiam eius populi indicat, et hic *Graecis literis*, et mox, § 153, *Graecarum literarum* corrigendum erit. Alio certe modo *domesticae res* appellantur, Fin. I. § 10, ubi *literae* intelliguntur. — Mox servavi *putaram*, e vetustis Editt., pro vulg. *putaramus*.

quum tantas res Graeci susciperent. Non nimis apte, *tantae res* quum dicitur, statim subiicitur *videre res obscurissimas*. Fieri potest ut scriptum fuerit *tantas artes*.

tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti: quod quidem magis verisimile videtur: plus enim te operae
153 Graecis dedisse rebus video, quam putaram. Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule. Semper ego existimavi, iucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicuius, deinde nullam Graecarum rerum significationem daret. Atqui ego idem existimavi, pecudis esse, non hominis, quum tantas res Graeci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas, et bene vivendi, et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et, si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.

37 Valde hercle, inquit Catulus, timide, tamquam ad
154 aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti, quam haec civitas aspernata numquam est. Nam et referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, quum erat in hac gente magna illa Graecia: ex quo etiam [quidam] Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis

---

154. *quum erat in hac gente magna illa Graecia.* Probandumne est Magnam Graeciam dici *fuisse in hac gente?* et, in qua gente? Mihi sane non probatur: et certe aliquanto melius, Amic. § 13, de Pythagoreis, *qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam — praeceptis suis erudiverunt:* et Livius XXXI. 7. 11, *nec Tarentini modo oraque illa Italiae, quam maiorem Graeciam vocant.*

ex quo etiam [quidam] — ferunt. Interpolatum est *quidam*, non tam propter similem locum Tusc. IV. § 3, sed quod *ferunt* fere sine subiecto dici solet et oportet, in communi fama et ὑποπτώτῳ.

quum illam sapientiam — ante cognovit. Ellendtius repudiat Coniunctivum *cognorit*, et Indicativum post *quum* a se defensum esse dicit ad Brut. § 138. Sed istic necessario corrigendum, *quam tamen spisse — pervenimus.* Praeterea, non *cognovit* illam sapientiam Numa, sed *novit:* itaque corrigendum, *noverit.*

156. *mea sententia, quam videor exposuisse.* Quandoquidem Antonius

permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras; quo etiam maior vir habendus est, quum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope saeculis ante cognoverit, quam eam Graeci natam esse senserunt. Et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. Atque ego ex 155
istis saepe audivi, quum dicerent, pergratum Athenienses et sibi fecisse, et multis principibus civitatis, quod, quum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum, et Diogenem: itaque eos, dum Romae essent, et a se, et ab aliis frequenter auditos. Quos tu quum haberes auctores, Antoni, miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris. Minime, inquit Antonius: ac sic 156
decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, *paucis: nam omnino haud placet.* Sed tamen haec est mea sententia, quam videor exposuisse: ego ista studia non improbo, moderata modo sint; opinionem istorum studiorum, et suspicionem artificii apud eos, qui res iudicant, oratori adversariam esse arbitror: imminuit enim et oratoris auctoritatem, et orationis fidem.

Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio; 38
157

---

nunc aliis verbis iteraturus est, quae modo (§ 153) dixerat, pro simpl. *quam exposui*, aliquanto modestius dicit *quam videor exposuisse*. Dicere fortasse poterat *quam visus sum exponere*, non *q. videbar exposuisse*.

apud eos, qui res iudicant. Sic de meo correxi, pro *iudicent*. Illa formula non est nisi descriptio *iudicum*, ut, *qui audiunt*, sunt *auditores*.

157. [*clarissimis philosophis*]. Tam propterea, quod eosdem iam alio Adiectivo designaverat Catulus, § 155, et quod post *istis* apte et de more statim subiicitur *quos — dixisti*, duo illa verba interpolata esse puto, quam quod *clarus*, et *clarissimus*, non dici solet apud Ciceronem *philosophus*: usurpatur enim illud Adiectivum in factorum gloria, et in amplitudine, quam quis in re publica obtinuerit. Conf. I. § 7.

Diogenem fuisse. In nonnullis libris *D. eum fuisse*. Non utuntur illo *is — qui*, nisi ubi vel necessaria designatio personae commemoratae postulatur, vel per Relativum indicatur id, quod

ex tribus istis [clarissimis philosophis], quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem fuisse, qui diceret, artem se tradere bene disserendi, et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco διαλεκτικὴν appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est,
158 quo modo iudicetur. Nam omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus, aut non esse; et, si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit, an falsum, et, si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, iudicant, rectene adiuncta sint, et verane summa sit uniuscuiusque rationis: et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae iam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et
159 potius detexta prope retexantur. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adiuvat, quoniam, quemadmodum inveniam, quid dicam, non docet: atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae negat ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac

---

adversatur praecedenti, ut Offic. III. § 117. fin.

158. *nam omne, quod eloquimur* —. Nihil certi in his afferunt Codd.: itaque necesse est ut corrigendo haec ad sanam et perspicuam sententiam revocemus. Statim, libros nonnullos secuti, omisimus *et*, ante *omne*, quod nihil erat in sequentibus, quod responderet. Sed manifestum esse puto, nihil aliud explicare voluisse Antonium, nisi hoc, dialecticos defungi iudicio de utroque genere enuntiationis, tum simplicis, tum compositae sive hypotheticae, quae contineret syllogismum. Quapropter sic constituam hunc locum: *nam omne, quod eloquimur, ut id aut esse dicamus, aut non esse, id, si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit, an falsum, si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, rectene adiuncta sint — uniuscuiusque rationis; sed ad extremum* —: in quibus postremis suscepimus *sed*, pro vulg. *et*, quoniam haec non, ut priora, continent explicationem muneris dialectici, sed reprehensionem istius methodi. In fine aptius erit, transpositis Adverbiis, legere *et prope detexta potius retexantur.*

profluens. Ita ponitur III. § 185.

160. *Critolaum* [*istum*]. Non tam me offendit quod brevi intervallo toties Pron. *iste* recurrit, quam quod nulla de causa nunc eiusmodi designatio in Critolai nomine usurpatur. Mox quoque (*ab isto Aristotele*) pravo consilio mihi illatum videtur idem Pronomen.

minutum: quod si qui probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur: haec enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. Quare istam artem totam dimittemus, quae 160
in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum [istum], quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse: erat enim ab isto Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc [Aristotelem] (cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit) et hos germanos huius artis magistros hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque aspexit, quae ad dicendi artem, quam [ille] despiciebat, pertinebant, illi autem, qui [hoc solum colendum ducebant,] habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed

---

inter hunc [*Aristotelem*]. Recte iudicatur Nom. proprium interpolatum esse.

illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit. Si, ut fere necesse est, intelligendi sunt tres libri Rhetoricorum, incongruum videtur ut Aristoteles dicatur in iis *sua quaedam dixisse*, tamquam si, in multum diverso argumento versatus, obiter nonnulla de dicendi arte dixisset. Fieri potest ut *quaedam de eadem* e dittographia orta sint, ut fortasse corrigendum sit, *sua de eadem arte edidit:* nam *dixit* ineptum est.

quam [*ille*] ***despiciebat.*** Non patitur sententia Pron. istud h. l., quod modo (*quod ille eadem acie* —) suo loco positum erat. Sed totum hoc praeter exspectationem est, ut Aristoteles dicatur *despexisse* artem dicendi. Ferremus, si diceretur *quam antea despiciebat*, nempe ante, quam Isocratis aemulatione illam quoque disciplinam assumsisset: III. § 141.

qui [*hoc solum colendum ducebant*]. Quae inclusi verba continent interpretationem aut paraphrasin eorum, quae subiiciuntur, satis infelicem, quippe *hoc solum* non apte ad antecedd. refertur, neque rhetores ista *coluisse* recte dicuntur. Sed, ad sententiae totius absolutionem, post verba *non eadem prudentia*, requiritur verbum, ut haec opponantur illis de Aristotele, *eadem acie mentis haec aspexit.* Fieri enim non potest ut iungantur *habitarunt eadem prudentia.*

161 usu in hoc uno genere studioque maiore. Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam est optanda nobis; qui nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc maius est quiddam, quam ut ab iis, qui haec tradunt et docent, postulandum sit.

39 Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad
162 dicendum velim, his potius tradam assiduis, uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant: sin sit is, qui et doctrina liberaliter institutus, et aliquo iam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur, illuc eum rapiam, ubi non seclusa [aliqua] aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat: qui illi sedes et tamquam domicilia omnium argumentorum commonstret, et ea breviter illustret verbisque definiat.
163 Quid enim est in quo haereat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione probandum, [refellendum,] aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum aut, res quae sit tota, quaeratur, aut pars eius, aut vocabulum, quod habeat, aut quippiam rem illam quod attingat: extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris, neque inhaerent in rei natura, colli-
164 guntur. Si res tota quaeritur, definitione universa

---

161. *perquam est optanda nobis.* Sic de meo correxi vulg. *esset:* conf. § 186 init.

in illis suis disputationibus. Quorsum *suis?* Intelligerem *subitis:* nisi quid melius alius excogitet.

quam ut ab iis — postulandum sit. Revocavi *ut*, a novissimis Editoribus omissum.

162. *his — assiduis, uno opere — tundentibus.* Duo me in his offendunt, primum, *assidui tundentes:* neque enim illud Adiectivum cum Participio iungi potest: tum, quod *unum opus* dicitur, quod recte et suo loco usurpabatur supra, § 40. Corrigendum est, *assiduo opere*, sicut, III. § 58, *labor assiduus* dicitur.

seclusa [aliqua] aquula. Quod manifesto e dittographia, vel potius a socordia librarii, vitio non eraso, ortum est, delendum erat.

explicanda est, sic: si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit. Sin pars, partitione, 165
hoc modo: aut senatui parendum de salute rei publicae fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum: aliud consilium, superbum; suum, arrogans; utendum igitur fuit consilio senatus. Si ex vocabulo, ut Carbo: si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius? Sin ab eo, quod rem attin- 166
git, plures sunt argumentorum sedes ac loci: nam et coniuncta quaeremus, et genera, et partes generibus subiectas, et similitudines, et dissimilitudines, et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi praecurrentia, et repugnantia, et causas rerum vestigabimus, et ea, quae ex causis orta sint, et maiora, paria, minora quaeremus.

Ex coniunctis sic argumenta ducuntur: si pictati 40
summa tribuenda laus est, debetis moveri, quum Q. 167
Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: si magistratus in populi Romani esse potestate debent, quid Norbanum accusas, cuius tribunatus voluntati paruit civitatis? Ex parte autem ea, quae est subiecta 168
generi: si omnes, qui rei publicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis retinemus et nostram salu-

---

qui illi sedes — commonstret. Nondum expositum vidi, ad quem pertineat illud *qui*, quum praecedat *illuc*, et *ubi* et *unde*. Et, quoniam Antonius hoc explicat, quo modo ipse erudire vellet futurum oratorem, non quid aliis relicturus esset, ne apte quidem est tertia persona in verbis *commonstret*, *illustret*, *definiat:* et corrigendum censeo, *ubi illi sedes — commonstrem — illustrem — definiam*. Itaque nunc ipse aggreditur eiusmodi disciplinam.

163. *quod sumatur in oratione probandum*, [*refellendum*]. Alii, *aut ad prob.*, *aut ad refell.*, quod bene deseruit Kayserus, qui vidit *refellendum* abiiciendum esse, coll. § 181 init. Sed facile careo Praep. *in*, ante *oratione*.

167. *quum Q. Metellum — lugere videatis*. Corrigendum, *videtis*.

tem, et imperii dignitatem. Ex similitudine autem: si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos no-
169 stros indulgentia esse debemus? At ex dissimilitudine: si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent. Atque utroque in genere, et similitudinis et dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae. Iam ex contrario: si
170 Gracchus nefarie, praeclare Opimius. Ex consequentibus: si et ferro interfectus ille, et tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax, quid est, quod de facinore dubitare possimus? Ex consentaneis ***, ex praecurrentibus ***, ex repugnantibus, ut olim Crassus adolescens: non, si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt: simulasse te, et aliquid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in contionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod sem-
171 per a bonis dissensisti. Ex causis autem rerum sic: avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda, luxuries. Ex iis autem, quae sunt orta de causis: si aerarii copiis et ad belli adiumenta, et ad ornamenta
172 pacis utimur, vectigalibus serviamus. Maiora autem, et minora, et paria comparabimus sic; ex maiore: si bona

---

169. *exempla sunt ex aliorum factis.* Credo, excidisse Participium, sic restituendum, *exempla sumenda sunt:* ut mox, *ponendae.*

170. *quod P. Africani necis socius fuisti.* Non probanda haec locutio mihi videbatur; ideoque conieceram *necis conscius*, quod ipsum video apud Ellendtium in nonnullis libris ferri.

quod eam legem — tulisti. Nec per se satisfacit Pronomen (*eam*) in legis designatione, et languidior est eiusmodi designatio, ubi, ut in praecedd., acerbius quid exspectabatur, quod Carboni obiiceretur. Quod substitui posset nondum reperi: sed desero id, quod coniiciebam, corrigendum esse, *de tribunatu.*

171. *sic has ego argumentorum vobis notas quaerenti demonstrare.* Secutus sum in his Ellendtium, spretis aliis, quae e libris commemorantur. Sed quod is sequentia sic edidit, *reliqua cura, et cogitatione eruuntur*, primum

existimatio divitiis praestat, et pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? ex minore sic:

— Hic parvae consuetudinis
Causa huius mortem fert tam familiariter:
Quid, si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: est eiusdem et eripere, et contra rem publicam largiri pecunias. Foris autem assumuntur ea, 173
quae non sua vi, sed extranea sublevantur, ut haec: hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius: hoc falsum est; habita enim quaestio est: hoc sequi necesse est; recito enim tabulas: de quo genere toto paullo ante dixi.

Haec, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta 41
sunt. Ut enim, si aurum cui, quod esset multifariam 174
defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis, ipse sibi foderet, et id, quod vellet, parvo labore, nullo errore inveniret; sic has ego argumentorum volui notas quaerenti demonstrare, ubi sint; reliqua cura, et cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum 175
genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitae praescribere, sed est mediocris ingenii iudicare: neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quaedam monita tradamus. His igitur locis in mente et cogitatione defixis,

---

ideo probare non possum, quod non apparet, quae essent illa *reliqua*. Kayserus, pro *reliqua*, de suo edidit *exigua*, et inclusit verba *ubi sint*. Sed ea manet totius loci compositio, ut non appareat verbum *eruuntur* ad *argumenta* pertinere, sicut supra, § 146: quapropter, pro *ubi sint*, legere praestabit *unde — eruuntur*. Quod autem illam Kayseri coniecturam attinet, *exigua*, fortasse cui commendetur ea ex anteced., *parvo labore*, et e sequ., *mediocris ingenii*: necdum ipse aliquid melius reperi. — *Commonstrandi* verbum supra in simili re usurpatum, I. § 203.

175. *sed ut doctissimis hominibus — tradamus*. Solet Cicero *doctissimorum hominum* appellatione philosophos indicare; neque nunc hac appellatione eos indicat Antonius, quos alloquitur, sed philosophos (conf. § 152), quorum artem usus sui monitis locupletare vult.

et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi.
176 [Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita afficiat, apud quos aget, ut eos, quocumque velit, vel trahere, vel rapere possit, nihil profecto praeterea ad dicendum requiret]. Iam illud videmus, nequaquam satis esse reperire, quid
177 dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas: et, id quare ita sit, ostendere: et ex iisdem illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque transire: saepe non proponere, ac, ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare: si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes: deinde, quod agitur, adiungas: puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit,

---

176. [*si vero assequetur, — ad dicendum requiret.*] E novissimis Editoribus unus Kayserus videtur meam opinionem probare, quum dixissem, totam hanc particulam non esse huius loci: nec me movet Pideritii disputatio, qui hunc locum egregie superioribus illis subiici contendit. Nondum absolverat Antonius, ex illa tripartita disputatione quam distribuerat, eam partem quae erat *docendorum hominum*, quae continebat hoc, ut de locis argumentorum, omnino de inventione diceretur, eamque partem primam sibi explicandam esse dixerat: conf. § 128 sq. Igitur huic disputationi cumulum imponit hunc, ut dicat, *iam illud videmus nequaquam satis esse* —, et reliqua, usque ad finem § 177. Tum demum significat se *ad illa maiora* venturum esse, § 178, quae § 181 appellat *duo reliqua*, nempe *conciliandorum hominum*, et *concitandorum*. Propterea existimo, illam particulam suo loco inserendam esse, in § 184, post hanc sententiam, *genere enim quodam sententiarum — ut boni viri esse videamur*. Perspicuum enim esse credo illam particulam, de cuius collocatione agimus, pertinere ad praecepta *conciliandorum hominum*: neque hoc negligendum, concludi illam demonstrationis partem multo melius his verbis, *nihil ad dicendum requiret*, quam illis, *ut boni viri esse videamur*, quum statim post aggreditur tertiam partem, *concitandorum hominum*, § 185, a verbis, *huic autem est illa dispar* —.

iam illud videmus —. Fluctuant libri inter *iam* et *nam*. Sed verum videtur esse *tamen*: neque enim transitur nunc ad aliud argumentum, sed corrigitur quodam modo id, quod dictum erat.

177. *ne aut cognoscat artem qui audit.* Nunc quoque corrigendum censeo *a-*

ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

Haec ego properans apud doctos, semidoctus ipse, 42
percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus. Ni- 178
hil est enim in dicendo, Catule, maius, quam ut faveat oratori is, qui audit, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam iudicio aut consilio regatur. Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, [aut errore,] aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. Quare, nisi quid vobis 179
aliud placet, ad illa pergamus. Paullum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere. Quidnam? inquit. Qui ordo tibi placeat, inquit Catulus, et quae dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus

---

gnoscat. Tum, servandum fuit *qui audit*, prae altero, *qui audiat*, qui Coniunctivus ab huiusmodi sollemni periphrasi alienus est. Rursus titubatur mox, § 178.

aut defatigetur similitudinis satietate. Appellatur *similitudinis satietas*, quod (ut dicitur Invent. I. § 76) *similitudo est mater satietatis.* Sic infra, III. § 193, *fastidium similitudinis.*

quid proponendum fuerit. Requiri puto, *quod pr. f.*

prius ut simile confirmes. Sprevi *dicas*, quod in aliis iteratum est ante *confirmes.*

puncta argumentorum. Sic melius ediderat Ellendtius, quam Kayserus, qui *interpuncta* servavit, quae hinc a.iena sunt, et ne *numerari* quidem dicerentur. *Puncta* appellantur in Prooem. quoque Paradoxorum: *interpuncta* rectius infra, § 328. Conf. Scholic. Hypomn. V. p. 326.

178. *haec ego properans apud doctos, semidoctus ipse, percurro.* Vulg. *haec et prop. ut ap. d. et semidoctos ipse p.* Non dubitavi, primum, suscipere Schutzii correctionem, *ego:* tum, interposita illa, *ut*, *et*, abieci. Nulla alia de causa *apud doctos* dicit, nisi ut opponeret *semidoctus ipse*, ut § 29 dixerat, *docebo, quod ipse non didici.*

ut faveat oratori is, qui audit, utque ipse sic moveatur —. Correxi, *audit*, pro vulg. *audiet*, ut modo, § 177, et ut 189 editur, et 211, 241, et passim. *Ipse*, nempe qui audit.

aut timore, [*aut errore*]. Nullo modo censeri *error* potest in animi perturbationibus, quas orator concitare debeat: itaque omittitur in simili enumeratione, infra, § 206. Igitur et h. l. illud additamentum abiiciendum est, et in simili loco, Orat. § 118.

179. *quo te dicis intendere.* Praestabit, *tendere.* Conf. supra, ad § 89.

180 videri soles. Vide, quam sim, inquit, deus in isto genere, Catule. Non hercle mihi, nisi admonito, venisset in mentem: ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnumquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo, vel casu potius incurrere. Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram, sic tamquam ignotum hominem praeteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit. Sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponen-
181 darum rerum requisisse. Nam, si ego omnem vim oratoris in argumentis, et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum et de collocatione aliquid dicere. Sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum; quum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quaerendum.

43 Valet igitur multum ad vincendum probari mores et
182 instituta [, et facta, et vitam] eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus, et item improbari adversariorum, animosque eorum, apud quos agetur, conciliari quam maxime ad benevolentiam [quum erga oratorem, tum

---

180. *ea, in quibus nonnumquam aliquid efficere videor.* Praep. *in* omittendam censeo, quoniam ipsa illa artificia intelligit Antonius, quae secutus causas obtinere soleret. Idem discrimen servatur, utrum *in dicendo*, an *dicendo efficere quid* dicatur.

quia non noram. Kayserus correxit, *quasi non norim.* Neutrum verum. Et Kayseri quidem e correctione oritur tautologia, quia i. q. *quasi ignotum*, id quod statim subiicitur, *tamquam ignotum.* Vulgata autem in eo peccat, quod non potuit Antonius dicere, se ignorare, quippe qui statim addat, quanti momenti totum illud sibi esse videatur. Sed, quum modo dixisset, sibi istud *non nisi admonito in mentem venisse*, nunc dixisse eum puto, *quia non memineram.*

182. [*et facta, et vitam*]. Sicut in nonnullis libris haec omittuntur, in Leid. quoque et Voss., tollenda censeo, ideo in primis, quod, ubi diligentius hoc praeceptum mox urgetur suo loco, *dignitas hominis, res gestae*, et *existimatio vitae* numerantur. In his autem perspicuum est *hominem* intelligi eum, pro quo dicatur, ideoque subiicitur de *oratore.*

[*quum erga oratorem, — dicet orator*]. Quum modo antecesserit *eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus*, illa mihi videntur tautologa esse; in quibus, praeterea, non tantum hoc requiro, ut *tum — tum* scriberetur, sed

erga illum, pro quo dicet orator]. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitae; quae facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudor[is significatio], verborum comitas; si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare, facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi signa proferri [perutile est], eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus haec non sunt: itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda. Sed genus hoc totum 183
orationis in iis causis excellit, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos, (reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur: sic enim olim loquebantur): horum igitur exprimere 184

---

inscite etiam *orator* praemittitur his, *pro quo dicet orator*.

vultus pudor[*is significatio*]. Ipsa concinnitas, quam sine dubio in his quoque colere voluit Cicero, indicat, vitiose haec enuntiari, et minus tempestiva est observatio duplicis Genitivi, quo liberandum esse locum § 333 fin. ostendemus. Sed ipsa *significatio* hinc aliena est, quoniam ipse *vultus* significat, certe oculi, qui indices sunt: conf. infra, III. § 221. Orat. § 60: neque *pudoris significatio* cogitari potest, quoniam *pudor* ipse signum et indicium animi est, in vultu conspicuum. Paruit mihi Kayserus, et interpolationem uncinis indicavit.

[*perutile est*]. His sublatis, reliqua melius ad finem usque continuantur, finiunturque his, *valde benevolentiam conciliant*.

183. *reos autem appello* —. Conf. ad § 78. Iterum inculcatur hoc § 321.

184. *cum sensu tractatum*. Intelligit genus orationis ἠθικόν.

[*tantum autem efficitur — esse videantur*.] Quamobrem totus hic locus mihi insititius esse videatur, explicandum est. Primum, non negligendum hoc est, quum ad tertiam partem, in § 185, transeat, quae est *concitandorum hominum*, aptius esse ut praecedens disputatio concludatur generali quadam observatione et commendatione, quae modo absolvebatur his verbis, *ut saepe plus, quam causa, ra-*

mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam valet; et hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in perorando tantam habet vim, si est suaviter, et cum sensu tractatum, ut saepe plus, quam causa, valeat [: tantum autem efficitur sensu quodam ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio: genere enim quodam sententiarum, et genere verborum, adhibita etiam actione leni facilitatemque significante, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur].

44 Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis,
185 quae alio quodam genere mentes iudicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut laetentur, aut moereant,

---

leat: cuius generis indicio modo usi sumus in § 176. Deinde, tautologiae crimen haec effugere non possunt, siquidem nihil aliud dicitur, praeter ea, quae modo, § 182 sq., recte et apte explicabantur. Sunt praeterea complura, in quibus proprietatem et elegantiam sermonis desidero. Modo recte dictum erat *cum sensu tractatum*: sed neque *sensus dicendi* Latinum est, neque *ratio dicendi* satisfacit ei, quod requiritur, quum, ut § 185 init., postularetur *ratio orationis*. Quorsum etiam additum *quodam*? Quid porro est, quod dicitur, *ut quasi mores oratoris effingat oratio*? *Effingere quid* enim, id est, efficere ut eius species exstet, quam cernere liceat, est hominis et artificis, neque ullo modo *orationi* tribui potest, cuius tantum ope id attingi queat. Igitur, secundum ea, quae de hoc verbo notavi ad Legg. p. 552, aliquanto rectius discretum *mores effingi oratione*. Diversum hinc esse *mores fingi*. Dixi II § 80, vix opus est monere. Sed ipsa illa macrologia improbanda est, quum dicitur *dicendi ratione* (quae nulla alia est, nisi ipsa *oratio*) *effici, ut oratio effingat* —. Porro languida est eius observationis explicatio, quae subiicitur (*genere enim quodam* —), in quibus offendit etiam bis illud *genere* positum: tum, neque *actio lenis* appellari poterat (modo ante rectius *vocis lenitas* commendabatur), neque eadem *facilitatem significans*, quum modo ante recte dictum esset *facilitatis signa proferre*, idque multo rectius orationi, quam actioni, tribueretur. Inutilis item est illa cumulatio synonymorum, *probi, bene morati, boni*. Quanto aptius enuntiatur similis sententia § 191, fin. (*ipsa enim natura orationis* —). Nescio, an satis probaverim sententiam meam intelligentibus.

185. *ratio orationis, quae alio quodam genere* —. Conferenti § 128 probabo, ut confido, necessario in his transponere utendum esse, et legendum: — *ista dispar adiuncta ratio, quae alio quodam genere orationis* —:

aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos motus deducantur, si qui finitimi sunt [de propinquis ac talibus animi permotionibus]. Atque illud optandum 186
est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam: facilius est enim currentem (ut aiunt) incitare, quam commovere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, [cui mederi volet,] sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est, sic equidem, quum aggredior ancipitem causam et gravem [ad animos iudicum pertractandos], omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid

---

conf. §. 189 et 200.

[*de propinquis — permotionibus*]. Inficete addita recte damnari a Kaysero mihi videntur.

186. *ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices* —. Quum modo dixisset, *mentes iudicum permovendas* esse, non attinebat nunc *permotionis* vocabulo addere *animorum*. Tum, non intelligo, quo iure defendi possit, quum iudices dicuntur afferre permotionem *ad causam*: nihil aliud optandum erat, nisi simpliciter ut iudices sponte *afferrent permotionem*, qualem? nempe eam, quae *accommodata esset ad id, quod* —: ad *causam* nihil isti afferre poterant. Sed ipsam illam definitionem, *quod utilitas oratoris feret*, sana Latinitas certe non fert, quoniam id, quod orator spectat in causa agenda, nempe ut eam obtineat, non apte vocabulo *utilitatis* indicatur, nec, si recte ita diceretur, probandum ut ea utilitas dicatur *ferre* in iudicibus permotionem animorum. Solvere hoc nondum mihi licuit, et aliis acutioribus expediendum relinquo.

[*cui mederi volet*]. Recte Kayserus, librorum auctoritate, haec inclusit.

quum aggredior — pertractandos. Apparet, nisi fallor, vitiosam esse syntaxin in his, *aggredior in causa ad animos pertractandos*. Quod Ernestus in hac lectione defendit, ita, ut verba *ad animos pertractandos* ad seqq. referat, non ad *aggredior*, primum, eo non tollitur hoc incommodum, *aggredior in causa*, sine indicio obiecti: tum, etiam si Grammatice recte dicitur *ad animos iudicum pertractandos*, ipsum hoc difficile est tueri in hac sententia, propter sequentia, in quibus illud *pertractare* apte et luculenter explicatur in verbis *ut odorer — nihil adiuvante natura*: et sic illud *pertractandi* verbum explicandum I. § 222. Propterea necesse videtur ista, *ad an. iud. pertr.*, abiicere; tum recipere eam lectionem, quam Henrichsenius edidit, *quum aggredior ancipitem causam et gravem*, quibus statim subiiciatur *omni mente* —.

existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci
187 oratione facillime posse videantur: si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio, quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do: sin est integer quietusque iudex, plus est operis; sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuvante natura: sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poeta dicta est *flexanima atque omnium regina rerum*, oratio, ut non modo inclinantem excipere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

45 Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo fla-
188 gitabat, quum a me divinitus tractari solere diceret, et in causa M' Aquillii, C.que Norbani, nonnullisque aliis, quasi praeclare acta laudaret; quae mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo: tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet, tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integrae sententiae, tam verae, tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili, ut mihi non solum
189 tu incendere iudicem, sed ipse incendi videaris. Neque fieri potest ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus [,quos orator adhibere volet iudici,] in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor

---

187. *inclinantem excipere.* Sine dubio vera lectio: al. *erigere.* Supra, § 32, idem *excipiendi* verbum ponitur.

ut imperator —, capere possit. Non intelligo, quam propria sit h. l. *imperatoris* similitudo. Quod pro *capere* commendabam *rapere*, nunc desero; nec tamen ipsum *capere* mihi satisfacit. *Fortis et bonus imperator* appellatur iterum, § 268.

188. *sed ipse incendi videaris.* Aptius hoc esse puto prae Lambiniano *incensus esse vid.*

189. *neque fieri potest — inusti videbuntur.* Facile est animadvertere, quae hic dicuntur eiusdem esse sententiae atque illa, quae paullo post legimus, § 190: sed hoc concedendum

suscipiendus esset, et, si in eiusmodi genere orationis nihil esset nisi falsum atque imitatione simulatum, maior ars aliqua forsitan esset requirenda: nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio; de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar. Non mehercule umquam apud iudices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium dicendo excitare volui, quin ipse, in commovendis iudicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Neque enim 190
facile est perficere ut irascatur ei, cui tu velis, iudex, si tu ipse [id] lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi tu [ei] signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit; sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesserit.

Ac, ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, 46
hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi 191
motu concitari, praesertim in rebus alienis; magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis: ipsa enim natura orationis eius, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, ora-

---

est ubertati cuidam minus cautae. In his autem verba, *quos orator adhibere volet iudici*, insititia esse suspicor. Nimis brevi intervallo *oratoris* vocabulum sic iteratur: *iudex* iam indicabatur verbis, *is, qui audit*: postremo, *adhibere motus alicui*, pro *excitare apud iudices*, aut *adducere iudices ad sensus* (ut in fine huius § dicitur), Latinum non est. Proprie magis *adhibere* ponitur infra, § 205, *adhibere dicendi faces*: et § 294.

190. *si tu ipse* [*id*] *lente ferre videare*. Maneo in sententia, *id* abiiciendum esse, quod quo referatur non apparet: itaque *lente ferre* absolute dicitur, cuius oppositum est *irasci*. Ita *lentus* dicitur § 279 et 305. Sic mox *flagrans odio* dicitur item sine obiecto:

torem ipsum magis etiam, quam quemquam eorum,
192 qui audiunt, permovet. Et, ne hoc in causis, in iudiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, [in civitate,] in foro accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius: quamquam, quum professus sis, te id posse [facere], quod pauci, ne id quidem negligendum est); sed alia sunt maiora multo, fides, officium, diligentia, quibus rebus adducti, etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare
193 non possumus: sed, [ut dixi,] ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, [quam versus,] quam scena, quam fabula? tamen in hoc genere saepe [ipse] vidi, ut ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondalia illa dicentis,

Segregare abs te ausu's, aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum aspectum es veritus?

Numquam illum *aspectum* dicebat, quin mihi Telamo iratus furere luctu filii videretur. At idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

---

eademque de causa, mox, in verbis *nisi tu ei*, hoc *ei* expungendum est.

quae possit incendi nisi —. Perperam in Editt. distinguebatur, *quae possit incendi, nisi* —.

192. [*in civitate*]. Nihil huc pertinet peculiaris mentio *civitatis*, in primisque improprie interponitur hoc inter *concursum* et *forum*. Delendum censeo.

te id posse [*facere*]. De tollendo *facere* notavi ad I. § 126 et 264: et fortasse I. § 31 quoque Infinitivus ille tollendus fuerat.

193. *quam fabula*. Sic e duobus libris edidi, pro vulg. *fabulae*.

sed, [*ut dixi*]. Nusquam illud *ut dixi* ita usurpari vidi apud Ciceronem, in instauranda sententia abrupta, et, si liceret, postulabatur h. l. *ut dicebam*: necdum quidquam *dixerat*, sed dicere instituerat. Satis de more instaurationem indicat Coni. *sed*.

saepe [*ipse*] *vidi*. Constat in libris confundi solere *saepe* et *ipse*. H. l. dittographia relicta est, delendumque *ipse*.

[*quam versus*]. Multorum librorum auctoritate haec melius omittuntur, quoniam in versu ipso nihil fingitur.

spondalia illa. Ex ingeniosa Pideritii coniectura suscipiendum censeo, *ut sua sponte aliena dicentis*.

illum aspectum. Recte defendit Ernestus *illum*, pro *illud*. Nempe, quod in Graeco sermone articulus praestat, ubi non res, sed vocabulum designandum est, id in Latino sermone

— quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, exstinxti: neque fratris necis,
Neque eius gnati parvi, qui tibi in tutelam est traditus,

fiens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen [recte] agere sine dolore non poterat, quid Pacuvium putatis? in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Saepe enim audivi, poetam bonum neminem [id quod 194
a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt] sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu [quasi] furoris.

Quare nolite existimare me ipsum, qui non heroum 47
veteres casus fictosque luctus velim imitari atque adumbrare dicendo, neque actor sim alienae personae, sed auctor meae, quum mihi M' Aquillius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consu- 195
lem fuisse, imperatorem ornatum a senatu ovantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc quum af-

---

Pronomen efficit, genere accommodatum Substantivo. — Mox, *at idem* recte servatur pro al. *ut idem*, quoniam miseratio opponitur irae.

[*recte*] *agere*. Bene viderunt viri docti, *recte* non esse huius loci: agitur enim de eo, quod necessario, cogente natura orationis, fieri solet.

quid Pacuvium putatis? in scribendo — fuisse? Distinctionem mutavi, quum ista in una interrogatione edi soleant.

194. [*id quod a Democrito — dicunt*]. Sunt haec satis imperite insita ab aliquo, qui meminerat loci Divin. I. § 80. Primum, his interpositis intempestive interrumpitur facilis et simplex sententiae decursus: tum, non convenit Antonio inanis illa eruditionis ostentatio; quumque fama nosset id, quod pronuntiat (*audivi*), ridicule iterum illud de Democriti et Platonis scriptis famae tribuit (*dicunt*), quum certo constare posset: conf. Divin. I. § 80. Ne hoc quidem probari potest, quum dicitur *aliquid in scriptis relictum esse*: dicitur *scriptum relinquere*, et simplex *relinquere*, de libris, ut I. § 23: et *ut scriptum legimus, ut scriptum est*, non de opinione, sed de facto dici solet, ut Offic. II. § 25: atque ita *scriptum relinquere* infra, § 224, fin.

sine inflammatione animorum. Corrigendum, *animi*. — Mox, *quasi* tollendum est: iam inerat hoc in Pronom. *quodam*.

195. *ut discinderem tunicam*. Hoc *discindendi* verbum supra dixi resti-

flictum, debilitatum, moerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem, tum magnopere moveri iudices, quum excitavi moestum ac sordidatum senem, et quum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore,
196 ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem: quum C. Marius moerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrimis suis adiuvaret, quumque ego, illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem, non fuit haec sine meis lacrimis, non sine dolore miseratio omniumque deorum, et hominum, et civium, et sociorum imploratio: quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor afuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea.

Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci,
197 ut dolere, ut flere possitis. Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali [et quaestore] meo tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi, et dolore, et ardore animi

---

tuendum esse in § 124, neque alio utebatur Graecus sermo, ut intelligimus ex iis, quae Athenaeus XIII. p. 590. E. refert de Phrynes iudicio, in quo Hyperides patronus περιερρήξας τοὺς χιτωνίσκους τοὺς ἐπιλογικοὺς οὕκτους ἐπερρητόρευσεν.

196. *quum C. Marius.* In hac continuatione narrationis postulari credo copulam, legendumque, *quumque* —.

sine dolore. Quod vulg. additur, *magno*, aliorum librorum auctoritate omisi.

ut in dicendo - possitis. Kayserus suspicatur, ante haec excidisse *exitendum esse.* Non opus, opinor, et praeter sententiam. Ipsum enim illud *posse* docere vult eos Antonius: et minime inauditum est ut huiusmodi Infinitivus obiecti mutetur in *ut* cum Coniunctivo. Conf. Zumpt. Gramm. § 623.

197. [*et quaestore*]. Recte, librorum auctoritate, hanc inutilem explicationem tollendam censuerunt viri docti.

sed multo etiam magis. Revocavi hanc sollemnem collocationem. Al. *sed etiam multo magis.*

concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora; vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas; [deinde] principem [et] senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat; vi pulsum e templo L. Cottam et T. Didium, quum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. Ac- 48
cedebat, ut haec tu adolescens pro re publica queri 198
summa cum dignitate existimarere, ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem, et in hominis consularis calamitate crudelem, [posse] defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? quid fecerim, narrabo; si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. Omnium seditionum genera, vitia, pericula 199
collegi, eamque orationem ex omni rei publicae nostrae temporum varietate repetivi; conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes semper molestae seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias: tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi:

[*deinde*] *principem* [*et*] *senatus*. Sequor Kayserum, ista tollenda censentem.

198. *vix satis honeste viderer* — [*posse*] *defendere*. Quaeri poterat in talibus de officio defensionis, non an quis *posset* defendere: conf. Muren. § 3, sqq. Sull. § 2, sqq. Itaque illud *posse* delendum.

199. [*in nefario crimine atque*]. Exemplo novissimorum Editorum, haec uncinis inclusi. Inscita praeterea ea interpretatio est, quoniam neque *in crimine ponere*, pro *crimini dare*, neque *nefarium crimen* Latinum est, quum *nefarium* non nisi de ipso facinore dici soleat. Asyndeton praeterea h. l. non ferendum erat.

apud quos tum [*iudices*]. Sequor Kayserum, recte *iudices* abiicientem. — Mox, pro vulg. *quo*, de meo addidi Praep. *a*, quae postulari mihi videbatur.

renovabam. Merito abiectum est, quod vulg. addebatur, *atque revocabam*, quae nihil est, nisi lectionis varietas, in iisdem verbis deprehensa quoque III. § 1.

neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse: ac, si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id C. Norbano [in nefario crimine atque] in fraude capitali esse ponendum: quod si umquam populo Romano concessum esset, ut iure concitatus videretur (id quod docebam saepe esse concessum), nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus: sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam, et animos equitum Romanorum, apud quos tum [iudices] causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam.
49 Quod ubi sensi me in possessione iudicii ac defen-
200 sionis meae constitisse, quod et populi benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis, vel luctu ac desiderio propinquorum, vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram, tum admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi; me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque

---

200. *in possessione iudicii — constitisse.* Ellendtio, qui defendit pravam lectionem, *in possessionem*, oppono Madvigium, Emendatt. Liv. p. 8, sqq.

cuius ius etiam cum seditionis coniunctione. Haec aperte vitiosa sic corrigi vult Kayserus, *cum seditionis concitatione*, quod, ut mihi videtur, aliquanto excedit Antonii consilium. Ego malim sic corrigere, *cum seditione coniunctum.*

me pro meo sodali. Propter ea, quae adduntur, hoc quidem loco postulari mihi videtur, *pro meo quaestore*· conf. ea, quae viri docti ad hunc locum excitant, et mox, § 203, fin.: tum aliquanto post recte ponitur *sodali meo.*

201. *ut, quid esset minuere —.* Prae-

decernere; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem: petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, 201
ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent, praesertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil umquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Apuleia dicerem, ut, quid esset minuere maiestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi, atque [attigi] his duabus partibus orationis, quarum altera commendationem habet, altera concitationem, quae minime praeceptis artium sunt perpolitae, omnis est a me illa causa tractata, ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda, et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita, magis affectis animis iudicum, quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.

Hic Sulpicius, Vere hercle, inquit, Antoni, ista 50
commemoras: nam ego nihil umquam vidi, quod tam 202
e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Quum enim, quemadmodum dixisti, tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem, quod tuum principium, dii immortales, fuit! qui timor! quae dubitatio [quanta haesitatio] tractusque verborum!

---

stabit, *et quid e. m.*

atque [*attigi*]. Assentior Ellendtio, damnanti adiectum *atque attigi*, qua interpretatione non indigebat illud *breviter perstrinxi*. Sed, omisso *attigi*, continuandum erat, *atque his duabus* —. Sic demum tota illa orationis expositio rite concluditur.

202. *quae dubitatio* [*quanta haesitatio*]. Haec duo postrema verba recte damnarunt viri docti, in multis adeo libris omissa: ipsum illud *quanta*, cum *haesitatione* iunctum, in vitio erat.

munisti ad [*te*] *audiendum viam*. Inutile est *te*, praecedente *tibi*: tum, illa formula *ad audiendum*, in qua Gerundium passive ponitur, *ut audireris*, non patitur istud interpositum.

ut illud initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti, te pro homine pernecessario, quaestore tuo, dicere! quam tibi primum munisti ad
203 [te] audiendum viam. Ecce autem, quum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte coepisti, nihildum aliis suspicantibus, me vero iam pertimescente, ut illam non Norbani seditionem, sed populi Romani iracundiam, neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde, qui locus a te praetermissus est in Caepionem! Ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti! Neque haec solum in defensione, sed etiam in Scauro ceterisque meis testibus, quorum testimonia, non refellendo, sed ad
204 eumdem impetum populi confugiendo, refutasti. Quae quum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecepta desiderabam; istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum [abs te ipso commemoratam,] doctrinam esse non mediocrem puto.

Atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quae nos sequi in dicendo, quaeque maxime spectare solemus. Docuit enim iam nos longa vita ususque [rerum maximarum], ut, quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus. Et primum qui-

---

203. *locus — in Caepionem!* Quaero rationem huius Accusativi. Malim, *in Caepione*, ut mox recte, *in Scauro —*.

204. *demonstrationem defensionum tuarum.* Haec, ut ab Ellendtio dissentiam, servanda sunt: *demonstratio* illa subiecti, *doctrina* praedicati loco est. Sed tollenda sunt, quae illis inepte subiiciuntur, *abs te ipso commemoratam*: non commemoraverat Antonius demonstrationem suam, sed demonstraverat.

ususque [rerum maximarum]. Et crebro, in huiusmodi sententia, *usus* absolute ponitur, et, si *rerum* addendum fuisset, non tamen addidisset *maximarum*.

206. *si id velle videare, — [defendere]*. Turbatum est in libris, nonnullis v. c. *iure*, pro *velle*, exhibentibus: sed utrumque omiserunt novissimi Editores, fortasse quod duplex Infinitivus (*velle defendere*) displiceret. Sed, qui causam agit, *defendit*, non *videtur defendere*: h. l. autem agitur de animo eius, qui agat, et *velle quid* est alicui rei

dem considerare soleo, postuletne causa: nam neque 51
parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces, 205
neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum
mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut
irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragoedias
agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quae
non possunt commoveri. Nam quoniam haec fere ma- 206
xime sunt in iudicum animis, aut quicumque illi erunt,
apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium,
iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor,
molestia; sentimus amorem conciliari, si id velle vi-
deare, quod sit utile ipsis, apud quos agas [defen-
dere], aut si pro bonis viris, aut certe pro iis, qui
illis boni atque utiles sint, laborare: namque haec res
amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem;
plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam
praeteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut 207
ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem
inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amo-
rem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac
nihil omnino fecisse causa sua: invidetur enim com-
modis hominum ipsorum, studiis autem eorum ceteris
commodandi favetur. Videndumque hoc loco est, ne, 208
quos ob bene facta diligi volemus, eorum laudem atque
gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre vi-

---

favere. Propterea tollendum *defendere.*

aut si. Vulg. *si aut.* Meam transpositionem probarunt Editores: neque enim nunc cogitabatur de partitione antecedentium.

namque haec res amorem magis conciliat. Desero, quod ante in his corrigendum commendaveram: *haec res est, velle id, quod utile sit ipsis: illa virtutis defensio* est; *pro bonis viris laborare.* Sententiae forma autem restituenda est hac levi mutatione: *nam quod haec res — beneficii commemoratio, enitendum est* —. Tum, *proficit* mutandum in *proficitur*, quod Passivum recurrit § 219.

207. *enitendum.* Corrigendum *nitendum.*

208. *id factum augeas.* Emendandum, *arguas.*

sin quod — in quos minime quisque debuerit. Neque apparet quid huc pertineat *quisque*, et in syntaxi desideratur Infinitivus Passivi, fort. *fieri*, accommodatum ad id, quod initio intelligendum, *sin quod factum arguas.*

deamur. Atque iisdem his ex locis et in alios odium struere discemus, et a nobis ac nostris demovere: eademque haec genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda, vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur; sin, quod aut in bonos viros, aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rem publicam, tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut invidiae, aut odii non dissimilis offensio.
209 Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus: interior est ille proprius; sed hic quoque communis ad eamdem similitudinem est perducendus.

Par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae: sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae, nec minus virium opus sit in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse: sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant, et aequabilitatem communis iuris praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. Quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est non esse virtute parta; deinde etiam vitiis atque peccatis: tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanta illa merita, quanta

---

209. *quanta insolentia.* Syntaxis postulare videtur continuatos Accusativos, *quantam insolentiam.*

210. *quae si quam gloriam.* Suscepi e Baiteri coniectura. Vulg. legebatur *seseque, si quam gl.*, e quibus quum *seseque* abiiciendum dixissem, omissum quoque in Voss., paruerunt novissimi Editores: nec audiendus est Pideritius, qui *seseque* defendit, quod orator se ipse complectatur. Sed agitur h. l. de eo, qui defenditur, et hoc subiectum intelligendum in *delectari* reliquisque Infinitivis. — Mox revocavi *etsi ea non sit*, pro *tamenetsi.*

invidetur autem — fortunae. Perperam Ernestus haec spuria iudicabat. Demtis illis, *haec opinio* non habebit quo referatur, quae opinio nulla alia est, nisi illam *fortunam praesta tem et florentem esse.*

211. *aut intuens alium.* Madvigius iam sensit, illud *aut* ferri non posse, quod haec nihil differunt ab iis, quae modo dicebantur. Sed non accipio eius correctionem, *ut*: sic enim haec consequi ex illis viderentur, sunt autem plane eadem. Ideo corrigendum potius, *et intuens —.*

ut autem illa altera pars. Suscepi

insolentia hominis, quantumque fastidium. Ad sedan- 210
dum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata; quae si quam gloriam peperisse videantur, etsi ea non sit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abiicere atque deponere: omninoque perficiendum est (quoniam plerique sunt invidi, maximeque hoc est commune vitium et pervagatum, invidetur autem praestanti florentique fortunae) ut haec opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur. Iam 211
misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat, aut intuens alium crebro ad se ipsum revertatur: ita quum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est. Ut autem illa altera pars orationis, quae probitatis commendatione boni viri debet speciem tueri, lenis [ut saepe iam dixi] atque summissa, sic haec, quae suscipitur ab oratore ad commovendos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet.

Sed est quaedam in his duobus generibus, quorum 53
212

---

hanc Kayseri correctionem, pro vulg. *et ut illa* —.

[*ut saepe iam dixi.*] Non nisi semel hoc fere dixerat, § 182, nec tanti erat, ut id nunc in memoriam revocari operae pretium esset. Ineptum emblema abiiciendum censeo. Contra recte simile ponitur § 232.

ad commovendos animos. Haec lectio praestat alteri, in qua est *commutandos*, in primis improprium, quippe *commutentur* ea, in quorum locum alia substituuntur. Quod his praemittitur, *ab oratore*, rectius omittetur.

212. *animi aliquid inflammandum est.* Neque hoc *inflammandum*, neque quod alii excogitarunt, *inflandum*, probari potest, neque aliis coniecturis superavisse mihi videntur viri docti huius loci offensionem. Fortasse verum est *afflandum est.*

remissio autem lenitatis — firmatur. Probo Lambinianum, *remissionis autem lenitas.* Sic respondebunt haec alteri, *asperitas contentionis.* Sed eo ipso damnandum est in proximis *et contentione*, ut hoc tantum servetur, *quadam gravitate firmatur*; siquidem *contentio* et *remissio* inter se opponuntur.

alterum lene, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam et ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid; et ex hac vi nonnumquam animi aliquid inflammandum est illi lenitati: neque est ulla temperatior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur, remissio autem lenitatis quadam
213 gravitate et contentione firmatur. In utroque autem genere dicendi, et illo, in quo vis atque contentio quaeritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda [sunt], et exitus item spissi et producti esse debent. Nam neque assiliendum statim est ad illud genus orationis (abest enim totum a causa, et homines prius ipsum illud, quod proprium sui iudicii est, audire desiderant), nec, quum in eam rationem
214 ingressus sis, celeriter discedendum est. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est arripitur, alterumque et tertium poscitur, ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commovere: argumentum enim ratio ipsa confirmat, quae, simul atque emissa est, adhaerescit: illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa et

213. *principia tarda [sunt], et exitus item.* Omnium consensu illud *sunt* insititium habetur: tum, *item* est a Lambino, in libris est *tamen*, Madvigius malebat *etiam*.

214. *argumentum enim ratio ipsa confirmat, quae, simul atque emissa est, adhaerescit.* Manifesto *quae* in vitio est. Wyttenbachius corrigebat *cui*, alii *atque*: quae propterea mihi non satisfaciunt, quoniam in illa constructione, contra sententiam, subiectum horum verborum (*emissum est*, et *adhaerescit*) necessario erit *ratio*. Hinc corrigebam *quod*; melius etiam erit *idque*, quo statim indicetur subiectum esse *argumentum*. *Emitti argumentum*, velut telum, similitudo est, quae recurrit § 219.

perturbationem requirit. Proprium demum erit *quaerit*.

215. *et argumento resistendum est.* Sic de meo edidi, pro *sed argum.* Quod enim modo in genere dictum erat (*omnium rerum — locis*), nunc bipartito explicat, primum, ut dicat, quo modo resistendum sit argumento, tum, quo modo iis, quae conciliа-

varia, et copiosa oratione, et simili contentione actionis, nemo potest. Quare, qui aut breviter, aut summisse 215
dicunt, docere iudicem possunt, commovere non possunt; in quo sunt omnia.

Iam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. Et argumento resistendum est, aut iis, quae comprobandi eius causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis, nec esse consequens, aut, si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut aeque grave. Illa autem, quae aut conciliatio- 216
nis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus inferenda sunt, ut odio benevolentia, misericordia invidia tollatur.

Suavis autem est, et vehementer saepe utilis iocus 54
et facetiae: quae, etiam si alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe, neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe aliis, mea sententia, Caesar, excellis: quo magis mihi etiam aut testis esse potes, nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docere. Ego vero, inquit, 217
omni de re facetius puto posse ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari. Itaque,

---

tionis aut permotionis causa aguntur.

216. *contrariis commotionibus inferenda sunt.* Pideritius, ni fallor, corrigit, *auferenda.* Mihi videtur probari non posse ut *illa*, de quibus nunc sermo est, dicantur *auferri* (aut quodcumque aliud simile verbum substitueris) *commotionibus*: sed, ut modo in *argumento* utebatur Participiis (*reprehendendis*, et *demonstrando*), sic nunc scriptum fuisse dixerim *commotionibus inferendis*; fierique potest ut librarii lapsu alterum Participium exciderit, quod v. c. fuerit *oppugnanda sunt.*

etiamsi — tradi arte possunt. Requiro *possint*, quoniam ipse Antonius hoc concessurus non erat. Conf. § 232.

eam nos tu potissimum docere. In aliis est *docebis.* Sed praestat *potissimum*, quod hinc alienum est, mutare in *potes.*

217. *facetius puto.* Exemplo Kayseri hoc revocavi, pro vulg. *facilius.* Nisi *facetius* dixisset, subiicere non potuisset *de ipsis facetiis.* Eodem modo, mox, *insulsi extiterunt*, sequ. *ipsa insulsitas.*

itaque, quum quosdam —. Quo modo

quum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere. Inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum: nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et, praeter ceteros, Attici excellunt: sed, qui eius rei rationem quamdam consti sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut ni-
218 hil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. Qua re mihi quidem nullo modo videtur doctrina ista res posse tradi. Etenim, quum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, illa a veteribus superior cavillatio, haec altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res: quippe; leve enim est totum hoc,
219 risum movere. Verumtamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi: sed quum in illo genere perpetuae festivitatis ars non desideretur (natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos, adiuvante et vultu, et voce, et ipso genere sermonis), tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante illud [facete dictum] emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur?
220 Quid enim hic meus frater ab arte adiuvari potuit, quum a Philippo interrogatus, quid latraret, *furem se videre* respondit? Quid in omni oratione Crassus, vel apud

---

defendendum sit *itaque*, acute exponit Madvigius ad Fin. p. 40.

219. *narratores*. Non recte damnatur hoc a Kaysero: conf. § 244 et 264. — Neque mox *emissum* omitti potest, quod, ut *haerere*, ad teli similitudinem dicitur. Sed vitium est in his, *illud facete dictum*. Corrigo, *quum ante telum emissum haer. deb.*, ut *facete dictum* non nisi interpretandi causa interpositum fuerit. Tum proprium magis erit *excogitari*, quam *cogitari*.

221. [*contra Scaevolam*] *Curiana defensio*. Omittenda erant ea, quae inclusi, modo suo loco recte posita. Ne hoc quidem probari posse puto, quum dicitur *defensio contra Scaevolam*; quamquam *oratio contra Sc.* dicere licebat, ut et modo, et § 227.

222. *non insulse interpretantur, dicere* [*enim aiunt*] *Ennium, flammam* —. Quum vulgo plene interpungeretur post *interpretantur*, continuandam verborum constructionem conieceram, duobus vocab. (*enim aiunt*) eiectis. Meam

centumviros contra Scaevolam, vel contra accusatorem Brutum, quum pro Cn. Plancio diceret? Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est omnium sententia concedendum. Non enim fere quisquam reperietur, praeter hunc, in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. Nam haec perpetua [contra 221
Scaevolam] Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et ioco, dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati, in quo ipse servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum, et ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur dicere [enim aiunt] Ennium, *flammam* 222
a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat: haec scilicet bona dicta, quae salsa sint; nam ea *dicta* appellantur proprio iam nomine.

Sed ut in Scaevola continuit ea Crassus, atque [in] 55
illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit, sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de bal- 223
neis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio [dixit]! atque illa brevia, quum ille dice-

---

rationem secutus est Pideritius, quum dixissem, in vulgata distinctione non apparere, quid isti homines *interpretarentur*. Sensus est: interpretantur, Ennium dicere hoc ipsum, nempe, quod modo Caesar dixerat, i. e. verba illa Enniana hanc continere sententiam: conceditque Pideritius *enim aiunt* corrupta esse ex *Ennium*, quod ipsum in Voss. et Leid. excidit. Frustra vulgatam tuetur Ellendtius, sic explicans: „homines difficultatem dicti tenendi non „insulse interpretantur," quasi quaereretur istius difficultatis interpretatio.

causam illam — lusit. Nondum intelligo, quid sit *ludere causam*. Probo Lambinianum *elusit*. Sed modo, ubi legitur [*in*] *illo altero genere*, Praepositio omittenda erat: ita mox, *utroque genere*.

223. *multa — [dixit]*. Hoc verbum melius aberit. Mox, aptius erit *ut quum —*.

Crassi orationem. — Quae duae h. l. commemorantur, sunt de paucis, quas intelligit Orat. § 132.

ret, *se sine causa sudare; minime mirum*, inquit, *modo enim existi de balneis;* innumerabilia fuerunt: sed non minus iucunda illa perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset, et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de re publica capita contulisset, hic noster facetissime tres patris Bruti de
224 iure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo, FORTE EVENIT UT IN PRIVERNATI ESSEMUS; *Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse*: deinde, ex libro secundo, IN ALBANO ERAMUS EGO ET MARCUS FILIUS; *sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne, quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur:* tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit (tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri), IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO ET MARCUS FILIUS; *ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te*, inquit, *iam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis locutum cum filio*
225 *scriptum reliquisset.* Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum, quam illis tragoediis, quas egit idem, quum casu in eadem causa funere efferretur anus Iunia? Pro dii immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! quum, coniectis oculis, gestu omni et imminenti, summa gravitate et celeritate verborum, *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines*

---

224. *in balneis locutum.* Bene tuentur viri docti *locutum*, prae altero, *lotum*, quod ipsum Pideritio quoque placere video. Credibile non est Brutum patrem scripturum fuisse, »quum lavaremur ego et filius."

225. [*quid maioribus tuis?*]. In uno libro omittitur *quid:* et *maioribus tuis* non nisi interpretatio est antecedentium, quam abiiciendam censeo.

226. *castra videris.* Requiro *vidisti*, quemadmodum in reliquis quoque In-

duci vides? [quid maioribus tuis?] quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te agere? cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? at id non est nobilitatis; sed fac esse; nihil 226
superest; libidines totum dissipaverunt: an iuri civili? est paternum: sed dicet te, quum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum reliquisse: an rei militari? qui numquam castra videris? an eloquentiae? quae neque est in te, et, quidquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti. Tu lucem aspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti.

Sed haec tragica atque divina: faceta autem et ur- 56
bana innumerabilia ex una contione meministis. Nec 227
enim maior contentio umquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam huius contra collegam in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior. Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, et multum facetias in dicendo prodesse saepe, et eas arte nullo modo posse tradi. Illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, et non huius rei quoque palmam, ut ceterarum, Crasso detulisse. Tum Antonius, 228
Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paullum inviderem. Nam esse quamvis facetum atque salsum non nimis est per se ipsum invidendum; sed, quum omnium sit venustissimus et urbanissimus, omnium gravissimum et severissimum et esse, et videri,

---

dicativus servatur.

227. *ex una contione.* Iure spretum est alterum, *contentione:* conf. § 230 et 267.

illud quidem admiror. Praestabit *miror.*

228. *nam esse quamvis facetum —.* Quod Antonio non ferendum videbatur, hoc erat, ut idem et facetissimus, et gravissimus haberetur. Ideo dixisse eum puto, *nam esse quemvis facetum — invidendum; sed, qui omnium —.* Per-

quod isti contingit uni, id mihi vix ferendum videbatur.
229 Hic, quum arrisisset ipse Crassus, Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum ullam negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari soleret. Sed hoc praeceptum praetermittendarum est facetiarum, quum his nihil opus sit: nos autem, quo modo utamur, quum opus sit, quaerimus.*** ut in adversarium, et maxime, si eius stultitia poterit agitari, in testem stultum, cupidum,
230 levem, si facile homines audituri videbuntur. Omnino probabiliora sunt quae lacessiti dicimus, quam quae priores. Nam et ingenii celeritas maior est, quae apparet in respondendo, et humanitatis est responsio: videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti, ut in ista ipsa contione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo obiectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur.

---

spicuum est enim Antonium in genere loqui, et Crassum non nisi his verbis designari, *quod isti contingit uni*; in quibus revocavi *contingit*, pro aliorum *contigit*, quoniam illud constanti opinioni convenit.

229. *quum artem esse facetiarum ullam negares.* In nonnullis libris aut *Iuli ullam*, aut *Iuli*, omisso *ullam*. Quum dixissem, nusquam isto nomine in hoc sermone appellari Caesarem, attulit Ellendtius § 235: addere poterat § 231 et 296, tum, III. § 17. Quandoquidem tamen constat neminem alium de colloquentibus in hoc sermone nisi sollemni cognomine appellari solere, tum creberrime Caesarem ipsum ita designari, quaerere licet, cur ab ea consuetudine uno alteroque loco discessum sit. Si ratio nulla reddi poterit, cur v. c. infra, § 367, in antemeridiano sermone, scriptum fuerit *tum Caesar*, in pomeridiano autem, III. § 17, *inquit Iulius*, de corrigendis locis cogitare licebit. Igitur mox, § 231, vel interpolatum est *Iulius*, vel mutandum in *ille* (ut § 233), itemque § 235 et 296.

quod praecipiendum videretur. Respicitur id, quod, § 221, a Caesare dictum erat, quod nunc ita interpretatur Antonius, quasi ipse Caesar eiusmodi praecepta promisisset. Igitur revocavi *videretur*, pro vulg. *videtur*: itemque

Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur Caesarem, qui, quamquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare nobis totum genus, quale sit, et unde ducatur; praesertim quum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fateatur? Quid si, inquit Iulius, assentior Antonio dicenti nullam esse artem salis? Hic, quum Sulpicius reticuisset, Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius iam diu loquitur, ars ulla sit: observatio quaedam est, ut ipse dixit, earum rerum, quae in dicendo valent; quae si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens? Quis enim haec non vel facile, vel certe aliquo modo posset ediscere? Sed ego in his praeceptis hanc vim et hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quod dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intelligamus, quum, quo referenda sint, didicerimus. Quare, Caesar, ego quoque hoc a te peto, ut, si tibi videtur, disputes, de hoc toto iocandi genere quid sentias, ne qua forte dicendi pars (quoniam ita voluistis) in hoc tali coetu, atque in tam

57 231 232 233

---

soleret correxi, quum vulg. ederetur *solet*.

quod — a Crasso observari soleret. Praeferrem *servari*: conf. ad I. § 97 et 109.

ut in adversarium — frangendum videretur. Ut haec nunc edi solent, omnia continuantur cum iis, quae Antonius dicebat modo, a cuius persona quum haec aliena esse dixissem, quippe ipsa pertinerent ad illud praecipiendi genus, quod a Caesare exspectare se dixerat Antonius, itaque in primis convenire ipsi Caesari, non probavi hoc Ellendtio. Tamen maneo in ea sententia: sed manifestum est hoc Caesaris responsum initio truncatum esse, et excidisse nonnulla, in quibus primum diceretur Caesarem respondere, tum explicaretur, in quibus vel hominibus vel rebus facetiae aptissime valerent. Omnia haec Caesaris esse inde quoque confirmatur, quod nunc eiusdem contionis mentio fit (*in ista ipsa contione*), cuius modo, § 227, meminerat.

231. *inquit Iulius.* Modo dixi corrigendum esse videri, *inquit ille.* Ita, § 234, *tum ille.*

232. *ut ipse dixit.* Conf. supra, § 32.

233. [*gestum*] *spectante Roscio.* Putide interpositum illud *gestum*, quum praecedat *agendi*, sequatur *sese commovendi* verbum, abiiciendum censeo.

accurato sermone, praeterita esse videatur. Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis, non committam ut, si defugerim, causam aliquam recusandi tibi dem. Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena, [gestum] spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis, et docebo sus (ut aiunt) oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset,
234 foenum alios aiebat esse oportere. Tum ille, Iocabatur, inquit, Catulus, praesertim quum ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse videatur. Verum te, Caesar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus. Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit: sed tamen defessus iam labore atque itinere disputationis requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio.

58 Atqui, inquit Iulius, non nimis liberale hospitium meum dices: nam te in viam, simul ac perpaullum
235 gustaris, extrudam et eiiciam. Ac, ne diutius vos demorer, de omni isto genere quid sentiam, perbreviter exponam. De risu quinque sunt, quae quaerantur: unum, quid sit: alterum, unde sit: tertium, sitne oratoris velle risum movere: quartum, quatenus: quintum, quae sint genera ridiculi. Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quo modo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quo modo simul latera, os, venas, oculos, vultum occupet, viderit Democritus: neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et, si per-

---

sic ego nunc — primum loquar de facetiis. Nihil in his nunc censeo mutandum, praeterquam ut *primus* legatur, pro *primum*: atque ita satisfactum erit interpretationi Pideritii. — *Crasso audiente*, recurrit § 361. — Sed, statim, *oratorem* melius omittetur, quoniam turbat istius proverbii continuationem.

234. *defessus — itinere disputationis.* H. l. *iter* appellat accommodate ad similitudinem, quae servatur

tineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne illi quidem scirent, qui pollicerentur. Locus autem et regio 236
quasi ridiculi (nam id proxime quaeritur) turpitudine et deformitate quadam continetur: haec enim ridentur vel sola, vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. Est autem, ut ad illud tertium veniam, est plane oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est, vel quod admirantur omnes acumen uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnumquam etiam lacessentis, vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat, vel quod ipsum oratorem politum esse hominem significat, quod eruditum, quod urbanum; maxime quod tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat, odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit. Quatenus autem 237
sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est; id quod in quarto loco quaerendi posueramus. Nam nec insignis improbitas et scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur: facinorosos maiore quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactant: parcendum autem maxime est caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur.

Haec igitur adhibenda est primum in iocando mo- 59
deratio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio 238
magno, nec misericordia [maxima] digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis vitiis, quae sunt in vita hominum neque carorum, neque

---

in *deversorio*. Conf. ad I. § 256.

235. *quinque sunt, quae quaerantur*. Reponendum *quaeruntur*.

236. *quas argumentis dilui non facile est*. In hac verborum compositione requiro *dituere*, sicut Activum sequitur *dissolvit*.

238. *nec misericordia [maxima] digna sunt*. Quum praecedat *neque odio magno*, non opus erat Adiectivum iterare, neque ulla ratio Superlativum commendabat.

calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur.
239 Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum. Sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si perridicule possis, vitandum est oratori utrumque, ne aut scurrilis iocus sit, aut mimicus: quae cuiusmodi sint, facilius iam intelligemus, quum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.

Duo sunt enim genera facetiarum, quorum alterum re
240 tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid tamquam aliqua fabella narratur: ut olim tu, Crasse, in Memmium, *comedisse eum lacertum Largi*, quum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus: salsa, ac tamen a te ipso ficta narratio. Addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas LLL, MM: quum quaereres, id quid esset, senem tibi quemdam oppidanum dixisse, *lacerat lacertum Largi*
241 *mordax Memmius*. Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas, vere quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis aspergendum, sive fingas. Est autem haec huius generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores eius, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique vide-
242 antur. In re est item ridiculum, quod ex quadam

---

240. *oppidanum*. Servandum hoc, utpote non ab interpolatore profectum.

242. *senium est, quum audio*. Sunt haec necessario ipsius Caesaris verba, non poetae. Sed corrigendum suspicor, *senium est, quod audio*, i. e. Roscium haec agentem audiens, videor mihi senium, quo confectus esset, audire.

ut is, qui audiet. Sic novissimi Editores exhibent. Sed non admitto Ellendtii interpretationem, quasi esset pro ὁ ἀκουσόμενος. Universe si intelligendum est, ex constanti usu revocandum *ut is, qui audit*, sicut § 211.

praestet — ruborem suum. Imo, *pudorem suum*. Sane *rubor pudorem consequitur*, ut est Tusc. IV. § 19: sed tamen nemo *ruborem praestare* poterit.

rerum turpitudine et verborum obscoenitate. Suscepi transpositionem a

depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus, *per tuam nobilitatem, per vestram familiam.* Quid aliud fuit, in quo contio rideret, nisi illa vultus et vocis imitatio? *per tuas statuas* vero quum dixit, et extento brachio paullulum etiam de gestu addidit, vehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis: *tibi ego, Antipho, has sero*, inquit: senium est, quum audio. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum sit; mimorum est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscoenitas. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiet, cogitet plura, quam videat: praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, rerum turpitudine et verborum obscoenitate vitanda.

Ergo haec duo genera sunt eius ridiculi, quod in 60
re positum est: quae sunt propria perpetuarum face- 243
tiarum, in quibus describuntur hominum mores, et ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales sint, intelligantur, aut, imitatione brevi iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur. In dicto autem 244
ridiculum est id, quod verbi, aut sententiae quodam acumine movetur. Sed, ut in illo superiore genere, vel narrationis, vel imitationis, vitanda est mimorum ethologorum similitudo, sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magnopere fugienda est. Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a ceteris, familiarem vestrum Granium, aut Vargulam amicum meum? Non

---

Wyttenbachio commendatam: vulg. *verborum turp. et rerum obscoen.* Conf. Offic. I. § 104 et 127 fin.

243. *quae sunt propria perpetuarum facetiarum.* Deficiente alia vocabuli forma, totum hoc genus orationis *facetiarum* nomine designat, sicut, § 218, *duo genera facetiarum* appellat, quorum alterum, § 219, *perpetua festivitas* dicitur.

244. *non mehercule — venit.* Suspecta haec erant Ellendtio, quum statim dicat Caesar, quo modo isti distinguendi sint. Frustra haec Pideritius in sanam sententiam interpretari conatur. Sed salva res erit, modo corrigetur, *quorum mehercule —.*

hoc, opinor, primum, ne, — habeamus dicere. In his *primum* manifesto vitiosum est; non subiicitur *alterum*,

mehercule in mentem mihi quidem venit; sunt enim dicaces, Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne quotiescumque potuerit dictum dici, nec
245 esse habeamus dicere. Pusillus testis processit: *licet*, inquit, *rogare*? Philippus. Tum quaesitor properans, *modo breviter*. Hic ille, *non accusabis: perpusillum rogabo*. Ridicule: sed sedebat iudex L. Aurifex brevior ipse, quam testis etiam: omnis est risus in iudicem conversus: visum est totum scurrile [ridiculum]. Ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quam-
246 vis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. Ut iste, qui se vult dicacem, et mehercule est, Appius, sed nonnumquam in hoc vitium [scurrile] delabitur, *cenabo*, inquit, *apud te*, huic lusco, familiari meo, C. Sextio: *uni enim locum esse video*. Est hoc scurrile, et quod sine causa lacessivit, et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret. Ea, quia meditata putantur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextii, et
247 ex tempore, *manus lava*, inquit, *et cena*. Temporis igitur ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra: et, quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi vi-

---

nec poterat subiici, quia tota disputatio, quae sequitur, ad unam dicacitatis moderationem pertinet, et ipsum *hoc*, initio positum, non nisi unum discrimen significari postulat. Sed hoc in primis huic loco obstat, quod nulla iusta syntaxis servata est. Quid est enim *hoc* (interest inter Crassum et Granium), *ne necesse habeamus dicere?* Praeterea, ipsa diligens definitio istius discriminis inter oratorem et scurram proponitur mox, § 247, init.: quod autem h. l. dicitur, ea sententia aliquanto melius subiiceretur verbis, *quum salsissime dici possunt tenere*, in § 221. In quam suspicionem inclinarem, nisi in verbis ipsis peccatum esse mihi persuasum esset. Verbi causa non proprie praecipitur, *ne necesse habeamus dicere*, quandoquidem agitur de continenda et de moderanda dicacitate. Tum, ut *dicere*, et *dictum* probatissimum est in illo argumento, ita *dictum dicere* nullo modo ferendum est. Satis gravia mihi haec videntur, ut totum hunc locum inscite interpolatum habeam. Nempe, ante quam diserte explicet discrimen, exempla excitat, e quibus istud conficiat.

245. *scurrile* [*ridiculum*]. Obtemperandum viris doctis, qui *ridiculum* omitti volunt. Eodemque modo, mox.

deamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem, et sine causa. Quid enim est Vargula assecutus, quum cum candidatus A. Sempronius cum Marco suo fratre complexus esset, *puer abige muscas?* Risum quaesivit, qui est, mea sententia, vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi prudentia et gravitate moderabimur; quarum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

Nunc exponamus genera ipsa summatim, quae risum 61
maxime moveant. Haec igitur sit prima partitio, 248
quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias: maxime autem homines delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur. Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci: tantum interest, quod gravitas honestis in rebus et severis, iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur: velut iisdem verbis et laudare frugi servum possumus, et, si est nequam, iocari. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furaci servo, *solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum:* quod idem in bono servo dici solet [sed hoc] iisdem

---

§ 246, post *vitium*, tollendum *scurrile*.

246. *ea, quia meditata* —. Corrupta, sic restituenda: *et quia, quae meditata* —. Haec est altera ratio istius condemnandi, quum prior esset *et quod sine causa* —.

247. *quod nos in causa dicimus*. Suscepi hoc ex uno Cod.: vulg. *cum causa*, quod quid sit, apparet ex Ep. ad Qu. frat. I. 2. 6. Sed ubi de oratore sermo est, dicendum est eum non nisi *in causa* dicere, i. e. ipsa causa, quam defendat, invitante et opportunitatem dante. Oppositum, *sine causa*, est, sine eiusmodi opportunitate.

abige muscas. Nempe Sempronii cognomen erat *Musca*: conf. Liv. XLV. 13. 11.

248. *id alias in re — in verbo facetias*. Nihil video, cur ab ea lectione discedendum sit, quam Ellendtius secutus est, quamquam alia omnia placere Kaysero video. Quod modo, ad § 243, notavi de *facetiarum* vocabulo, valet hic quoque, ut eo totum genus indicetur. *Habere facetias* sic dicitur, ut infra, § 252, *habere leporem*.

honestis in rebus et severis. Repudio, quae in vulg. ipse corrigere tentaveram: suscepi potius ingeniosam Pideritii correctionem, pro vulg. *honestis in rebus severe*.

249 verbis. Ex iisdem autem locis omnia nascuntur. Nam quod Sp. Carvilio, graviter claudicanti ex vulnere ob rem publicam accepto, et ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, *quin prodis, mi Spuri? quotiescumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniet in mentem*, praeclarum, et grave est: quod Calvino Glaucia claudicanti, *ubi est vetus illud? num claudicat? at hic clodicat*, hoc ridiculum est: et utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. *Quid hoc Naevio ignavius!* severe Scipio. At in male olentem, *video me a te circumveniri*, subridicule Philippus. At utrumque genus continet verbi ad literam immutati
250 similitudo. Ex ambiguo dicta vel argutissima putantur; sed non semper in ioco, saepe etiam in gravitate versantūr. Africano illo maiori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, *noli mirari*, inquit, *si non convenit: caput enim magnum est:* laudabile et honestum. At ex eodem genere est, *calvus satis est; quod dicit, parum.* Ne multa: nullum genus est ioci,
251 quo non ex eodem severa et gravia sumantur. Atque hoc etiam animadvertendum est, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam sannio est? sed ore, vultu, [imitandis moribus,] voce,

---

249. *quin prodis, mi Spuri.* In Schol. Iuvenalis VIII. 264, editis e Cod. Voss. (Lugd. Bat. 1849) pag. 25, idem hoc tribuitur Horatio Cocliti, claudo ex vulnere. Verba Scholii haec sunt: *cumque improbaret (l. exprobr.) ei quidam, quod claudus esset, dixit, per singulos gradus meos recordor triumphi mei.*

in claudicatione. Requiro, *in claudicante.*

250. *calvus satis est; quod dicit, parum.* Fieri potest ut ille luserit in *Calvi* Nomine proprio, et simul Adiectivo. sed *calvo* opponitur eius oratio (*quod dicit*), tum *satis* et *parum* inter se opponuntur. Aliquanto melius verba distinxi. Conf. ad Div. IX. 16.

251. *imitandis moribus.* Quod vix alii concedatur, *mores imitari*, omnium minime de *sannione* dici potest. Ista verba mihi interpolata videntur.

morosum, superstitiosum —. Non oportebat haec a me corrigi, sicut ten-

denique corpore ridetur ipso: salsum hunc possum dicere, atque ita, non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.

Qua re primum genus hoc, quod risum vel maxime 62
movet, non est nostrum, morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum: naturae ridentur ipsae, quas personas agitare solemus, non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum, sed 252
nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim: aliter enim minime est liberale. Tertium, oris depravatio, non digna nobis. Quartum, obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio ioco, facetiae reliquae sunt, quae aut in re, ut ante divisi, positae videntur esse, aut in verbo: nam quod, quibuscumque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur, quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

Ambigua sunt in primis acuta, atque in verbo posita, 253
non in re; sed non saepe magnum risum movent, magis ut belle et literate dicta laudantur; ut in illum Titium, qui quum studiose pila luderet, et idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque, quum in campum non venisset, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum *brachium fregisse* diceret: ut illud Africani, quod est apud Lucilium,

---

tavi. Tamen simplex verborum compositio non apparet. Fuitne *morosi* (et reliqua in Genitivo) *naturae ridentur ipsae?* Sic infra, § 289, *naturas irridere.* — Tum, *quas personas — sustinere*, explicationem continent eius, quod modo dixerat, *genus hoc non est nostrum*, i. e. alienum est a munere oratoris, quippe qui non soleat *sustinere*, i. e. induere eas personas, illos characteres, sed *agitare.*

252. *alterum genus est imitatione admodum ridiculum.* Corrigendum est, ut sententia constet, *est imitatio, adm. rid.* — Tum, in his, *sed nobis furtim tantum licet*, cogitando, ex *imitatione* supplendum est *imitari.* Kayserus maluit *uti* inserere ante *licet.* De hac imitatione vid. Rosc. Comoed. § 20.

253. *sed non saepe magnum risum movent.* Satius mihi videbatur servare *magnum*, quamquam in multis libris omissum. Ita, § 254, *risus maiores.*

Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit:
254 ut tuus amicus, Crasse, Granius, *non esse sextantis.* Et, si quaeritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellit; sed risus movent alia maiores. Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime; ingeniosi enim videtur vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere: sed admirationem magis, quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud genus ridiculi. Quae genera percurram equidem.

63 Sed scitis esse notissimum ridiculi genus, quum
255 aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est ambiguum, etiam fit salsius. Ut, apud Novium, videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videns, percontatur ita, *Quanti addictus? Mille nummum.* Si addidisset tantummodo, *Ducas licet*, esset illud genus ridiculi praeter exspectationem: sed, quia addidit, *Nihil addo, ducas licet*, addito [ambiguo,] altero genere [ridiculi], fuit (ut mihi quidem videtur) salsissimus. Hoc tum est venustissimum, quum in altercatione aripitur ab adversario verbum, et ex eo, ut a Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessivit,
256 infligitur. Sed, quum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quaedam subtilior, attendere et aucupari verba oportebit: in quo, ut ea, quae sint frigidiora, vitemus (etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur), permulta tamen acute dicemus. Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Graeci vocant παρονομασίαν, ut *Nobiliorem, mobiliorem* Cato: aut, ut idem, quum

---

255. *addito* [*ambiguo*] *altero genere* [*ridiculi.*] Quae inclusimus, profecta mihi videntur a sedulo annotatore.

257. *ut Statii a Scauro stomachanti.* Quum e libris vulgo ederetur *ut Statius Scauro stomachanti*, meam correctionem probarunt novissimi Editores. Quumque dixissem, meminisse me

cuidam dixisset, *Eamus deambulatum:* et ille, *Quid opus fuit* DE? *Immo vero*, inquit, *quid opus fuit te?* aut eiusdem responsio illa, *Si tu et adversus, et aversus impudicus es.* Etiam interpretatio nominis habet 257
acumen, quum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur: ut ego nuper Nummium divisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen invenisse. Atque haec omnia verbo continentur.

Saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est, 64
vel paullulum immutatus, [aut aliqua pars versus;] ut Statii a Scauro stomachanti: ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant:

St, tacete, quid hoc clamoris? queis nec mater, nec pater,
Tanta confidentia? auferte istam enim superbiam.

Nam in Caelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni; quum ille a se pecuniam profectam diceret testis, et haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo,

Sentin' senem esse tactum triginta minis?

In hoc genus coniiciuntur proverbia: ut illud Scipio- 258
nis, quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, *Agas asellum* [et cetera]. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur. Est etiam in verbo positum non in- 259
sulsum genus ex eo, quum ad verbum, non ad sententiam, rem accipere videare: ex quo uno genere totus est Tutor, [mimus vetus,] oppido ridiculus. Sed abeo a mimis: tantum genus huius ridiculi insigni aliqua et nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud,

---

in eandem ante incidisse Orellium, post demum inveni hoc ipsum, in Onomastico Tulliano Part. III. Praefat. p. IX, sq., qui tamen mavult *ut Statii Scauro stomachanti:* ceterum locum recte interpretatur.

258. [*et cetera*]. Et hoc, et mox, § 259, *mimus vetus*, interpolatum est:

quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num tibi molestus esset futurus si ad te bene ante lucem venisset, *Tu vero*, inquisti, *molestus non eris: Iubebis igitur te*, inquit, *suscitari?* et tu, *Certe negarem te*
260 *molestum futurum.* Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum [M.] Scipionem, quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, praecoque dixisset, *Dic de L. Manlio: Virum bonum*, inquit, *egregiumque civem esse arbitror.* Ridicule etiam illud L. Porcius Nasica censori Catoni, quum ille, *Ex tui animi sententia, tu uxorem habes? Non hercule*, inquit, *ex mei animi sententia.* Haec aut frigida sunt, aut tum salsa, quum aliud est exspectatum: natura enim nos (ut ante dixi) noster delectat error; ex quo, quum quasi decepti sumus exspectatione, ridemus.

65 In verbis etiam illa sunt, quae aut ex immutata
261 oratione ducuntur, aut ex unius verbi translatione, aut ex inversione verborum. Ex immutatione; ut, olim Rusca quum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilius, *Dic mihi*, inquit, M. Pinari, *num si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? Ut*
262 *sementem feceris, ita metes*, inquit. Ex translatione autem; ut, quum Scipio ille maior Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, *turmales* dixit *displicere.* Invertuntur autem verba; ut Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, ut nostis; qui quum interpellaret odiose, *Audiamus*, inquit, *pulcellum puerum*, Crassus: quum esset arrisum, *Non potui mihi*, inquit Lamia, *formam ipse fingere, ingenium potui:* tum hic,

---

credibile enim est a Caesare commemorari eum, qui sua aetate viveret.

260. *quod aiunt Maluginensem* —. Operae pretium est conferre Robortellum, de hoc loco cum Sigonio dissentientem, in Gruteri Thesauro Crit. T. II. p. 53, sq.

ut ante dixi. Nempe, § 255.

Audiamus, inquit, *disertum:* multo etiam arrisum est vehementius. Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis: dixi enim dudum, rationem aliam esse ioci, aliam severitatis; gravium autem et iocorum unam esse materiam. Ornant igitur in primis 263
orationem verba relata contrarie: quod idem genus est saepe etiam facetum; ut Servius ille Galba, quum iudices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos, et dixisset Libo, *Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? Quum tu*, inquit, *de cubiculo alieno.* A quo genere ne illud quidem plurimum distat, quod Glaucia Metello, *Villam in Tiburte habes, cortem in Palatio.*

Ac verborum quidem genera quae sunt faceta, di- 66
xisse me puto. Rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi 264
ante) ridentur: in quibus est narratio; res sane difficilis: exprimenda enim sunt et ponenda ante oculos ea, quae videantur esse verisimilia, quod est proprium narrationis, et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia. Cuius exemplum, ut brevissimum, sit sane illud, quod ante posui, Crassi de Memmio. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. Trahitur etiam aliquid ex historia: ut, quum Sext. Ti- 265
tius se Cassandram esse diceret, *Multos*, inquit Antonius, *possum tuos Aiaces Oileos nominare.* Est etiam ex similitudine, quae aut collationem habet, aut tamquam imaginem: collationem, ut ille Gallus olim testis in Pisonem, quum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret, *Erras*, inquit, *Scaure: ego enim Magium non conservasse dico, sed, tamquam nudus nuces legeret, in ventre abstulisse:* ut illud M. Cicero senex, hu-

---

262. *sunt etiam illa venusta.* Distinctionem huius loci optime correxit Madvig. Emendat. p. 194.

265. *quae aut collationem habet, aut tamquam imaginem.* Difficile est probare hoc, ut *similitudo* tamquam in duo diversa genera distrahatur, *collationis* et *imaginis.* Verum esse puto,

ius viri optimi, nostri familiaris, pater, *Nostros homines similes esse Syrorum venalium: ut quisque optime*
266 *Graece sciret, ita esse nequissimum.* Valde autem ridentur etiam [imagines,] quae fere in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris: ut meum illud in Helvium Manciam, *Iam ostendam, cuiusmodi sis:* quum ille, *Ostende, quaeso*, demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto Cimbrico, sub Novis, distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus: risus est commotus; nihil tam Manciae simile visum est: ut quum Tito Penario, mentum in dicendo intorquenti, *Tum ut diceret, si quid*
267 *vellet, si nucem fregisset.* Etiam illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu, Crasse, in contione, *ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabianum demitteret.* Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, *Si quin-*
268 *tum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.* Arguta etiam significatio est, quum parva re, et saepe verbo, res obscura et latens illustratur: ut quum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis et bonus imperator, gra-

---

quae collationem habet et tamquam imaginem. Ideo et mox *collationem* tollendum. Ante *M. Cicero* suspicor aliquid excidisse.

266. [*imagines,*] *quae fere — ducuntur.* Sublato, *imagines*, ante haec, quum ne probari quidem possit *imagines cum similitudine*, necesse erit corrigere, *dicuntur.*

267. *quum stomacharetur cum C. Metello.* Tollenda videtur Praep. *cum*, nisi quis ostendat, dici potuisse *stomachari cum aliquo.*

268. [*tanta suspicio — ignominia levarit.*] Schutzius excogitaverat, *tacita suspicio:* sed neque hoc indigemus, neque quod mihi in mentem venerat, *iacta suspicio.* Iustior suspicio erat Ernesti, haec non esse Ciceronis, cui paruit Kayserus. Neque enim *suspicio est ut videatur* recte Latinum est, neque *ignominia levare.*

269. *quum toto genere orationis severae ludas.* Correxi de meo, *severae:* libri, *severe.* Sed nemo dixerit, quid sit *severe ludere.*

270. *Africanum — dicit fuisse.* Animadvertebat, credo, Piderítius, non sa-

tias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello praesertim magno et gravi; *Nihil est, quod mihi gratias agas*, inquit, *si malui compilari, quam venire.* Ut Asello Africanus, obiicienti lustrum illud infelix, *Noli*, inquit, *mirari: is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit, et taurum immolavit.* [Tanta suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.]

Urbana etiam dissimulatio est, quum alia dicuntur 67
ac sentias; non illo genere, de quo ante dixi, quum 269
contraria dicas, ut Lamiae Crassus, sed quum toto genere orationis severae ludas, quum aliter sentias ac loquare: ut noster Scaevola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam praefectum duceret, *Quid tibi vis*, inquit, *insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.* In hoc genere Fan- 270
nius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse, et eum Graeco verbo appellat εἰρωνα· sed, uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem [opinor] in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans, et cum gravitate salsum, tumque oratoriis dictionibus, tum

---

tis dici quem *fuisse in eo genere*: ideoque addi voluit *egregium*. Sed non concedendum est *egregius in dissimulatione* ut dicatur. Simplicior correctio erit, si *fuisse* in *floruisse* mutabimus.

Socratem [*opinor*]. Ubi quid ex fama traditur (*ut ii ferunt*), incongruum est *opinandi* verbum. Interpolatum credo *opinor*, ut constructio constaret, ab eo, qui non teneret, Accusativum cum Infinitivo suspensum esse ab interposito *ut ferunt*: de qua ratione annotari solet ad illa Offic. I. § 22, *atque, ut placet Stoicis, — creari.*

in hac ironia dissimulantiaque. Quum modo Graecum vocabulum a Fannio in annalibus de Africano usurpatum dixisset (conf. Brut. § 299, et Acad. II. § 15), vix credibile est *ironiae* verbo ipsum Caesarem usum esse, quo Cicero non nisi in iis usus est, quae diu post scripsit et edidit: conf. Indices. Hinc praestabit, illo verbo abiecto, legere *in hac dissimulantia*, quae ipsa est interpretatio Graeci verbi. Sed satis constanter solet eam *dissimulationem* vocare.

tumque oratoriis —. Sic dedi de meo, pro eo, quod e libris edi solet, *quumque*.

271 urbanis sermonibus accommodatum. Et hercule omnia haec, quae a me de facetiis disputantur, non maiora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam, sicut apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa complura ponuntur, per mihi scitum videtur C. Publicium solitum dicere, *P. Mummium cuivis tempori hominem esse;* sic profecto se res habet, nullum ut sit vitae tempus, in quo non
272 deceat leporem humanitatemque versari. Sed redeo ad cetera. Est huic finitimum [dissimulationi,] quum honesto verbo vitiosa res appellatur: ut, quum Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in Pauli pugna non affuerat, quum ille se custodiae causa diceret in castris remansisse, quaereretque, cur ab eo notare-
273 tur, *Non amo*, inquit, *nimium diligentes.* Acutum etiam illud est, quum ex alterius oratione aliud excipias atque ille vult: ut Salinatori Maximus, quum, Tarento amisso, arcem tamen Livius retinuisset, multaque ex ea proelia praeclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset opera sua se Tarentum recepisse, *Quidni*, inquit, *meminerim! numquam enim re-*
274 *cepissem, nisi tu perdidisses.* Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum minis perapposita, sed etiam quodammodo nobis,

— *Homo fatuus,*
Postquam rem habere coepit, est emortuus,

et

— *Quid est tibi*
Ista mulier? Uxor. Similis medius fidius:

---

271. *nam, sicut apud Catonem est,* —. Susceperunt meam correctionem et totius loci distinctionem novissimi Editores. Antea vulgabatur *nam quod apud Catonem est,* —. Quumque Cod. Leid. haec corrupte sic efferret, *nam sunt quod Catonem est*, inde effeceram, *nam, sicut quod apud Cat. est*, ut constaret sibi argumentatio. Idem malebat Ellendtius.

272. *est huic finitimum* [*dissimulationi,*]. Non indiget oratio ista explicatione.

et

Quamdiu ad aquas fuit, numquam est emortuus.

Genus hoc levius, et, ut dixi, mimicum: sed habet 68
nonnumquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus, quasi stulte, cum sale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, quum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum, *Aliquando*, inquit, *tibi tuum negotium agere licebit.* Valde haec ridentur, et 275
hercule omnia, quae a prudentibus, quasi per dissimulationem [non intelligendi], subabsurde salseque dicuntur. Ex quo genere est etiam non videri intelligere, quod intelligas: ut Pontidius, *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? Tardum*: ut ego, qui in delectu Metello, quum excusationem oculorum a me non acciperet, et dixisset, *Tu igitur nihil vides? Ego* 276
vero, inquam, *a porta Esquilina video villam tuam:* ut illud Nasicae, qui quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, et illum intus esse: paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse; tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica, *Homo es impudens: ego, quum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse; tu mihi non credis ipsi?* Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irride- 277
tur in eo ipso genere, quo dixit: ut, quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset, *Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum*

---

275. *per dissimulationem [non intelligendi]*. Quum dixissem, *dissim. non int.* videri mihi eam esse, qua quis stultitiae speciem assumat, probarunt eam interpretationem Ellendtius et Pideritius. Nunc tamen concedo in Ernesti suspicionem, totum illud interpolatum esse: nam peculiaris designatio huius *dissimulationis* continetur seqq., *subabsurde salseque dicuntur*. Conf. § 289. Sed maxime illud *non intelligendi* excluditur iis, quae mox di-

tua colu et lana? Non pol, inquit, *audeo; nam me ad famosas vetuit mater accedere.*

69 Salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi
278 absconditam: quo in genere est Siculi illud, qui, quum familiaris quidam quereretur, quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu, *Amabo te*, inquit, *da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.* In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo; qui, quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse: *Ac magnam quidem*, inquit: *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda*
279 *visa sit.* Me quidem hercule etiam illa valde movent stomachosa et quasi submorosa ridicula, quum non a moroso dicuntur; tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Novium;

— *Quid ploras pater?*
Mirum, ni cantem: condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti; ut, quum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret, *Cave*, rogavit,
280 *numquid aliud ferret praeter arcam?* Est etiam stultitiae salsa reprehensio; ut ille Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum, *Quaeso*, inquit, *praetor, adversario meo da istum patronum; deinde mihi neminem dederis.* Movent illa etiam quae coniectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne; ut quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus,

---

cuntur, tamquam de novo *genere*, *non videri intelligere, quod intelligas*. Mox, § 276, corrigo, *et ipsum intus esse*. Tum, § 277, *venies*.

278. *Siculi illud, qui, quum familiaris* —. De meo correxi *qui*, pro eo, quod e libris edi solet, *cui*, quem Dativum neque verbum *quereretur* adsciscit, neque sequens *inquit*. Eodem modo supra, § 253, *qui, quum*, quam-

quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas, A. F. P. R., idque diceret esse, *Actum fide P. Rutilii*, Rutilius autem, *Ante factum, post relatum;* C. Canius, eques Romanus, quum Rufo adesset, exclamat neutrum illis literis declarari: *Quid ergo?* inquit Scaurus; *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

Ridentur etiam discrepantia: *Quid huic abest, nisi* 70
res et virtus? Bella etiam est familiaris reprehensio, 281
quasi errantis; ut, quum obiurgavit Albium Granius, quod, quum eius tabulis quiddam ab Albucio probatum videretur, et valde absoluto Scaevola gauderet, neque intelligeret, contra suas tabulas esse iudicatum,*** Huic 282
similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris; ut quum patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac domum redisset, *Perdam*, inquit, *vocem, si id fecero. Melius est*, inquit, *quam reum.* Bellum 283
etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur; ut quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide*, inquit, *Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.* Sed ex his omnibus nihil magis 284
ridetur, quam quod est praeter exspectationem; cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii, maioris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore eius depasci agros publicos dicerent, *Non est*,

---

quam alio verbo sequente. Conf. § 285, cuius loci aliam rationem esse ostendam.

281. *contra suas tabulas esse iudicatum.* Non intercedo, quo minus Ernesti suspicio probetur, post haec excidisse ipsum facete dictum, non Albii, sed Granii.

284. *de lege Thoria* —. Desero interpretationem huius loci difficilis, quam proposueram. Nihil tamen a quoquam

inquit, *Lucilii pecus illud, erratis* (defendere Lucilium videbatur): *ego liberum puto esse: qua libet, pascitur.*
285 Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui T. Gracchum perculit: quum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset, *Eiero*, inquit, *iniquus est:* quum esset admurmuratum, *Ah*, inquit, *P. C., non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.* Ab hoc vero [Crasso] nihil facetius: quum laesisset testis Silius Pisonem, quod se in eum audisse dixisset, *Potest fieri*, inquit, *Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit:* annuit Silus: *Potest etiam ut tu non recte intellexeris:* id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret: *Potest etiam fieri*, inquit, *ut omnino, quod te audisse dicis, numquam audieris:* hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Huius generis est plenus Novius, et iocus est familiaris, *Sapiens si algebis, tremes*, et alia permulta.

71 Saepe etiam facete concedas adversario id ipsum,
286 quod tibi ille detrahit; ut C. Laelius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus, *At hercule*, inquit, *tu tuis dignus.* Saepe etiam sententiose ridicula dicuntur; ut M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus tulit, quum C. Cento prodisset, et satis contumeliose, *Quid fers, Cinciole?* quae-
287 sisset, *Ut emas*, inquit, *Cai, si uti velis.* Saepe etiam

---

prolatum vidi, quo illud παραπροσδόκητον explicaretur. Sed initio certe corrigendum erit, *velut Appii.*

285. *quum ei M. Flaccus* —. Iungi solent talia per Relativum: ut fere corrigere audeam, *qui, quum M. Flaccus*, quoniam diversum est hoc ab eo, quod modo, in § 278, corrigebam, dissentiens a Madvigio Ep. Crit. p. 106. sq. Itaque mox quoque corrigendum, *qui, quum laesisset.* Contra rectum est *quum ei*, § 286.

annuit, ut se Crasso daret. Nulla in his iusta syntaxis apparet. Corrigendum, *annuit se Crasso dare*, i. e. concedere, cuius obiectum est *id.*

286. *at hercule.* Aptius, credo, legemus *et hercule.* Usurpari solet Cic. *et* in eiusmodi forma concedendi, quae cum reprehensione coniuncta est, ut in *et quidem.*

287. *amicique quum vociferarentur.* Ad I. § 82, dixi, corrigendum esse *amici quum* —, abiecto *que.*

salse, quae fieri non possunt, optantur; ut M. Lepidus, quum, ceteris in campo exercentibus, in herba ipse recubuisset, *Vellem hoc esset*, inquit, *laborare*. Salsum est etiam quaerentibus et quasi percunctantibus lente respondere, quod nolint; ut censor Lepidus, quum M. Antistio Pyrgensi equum ademisset, amicique quum vociferarentur, et quaererent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset, *Me istorum*, inquit, *nihil credere*. Col- 288
liguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes: sed haec ipsa nimis mihi videor in multa genera descripsisse: nam illa, quae verbi ratione et vi continentur, certa fere ac definita sunt; quae plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent. Haec autem, quae sunt in re et in ipsa 289
sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca: exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, [ipsorum ridicule indicandis, et] similitudine turpioris, et dissimulatione, et subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque imbuendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur, qui quidem quo severior est et tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quae dicuntur, salsiora videri solent. Sed iam tu, 290

---

289. [*ipsorum ridicule indicandis, et*]. Haec putide interpolata esse, quae explicarent scilicet id, quod praecedit (*naturis — irridendis*), quum dixissem, nonnullorum librorum auctoritate probaverunt meam suspicionem Ellendtius et Kayserus: Pideritius, nihil monens, ista servavit.

itaque imbuendus est is, —. Nunc etiam contendo, haec non consequi ex illa doctrina ridiculorum, quam modo absolvit Caesar, sed potius, post illam ridiculorum doctrinam, iis praeceptum contineri destinatum studiosis dicendi, ideoque *itaque* mutandum esse in *atque*. Ferendum autem puto *imbuendus natura*, quoniam ipse mollit audacem figuram, scribens *quasi natura quadam et moribus*, i. e. certo charactere.

290. *qui in hoc deversorio* —. Addidi Praep. *in*, exemplo § 234: vulgo omittitur. Mox, tollendum emblema uncinis indicatum.

audacior factus iam ad iocandum.

Antoni, qui in hoc deversorio sermonis mei libenter acquieturum te esse dixisti, tamquam in Pomptinum deverteris, [neque amoenum neque salubrem locum,] censeo, ut satis diu te putes requiesse, et iter reliquum conficere pergas.

Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te, tum etiam audacior factus iam ad iocandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, et Africanos, Maximos, Catones, Lepi-
291 dos protulisti. Sed habetis ea, quae voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit: nam cetera faciliora sunt, atque ex iis, quae iam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia.

72 Ego enim quum ad causam sum aggressus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, persecutus, [quum] et argumenta causae, et eos locos, quibus animi iudicum conciliantur, et illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi, tum constituo, quid habeat [causa quae-

---

E Voss. sumsi *iam*, quum ante edi soleret *factus sum*: quod vitium natum erat ex ignorantia, formulam *ego vero*, quum in respondendo usurpetur, expleri oportere e superiore verbo, ut h. l. *ego vero conficere pergam*: qua observatione iterum utemur ad corrigendum locum § 295. Ita *nos vero*, § 362.

291. *de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit*. Quare hic, post *qui quidem*, Indicativus servetur, explicui in Mnemosyne IX. p. 209, sq. Sed non assequor, quid huc pertineat *et cogitandum*. Estne corruptum?

[*quum*] *et argumenta causae*. Molesta est iteratio Coni. *quum*: quaeque nunc adiiciuntur, suspensa sunt e praeced. *quum*, eaque ipsa continentur praeced. vocabulo *omnia*.

quid habeat [*causa quaeque*] *boni* Turbatum est in libris, quum in aliis sit *quaeque causa*, in aliis *causa quidque*. Sed utrumque inscite interpolatum est: necessario ex anteced, *quum ad causam aggressus sum*, intelligimus nunc *causa*: et *quaeque* ridiculum adeo est, ubi de una causa agitur.

in [*dicendi*] *disceptationem*. Nullam novi *dicendi disceptationem*, neque alius Genitivus cum illo Substantivo iungi solet, nisi aut obiecti, ut iuris, aut loci, ut iudiciorum. Delendum est *dicendi*. Mox, suo loco, *in dicendo*.

[*sed, quantum habeat, id refert*]. Accipio auctoritatem nonnullorum librorum, in quibus haec, praeter postremum *refert*, omittuntur. Non agitur de mensura *boni* aut *mali*.

292. *boni quod habeat*, nempe, causa: ideoque repudiandum, quod Ellendtius

que] boni, quid mali: nulla enim fere res potest in [dicendi] disceptationem aut controversiam vocari, quae non habeat utrumque [sed, quantum habeat, id refert]. Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut, 292
boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem, ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream, a malo autem vitioque [causae] ita recedam, non ut id me defugere appareat, sed ut totum bono illo ornando et augendo dissimulatum obruatur. Et, si causa est in argumentis, firmissima quaeque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum: sin autem in conciliatione, aut in permotione causa est, ad eam me potissimum partem, quae maxime commovere animos hominum potest, confero. Summa denique huius generis haec est, ut, si 293
in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest, omnia in illum tela conferam: sin nostra probari facilius, quam illa redargui, possunt, abducere animos a contraria defensione, et ad nostram conor traducere. Duo denique illa, quae 294

---

commendabat, *habeam*. Orator *amplectitur* non suum bonum, sed id, quod causa habet.

a malo autem vitioque [*causae*]. Et hoc putidum emblema abiiciendum.

defugere. Proprium hoc magis mihi videtur, quam alterum, *fugere*.

quae maxime commovere animos hominum potest. Diligentia mihi postulare videtur, *quae maxime aut conciliare, aut commovere* —.

294. *duo denique illa* —. Quum superior sententia, quae totius doctrinae quasi conclusionem continebat, recte in principio haberet illud *denique*, vix ferendum est, ut ea Coniunctio nunc iteretur: omittitur sane in uno Codice: sed ad sententiam aptius foret *praeterea*. — Pron. *illa*, quod h. l. nihil habet, quo referatur, transponendum mihi videtur, legendumque, *quum illa, quae difficiliora sunt* —, nempe, quae modo ante pluribus explicuerat.

ut molesto aut difficili argumento, aut loco nonnumquam — respondeam. Intelligo *molestum argumentum*, non item *difficile*: minus etiam, quid sit *difficilis locus*, quum *locus* in hac demonstratione appelletur sedes aut fons argumentorum: omnium minime, quid sit *loco respondere*. Quod adiicitur, *nonnumquam omnino nihil*, excitavit mihi suspicionem, sic esse corrigendum, *ut molesto argumento aut pauca, aut nonnumquam* —. Sed nihil definio.

qui id facere non possit. Ellendtius abiecit *id*. Ego malim corrigere, *idem*.

adhibere quandam in dicendo speciem. Nihil huc pertinet *dicendi species*. Corrigendum est, transpositis literis, *in cedendo*, ut modo ante dixe-

facillima videntur (quoniam, quae difficiliora sunt, non possum), mihi pro meo iure sumo: unum, ut molesto, aut difficili argumento, aut loco nonnumquam omnino nihil respondeam; quod forsitan aliquis iure irriserit: quis enim est, qui id facere non possit? sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo, confiteorque me, si qua premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar, sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam, et pugnae similem fugam, consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar.
295 Alterum est illud, quod ego oratori maxime cavendum et providendum puto, quodque me sollicitare summe solet; non tam ut prosim causis laborare soleo, quam ut ne quid obsim: non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius oratori nocuisse videri causae, quam non profuisse.

73 Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an haec, ut sunt contemnenda, contemnitis? Minime, inquit ille; sed Caesar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur. Me vero lubente, inquit Antonius, [dixerit,]
296 sive refellendi causa, sive quaerendi. Tum Iulius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi vi-

---

rat *cedere solere*. Quod autem additur, *atque pompam*, vix credibile hoc nomine in praesenti re usum esse Ciceronem. Aliud est *fugae species*, apud Livium XXII. 32. 3.

295. *oratori maxime*. Restitui hunc ordinem. Novissimi Editores, *maxime oratori*, cum sententiae detrimento.

laborare soleo. Sic de meo edidi. Vulg. *elaborare*, quod non nisi in positivo (ut hodie loquimur) obiecto dicitur, non in negativo, ut h. l.

me vero libente — [dixerit,]. Verbum finitum omittendum esse dixi ad § 290.

296 *tum Iulius*. Corrigendum videri, *tum ille*, dixi ad § 229.

idque memoria teneo. Quorsum *id*? Sequitur enim obiectum in his, *dixisse me*. Corrigendum, *atqué*.

cum hoc [Crasso]. Bene sensit Orellius, Nomen proprium tollendum esse: conf. ad § 107 et 124: fecique modo, § 285.

dixisse me cum ceteris tuis laudibus —. Quoniam non agebatur, quid Caesar dixisset in illo sermone, sed

deri tectissimum, propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te umquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Idque memoria teneo, quum mihi sermo cum hoc [Crasso], multis audientibus, esset institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum, quod opus esset, diceres, sed etiam, quod non opus esset, non diceres: tum illum mihi respondere memini, cetera in 297
te summe esse laudanda, illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere, quod alienum esset, et noceret ei, pro quo quis diceret: quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstres velim, quare tu hoc ita magnum putes, [nihil in causa mali facere,] ut nihil tibi in oratore maius esse videatur.

Dicam equidem, Caesar [, inquit, quid intelligam]: 74
sed et tu, et vos omnes hoc, inquit, mementote, non 298
me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis meae mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis; cui quidem portenti simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obessetque ei, quem defenderet. Facit 299

---

quid Crassus tum sensisset, restituenda mihi videtur forma huius narrationis in hunc modum: — *dixissemque in ceteris — non diceres, tum illum mihi r. m.* —. In his Praepositionem quoque mutavi, quod vix defendi potest *cum ceteris — maximam*.

[*nihil in causa mali facere*]. Iure haec insititia esse iudicat Kayserus, quod inutilis haec explicatio adiicitur. *Malum facere in causa* recurrit mox, § 303, quod § 298 est *aliquid mali facere dicendo*. Conf. § 306, fin.

297. *pro quo quis diceret*. Revocavi *quis*, quum novissime edi soleat *quisque*.

298. *dicam equidem, Caesar [, inquit, quid intelligam]* —. Non tantum, quod Kayserus vidit, verba *quid intelligam*, sed praecedens quoque *inquit* abiiciendum, mox suo loco positum.

299. *sed ego — prudentia disputabam*. Desero nunc eam opinionem, quum ista insititia esse suspicabar: tum *ut*, quod subiicitur, quamquam in mul-

enim de se coniecturam, cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra se ipsum sit, dicere. Sed ego non de praestanti quadam et eximia, sed prope de vulgari et communi prudentia disputabam. Ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles: ad quem quidam doctus homo, atque in primis eruditus, accessisse dicitur, eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitum esse se traditurum: quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse [illum doctorem], ut omnia meminisset; et ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam
300 si meminisse, docuisset. Videsne, quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens, et quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possimus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, umquam effluere potuisse, quum quidem ei fuerit optabilius oblivisci posse potius, quod meminisse nollet, quam, quod semel audisset vidissetve, meminisse. Sed neque, propter hoc Themistoclis responsum, memoriae nobis opera

---

tis libris omissum, servandum, quippe Themistoclis exemplum eo consilio affertur, quo appareat, quod aliis difficile sit, idem praestanti ingenio facillimum esse, itaque cum Themistocle confertur Crassus. Sed restituendum fuit *prudentia*, quum alii libri perperam exhiberent *lingua*. In eadem re iterum *prudentia* appellatur, § 300.

quum ille quaesisset — Requiro (quoniam eadem Infinitivorum constructio continuatur, suspensa a *dicitur*) *quumque ille*. Sed mox abiicienda sunt verba *illum doctorem*, quo nomine ne appellandus quidem iste homo erat.

et ei Themistoclem respondisse. In nonnullis libris omittitur *et ei*. Copula sane in hac narrationis serie molesta est, h. l. orta ex iteratione praecedentis syllabae: sed legere praestabit *cui Themist.*

300. *ut intelligere possimus*. Bene hoc revocavit Kayserus, pro vulg. *possemus*. Agitur de praesenti iudicio —. Quod mox dicitur, *infusum*, et *effluere*, in eodem argumento usurpatur apud Anonymum περὶ μνήμης, p. 164. 16 et 166. 13, quem cum Apsine edidi.

quum quidem ei fuerit optabilius. Intempestiva h. l. est Coni. *quidem*, quasi peculiare quid et praeter exspectationem observaretur. Continuanda haec sunt cum superioribus (*qui ita responderit* —) hoc modo, *cuique fuerit optab.*

danda non est, neque illa mea cautio et timiditas in causis propter praestantem prudentiam Crassi negligenda est: uterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem. Etenim per- 301
multa sunt in causis in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepe aliquis testis aut non laedit, aut minus laedit, nisi lacessatur: orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut male dicamus, denique ut interrogemus: non moveor, non obtempero, non satisfacio, neque tamen ullam assequor laudem: homines enim imperiti facilius, quod stulte dixeris, reprehendere, quam, quod sapienter tacueris, laudare possunt. Hic quantum fit mali, si 302
iratum, si non stultum, si non levem testem laeseris? [habet enim et voluntatem nocendi in iracundia, et vim in ingenio, et pondus in vita:] nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi et saepe committunt: quo quidem mihi turpius videri nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo, aut responso, aut rogato sermo ille sequitur, *Occidit. Adversariumne? Immo vero*, aiunt, *se, et eum, quem defendit.* Hoc 75
303

---

301. *ne quo irruas.* Sine controversia simplex verbum restituendum est, *ne quo ruas.* Quam diversum sit *irruere* putidum sit explicare.

orat, reus —. De horum distinctione, quam commendavi, nec tamen secuti sunt novissimi Editores, nihil addo.

302. *si non levem testem laeseris.* Corrigo, *lacessiveris.*

[*habet enim et voluntatem — in vita:*] Singula in his reprehendenda sunt. Concedamus, recte dici *voluntatem nocendi*, quum supra, § 142, sit *voluntas discendi*; item, *habere voluntatem.* Sed neque additum *in iracundia*, neque *habere vim* (*nocendi*) *in ingenio*, neque *pondus* (*nocendi*) *in vita*, ulla vel ratione, vel auctoritate defendi potest. Istis abiectis, sic ut decet sequentia cum superioribus continuantur, in vulg. male divulsa.

quo quidem — quam quum. Kayserus *quam* inclusit: nec tamen ita reliquorum interpretationi consulitur, si *quo* Ablativus erit habendus, suspensus a *nihil turpius:* quod enim omnium turpissimum habet Antonius, illud demum est, quod exempli causa subiicit. Scripsitne *in quo?*

303. *sua praesidia dimittunt.* Non concedo Ernesto, melius esse *omittunt. Dimittere* proprium est in re militari.

mediocriter causis nocent —*?* Vulgo, *mediocriterne:* sed illud recte exhibet Cod. unus apud Ellendtium: conf. mox, ad § 305.

Crassus non putat nisi perfidia accidere posse: ego autem saepissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos. Quid? illud, quod supra dixi, solere me cedere, et, ut planius dicam, fugere ea, quae valde causam meam premerent, quum id non faciunt alii, versanturque in hostium castris, ac sua praesidia dimittunt, mediocriter causis nocent, quum aut adversariorum adiumenta confirmant, aut ea, quae sa-
304 nare nequeunt, exulcerant? Quid? quum personarum, quas defendunt, rationem non habent? Si, quae sunt in iis invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora faciunt, quantum est in eo tandem mali? Quid? si in homines caros iudicibusque iucundos, sine ulla praemunitione orationis, acerbius et contumeliosius invehare, nonne abs te iudices abalie-
305 nes? Quid? si, quae vitia, aut incommoda sunt in aliquo iudice uno, aut pluribus, ea tu adversariis exprobrando non intelligas, te in iudices invehi, mediocre peccatum est? Quid? si, quum pro altero dicas, litem tuam facias, aut laesus efferare iracundia, causam relinquas, nihilne noceas? In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor: ut quum te ipsum, Sulpici, obiurgabam, quod me oratorem peteres, non adversarium: ex quo etiam illud assequor, ut si quis mihi male dicat, petulans, aut plane in-
306 sanus esse videatur. In ipsis autem argumentis si

[illegible] *tu adversariis exprobran-* [illegible] omissum *in*, quod in libris [illegible] *adversariis*. Sed non proban- [illegible] ut dicatur quis *invehi in* [illegible] *exprobrando vitia adversariis*. [illegible] *exprobrans*, i. e. si expro- [illegible] *tum est*? De suo [illegible] *mediocrene*. Non lau- [illegible] mox in *nihilne*, quod recurrit § 367. Idem notavi modo, ad § 303.

307. *hoc dicendi natura ipsa praescribit*. Reiicio nunc id, quod de hoc loco corrigendo dixeram. *Dicendi natura* refertur ad ea, quae, nemine monente, sponte postulantur in omni eiusmodi oratione: conf. § 331, fin.: eaque *natura* opponitur *oratoris prudentiae*

quid posueris aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dicturusve sis, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum ac foro, nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim saepius), si possim, ut boni aliquid efficiam dicendo; sin id minus, ut certe ne quid mali.

Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo 76
ante laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac 307
locorum, cuius ratio est duplex; altera, quam affert natura causarum, altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam, ut aliquid ante rem dicamus; deinde ut rem exponamus; post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis; deinde ut concludamus, atque ita peroremus; hoc dicendi natura ipsa praescribit. Ut vero statuamus, ea, 308
quae [probandi, docendi, persuadendi causa] dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. Multa enim occurrunt argumenta, multa, quae in dicendo profutura videantur; sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint, partim, etiam si quid habent adiumenti, sunt nonnumquam eiusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo coniungatur. Quae autem utilia sunt atque 309
firma, si ea tamen (ut saepe fit) valde multa sunt, ea, quae ex iis aut levissima sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atque ex oratione

---

308. *ea, quae [probandi, — persuadendi causa] dicenda sunt.* Putidum illud emblema quantocyus expellendum.

multa enim occurrunt argumenta, multa, quae in dicendo profutura videantur. Haec sic enuntiantur, quasi alia essent *argumenta*, alia *quae in dicendo profutura videantur*. Non patitur hoc Antonii disputatio. Agit sane de ordine ac dispositione *rerum ac locorum*, sive *argumentorum* (conf. § 180, sq.), sed non opus erat h. l. *argumenta* inculcare, meliusque legemus (abiectis his *argumenta multa*,) *multa enim occurrunt, quae in d.* —

309. *ea, quae ex iis — consimilia.* Ne haec quidem sana mihi videntur. Quum enim modo dixisset, *levia* quae essent, esse *contemnenda*, fieri non

removeri. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere.

77 Et quoniam, quod saepe iam dixi, tribus rebus
310 homines ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex tribus his [rebus res] prae nobis est ferenda, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur: reliquae, sicuti sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt [: nam et principia, et ceterae partes orationis, de quibus paullo post pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanare possint].
311 Sed his partibus orationis, quae, etsi nihil docent [argumentando, persuadendo] tamen [et commovendo] proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo, et in perorando, degredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permoven-
312 dorum animorum causa, saepe utile est. Itaque vel narratione exposita saepe datur ad commovendos ani-

---

potest ut in iis, quae *utilia et firma* appellat, nunc *levissima* etiam numeret. Tum, quo modo, quae *levissima* sunt, esse poterant *gravioribus consimilia?* Suspicor, corrigendum esse, *quae ex iis leviora sunt, nec aliis gravioribus consimilia.*

310. *homines* — *perducimus.* Incredibile quare Ellendtius alteram lectionem, *omnes*, praetulerit. At *homines* et alibi passim in hoc argumento usurpatur, et supra, § 178.

una ex tribus his [*rebus res*]. Alii iam excluserunt hinc *omnibus*, in uno alteroque libro ante *tribus* inculcatum. Sed praeterea duo postrema verba abiicienda sunt.

[*nam et principia, — permanare possint*]. Operae pretium est explicare, quare mihi Kayserus haec recte pro insititiis habere videatur. Primum, his nihil aliud significatur, nisi illud ipsum, quod modo dixerat, illam conciliandi et permovendi virtutem in perpetua oratione fusam esse oportere. Sed perperam *principia*, et reliqua, quae enumeraverat § 307, nunc appellantur *partes orationis;* quum praesertim statim post (§ 311, init.) ipsum illud *conciliare* et *commovere* in *partibus orationis* numeretur, i. e. in iis quae servanda sint oratori. Et, ut alia transeamus, aliquanto rectius de ipsis *rebus*, quam de illis *partibus orationis* diceretur eas *ad mentes* eorum, qui audiunt, *permanare:* sed *permanare ad movendas mentes* vitiosissimum est, neque tale quid adiicitur Legg. II. § 38, ubi est *influere in animos*, neque aliis locis, in quibus *permanandi* verbum usurpatur. Postremo, non credo, Antonium dixisse *de quibus paullo post plura dicemus*,

mos degrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest: eaeque causae sunt ad agendum et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad eiusmodi degressionem, ut iis locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur, aut reflectantur. Atque 313
etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant: in quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando (id quod mihi numquam placuit) plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum: male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. Ergo, 314
ut in oratore optimus quisque, sic in oratione fir-

---

siquidem hoc argumentum aggressus, § 315, non *paucis* defungitur, sed uberiore doctrina utitur usque ad § 332.

311. *sed his partibus orationis*. Nempe *conciliandi* et *commovendi*: itaque *partes* distinguit ab *argumentis*, § 319. Sed, quoniam ita continuatur eadem praeceptio, praestabit *sed* mutare in *et*. Mox, ista Gerundia, *argumentando, persuadendo et commovendo*, interpolata esse bene vidit Kayserus.

312. *causae — plenissimae*. Hoc Superlativi exemplo nihil debilitatur eorum, quae dixi ad I. § 2, quoniam sine obiecto dicitur.

quibus animorum impetus eorum, — aut impellantur, aut reflectantur. Novum hoc est, nec probandum, ut *impetus animorum* dicantur tum *impelli*, tum *reflecti*. Recte, contra, dicitur *animorum motus concitare*, § 337: sed neque isto modo *impetus* animis tribui potest, neque omnino *impetum impellere* Latinum est. Quid, quod in hac syntaxi dicuntur *impetus, qui audiunt?* Sublato illo Substantivo, corrigendum censeo, *quibus animi eorum —*.

314. *ut in oratore*. Dixeram, haec et iniuria corrupta habita, et ab aliis imprudenter defensa esse. In his erat Orellius, qui interpretabatur *ἐν τῷ ἀεὶ ῥήτορι*, vitiose relatum ab Ellendtio, qui ipse corrigebat scilicet *in orando*, reiectis Schutzii et Madvigii correctionibus. Nihilominus perspicuum esse puto, *in oratore* nihil aliud esse, nisi *quod ad oratorem attinet*, si quaeratur, quis primus dicturus sit, sicuti *in oratione*, si quaeratur, quod argumentum, quem locum prius proponi oporteat. Pideritium credo hoc agnovisse.

missimum quodque sit primum; dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent, serventur etiam ad perorandum, si quae erunt mediocria (nam vitiosis nusquam esse oportet locum), in mediam tur-
315 bam atque in gregem coniiciantur. His omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam, si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, aut commune.

78 Principia autem dicendi semper quum accurata, et acuta, et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere de-
316 bet. In quo mirari soleo non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum; qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; et ait idem, *quum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare:* neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile ducat, primas illas hastas ita iactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant, et reliquis viribus
317 suis consulant. Nec est dubium quin exordium di-

---

315. *his omnibus.* Sic de meo edidi: libri *hisce omnibus.*

occurrit. Postulari credo *occurrebat.*

aut vulgare aut commune. Contra constantem usum haec discernuntur. Legam, *et commune.*

instructa sententiis. Praestabit *structa*, quod in ipsa compositione proprie usurpatur: eodemque modo corrigendum in Orat. § 61. In eodem genere alia notavi in Scholic Hypomn. III. p. 316, ad Brut § 31.

316. *mirari.* Hoc secundum nonnullos libros edere malui, pro vulg. *admirari.*

317. *quo ferro decernitur.* Praestabit *quum.*

in oratione. Nunc sentio, Ernestum haec recte interpretatum esse de exordiis, quae ante ipsum congressum instituuntur, in quibus oratorem non *vim* inferre, sed *delectationem* afferre oporteat.

non vis potius, sed delectatio. Revocavi *sed*, pro vulg. *quam.* Conf. Wyttenbach. Bibl. Crit. I. p. 22. XII. p. 6.

cendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat: sed, si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quo ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur; quanto hoc magis in oratione exspectandum, in qua non vis potius, sed delectatio postulatur. Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat, et quod totum repente evolet: sic omnia, quae fiunt, quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa praetexuit. Haec autem in dicendo non extrinse- 318
cus aliunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt: idcirco, tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, consi- derandum est, quo principio sit utendum: sic et facile 319
reperientur; sumentur enim ex iis rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere; [ita] et momenti aliquid afferent, quum erunt paene ex intima defensione depromta; et apparebit ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse.

Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, 79
significationem habere debebit, aut aditum ad causam 320
et communitionem, aut quoddam ornamentum et di-

Eandem rationem servari videmus infra, § 327.

quod totum repente evolet. Servavi *quod*, a Kaysero inclusum: tum, *evolet*, pro aliorum *evolvat*. *Evolare*, de celeri progressu, dicitur quoque Brut. § 272.

omnia, quae fiunt quaeque aguntur acerrime. Quandoquidem haec ad *rerum naturam* referuntur, improprie ea dicuntur *agi*. Corrigendum, *augentur*. Eorum verborum confusionem in libris animadvertere licet § 332. Tum, pro *lenioribus principiis*, levi correctione adhibita, malim *lentioribus pr.*, quod Adiectivum melius etiam opponitur illis, *augentur acerrime*.

319. *reperientur — sumentur.* Probo haec pluralia, quum de *principiis* loquitur. Mox, recte *ita* abiicitur: sed servanda sunt verba, *quae tum agatur*.

320. *aut quoddam ornamentum et dignitatem.* Fieri non potest ut dixerit, *principium habere debere quoddam ornamentum;* quoniam *ornamentum* cogitari nequit, nisi constet, quid ornandum sit. Reponam, *quoddam mo-*

gnitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione rerum praeponere. Itaque in parvis atque infreqentibus causis ab
321 ipsa re est exordiri saepe commodius. Sed, quum erit utendum principio (quod plerumque erit), aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex iis, apud quos agetur, sententias duci licebit. Ex reo [reos appello, quorum res est], quae significent bonum virum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valeant contra falsam criminationem. Ex
322 adversario, iisdem ex locis fere contraria. Ex re, si crudelis, si nefanda, si praeter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quae restitui sanarique non possit. Ex iis autem, apud quos agetur, ut benevolos beneque existimantes efficiamus; quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam; sed tamen multa principia ex eo genere
323 gignuntur. Nam et attentum, monent Graeci, ut principio faciamus iudicem et docilem: quae sunt utilia, sed non principii magis propria, quam reliquarum partium, faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis

---

mentum et dignitatem, i. e. speciem venustam.

321. [*reos appello quorum res est.*] Nemo amplius, credo, dubitat ista interpolata esse: conf § 183.

322. *quod agendo efficitur melius quam rogando.* In hac verborum distinctione debilitatur insigniter vis praecepti modo positi, in quo praeceperat ut in principio sententiae ducerentur ex iis, apud quos ageretur, ut hi benevoli efficerentur: cui nunc subiicit, istud melius fieri *agendo*, i. e. per totam orationem, quam *rogando*, quod non nisi in principio fieret. Correcta distinctione, et unius Coniunctionis restitutione sic satisfiet Antonii consilio: *quod etsi agendo — rogando, estque in tota oratione fundendum, nec minime in extrema, tamen multa* —. In his *confundendum*, quod ab hac sententia alienissimum est, mutavi in *fundendum*, exemplo eius, quod supra, § 310, dictum erat. Conf. Fin. V. § 66.

323. *nam et attentum — et docilem.* Inepta est h. l. illa disiunctio, *et — et.* Sed, quandoquidem Graecorum magistrorum praeceptum non alio consilio excitat quam ut corrigat, legendum est, *nam quod attentum* —: tum

initiis] esse possunt; illustriora enim sunt, quae in rincipiis, quam quae in mediis causis dicuntur, aut rguendo, aut refellendo. Maximam autem copiam 324
rincipiorum ad iudicem aut alliciendum, aut incitan-
um ex iis locis trahemus, qui ad motus animorum onficiendos inerunt in causa; quos tamen totos expli-
ari in principio non oportebit, sed tantum impelli udicem primo leviter, ut iam inclinato reliqua incum-
bat oratio.

Connexum autem ita sit principium consequenti ora- 80
tioni, ut non, tamquam citharoedi prooemium, affic- 325
tum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore mem-
brum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam fieri sibi nolle videantur. Atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pu-
gnam, quibus in pugnando nihil utuntur, sed ut ipsis sententiis, quibus proluserint, vel pugnare possint.

Narrare vero rem quod breviter iubent, si brevitas ap- 326
pellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est, sed saepe obest vel maxime in narrando, non so-

---

subiicitur ipsius Antonii observatio, eo pertinens, ut ostendat, otiosum quodam modo esse illud praeceptum, primum, quod non sit proprium principiorum, tum, quod facilius est consequi illud, quod commendatur, in principiis. Correctio autem post demum sequitur, verbis *maximam copiam principiorum* —, in quibus sequimur unius libri apud Ellendtium auctoritatem, ut et *autem* omittamus post *maximam*, et deseramus alteram lectionem, *maxima copia trahetur*.

faciliora etiam. Bene, puto, corrigetur, *fac. autem*.

dociles magis [*initiis*] *esse possunt*. Non tantum illud *initiis* perquam molestum est, ut bene sensit Ellendtius, sed ne *esse possunt* quidem apte dicitur, quum recte antecedit *attenti sunt*. Nescio, quo modo haec expediam: nisi fortasse legatur *esse solent*.

324. *ad motus animorum conficiendos*. Inauditum est *conficere motus an.* Prava lectio, orta ex *conciendos*: sed verum erit vel *concitandos*, vel *ciendos*.

325. *quibus proluserint*. Subiectum non erit Samnites. Itaque corrigendum, *proluseris*, et *possis*. Sic § 333, fin. var. lectio est *possit*, pro vera *possis*.

lum quod obscuritatem affert, sed etiam quod e[illegible] virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda[illegible] ad persuadendum accommodata sit, tollit. Ut ill[illegible],

Nam is postquam excessit ex ephebis —:

327 quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius, [illegible] servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus, et form[illegible] et lamentatio sororis, reliqua, pervarie iucundeque nar[illegible] rantur. Quod si hanc brevitatem quaesisset,

Effertur, imus, ad sepulcrum venimus,
In ignem imposita est —,

decem versiculis totum conficere potuisset: quam- quam hoc ipsum, *Effertur*, *imus*, concisum est ita, ut 328 non brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset, nisi, *in ignem imposita est*, tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus, et est et probabilius, quod gestum esse dicas, quum, quemadmodum actum sit, exponas, et multo apertius ad intelligendum est, si constituitur aliquando, ac

---

327. *ut illa.* Revocavi hoc pro vulg. *videlicet illa.* Suspicor, pro *ut* scriptum fuisse *vl*, unde *videlicet* effictum est.

decem versiculis. Recte, multorum librorum exemplo, ante haec omittitur *in his fere.*

sed magis venustati. De hac forma notavi ad § 317.

328. *narratio — interpuncta sermonibus.* Insunt sane plures *personae*, non tamen plures *sermones*, quibus narratio *interpungeretur.* Corrigendum est, *interpunctis sermonis.* Ipsa sermonis natura afferebat plura *interpuncta.* Aliquoties in eo vocab. erratum esse, significavi in Scholic. Hypomn. V. p. 326. Tota haec observatio attingit exemplum illud ex Andria sumtum: ideoque initio malim legere, *ea narratio.*

si constituitur. Non accipio huius lectionis defensionem, quam proposuit Ellendtius, sic interpretans, ut *narrationem constituere* sit i. q. in re narranda morari: et hoc eum agnoscere oportebat, non requiri h. l. verbum transitivum, neque illud *constituitur* ad *narrationem* referri posse, sed per constructionem referri debere ad *quod gestum esse dicas.* Ideo probandus Lambinus, qui excogitavit *consistitur*, impersonale, sicut sequens *percurritur* item impersonale est, et § 329, fin. *narrabitur.* Ego tamen pro compo-

non ista brevitate percurritur. Apertam enim narra- 329
tionem tam esse oportet, quam cetera; sed hoc magis in hac elaborandum est, quod et difficilius est non esse obscurum in re narranda, quam [aut in principio,] aut in arguendo, aut purgando, [aut perorando,] et maiore etiam periculo haec pars orationis obscura est, quam ceterae, vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est, narratio obscura totam occaecat orationem, vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius, narrationi unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum servato, si non interrupte narrabitur.

Sed quando utendum sit aut non sit narratione, id 81
est consilii. Neque enim si nota res est, nec si du- 330
bium, quid gestum sit, narrare oportet; nec si adversarius narravit, nisi si refellemus: ac, si quando erit narrandum, nec illa, quae suspicionem et crimen efficient, contraque nos erunt, acriter persequemur, et quidquid poterit detrahemus, ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri putat, ut

---

sito verbo malim simplex, *sistitur*.

329. *quam* [*aut in principio,*] — [*aut perorando.*] Neque *principii* in hac demonstratione mentionem fieri oportebat, neque *perorationis*, et omittuntur adeo verba *aut perorando* in bono Cod. apud Ellendtium, neque est nisi depravata lectio, pro *aut purgando*. — Meum, *in arguendo* (quum vulgo ederetur in *argumento*), suscepit Kayserus: Lambinus, *in argumentando*. Non ceperat Ellendtius, *in arguendo* ita dici, ut *in re narranda*: et dici illud verbum de parte orationis apparet ex his, Orat. § 225, *maximeque iis locis, quum aut arguas, aut refellas*: atque ista coniuncte commemorari debere (ut h. l. *arguere et purgare*) conficitur e § 331.

narrationi. Correxi vulg. *narrationis*. Conf. § 311.

ordine temporum servato. Sic ex mea sententia edidit Kayserus. Libri *conservato*. Eodem modo corrigendum III. § 45, init.

330. *quae suspicionem et crimen efficient*. Aptius puto fore, *quae susp. aut crimen eff.*

persequemur — detrahemus. Hic quoque laudo Kayserum, qui Futura restituerit pro vulg. Coniunctivis Praes. *Detrahemus* adeo in nonnullis libris est: et praecipiendi forma postulabat Futura.

causae noceamus, accidat: nam ad summam totius causae pertinet caute, an contra demonstrata res sit, quod omnis orationis reliquae fons est narratio.

331 Sequitur ut causa ponatur, in quo videndum est quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causae coniuncte, et infirmandis contraria, et tuis confirmandis. Namque una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet: ea autem et confirmationem, et reprehensionem quaerit: sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco haec et
332 natura, et utilitate, et tractatione coniuncta sunt. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando: omniaque quum superioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes iudicum quam maxime permovendas, et ad utilitatem nostram vocandas conferenda sunt.

333 Neque sane iam causa videtur esse, cur secernamus

---

331. *haec et natura, — coniuncta sunt.* Quoniam quid in rei *natura* esset iam dictum erat, praestabit corrigere, *ut natura, ita utilitate* —. Haud dissimilem coniunctionem *naturae* et *utilitatis* persequitur Crassus, III. § 178.

332. *rebus augendis, vel inflammando iudice, vel mitigando.* Nihil muto sententiam meam de hoc loco, qui in libris turpissime deformatus est. Non defendi posse contendo, ut *res augeri* dicantur *vel inflammando iudice, vel mitigando.* Duo illa verba, *inflammare* et *mitigare*, sane iunguntur quoque I. § 202: sed *iudicis* mentionem hinc alienam esse arguit sequens, *ad mentes iudicum permorendas*, quibus demum totius praecepti consilium explicatur. Et, quoniam eadem hic doctrina videtur proponi, quae Crasso tribuitur III. § 104, suspicor, locum sic restituendum esse, — *rebus vel augendis et inflammandis, vel mitigandis et abiiciendis. Res inflammare* quid sit apparet ex iis, quae dicuntur supra, § 209.

333. [*aut laudationibus*]. Oportebat saltem *aut de laudationibus*: sed totum hoc insititium est, ut bene vidit Kayserus. Etenim omnia, quae sequuntur, unas *suasiones* spectant; de *laudationibus* aliquanto post demum, § 341, pauca monentur. Sequitur Antonius eam distributionem, quam Crassus servarat, et praeceperat Aristoteles, (quare illud *tradenda sunt* mutandum in *tradita sunt*), ut prius diceret de *lite oranda*, quam partem modo absolvit, tum de *consilio dando*, exclusis laudationibus: conf. § 43. Idem ordo et transitus servabatur Invent. II. § 155, sq.

ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt [aut laudationibus]: sunt enim pleraque communia. Sed tamen suadere aliquid aut dissuadere gravissimae mihi personae videtur esse: nam et sapientis est consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit. Atque haec in senatu minore apparatu 82
agenda sunt: sapiens enim est consilium, multisque aliis dicendi relinquendus locus: vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. Contio capit omnem vim orationis, et 334
gravitatem varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius, quam dignitas: [nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt:] nemo est enim, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem: sed vincit utilitas plerumque, quum subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri. [Controversia autem est inter hominum sen- 335
tentias aut in illo, utrum sit utilius, aut etiam, quum

---

persuadere possit. Revocandum videbatur hoc, pro aliorum *possis.*

ingenii ostentationis suspicio. Qui duplici Genitivo (qualem notavimus supra, § 182) offendebantur, scripserunt in multis libris *ostentationisque.* Sed non difficile est ex aliis vocabuli depravationibus exsculpere hoc, quod mihi verum videtur, *ingenii ostentandi suspicio:* eoque ducunt ea ipsa, quae Ellendtius ad h. l. annotavit.

334. [*nam qui utilitatem — videt:*] Initium huius loci (*qui — putat*) licebit fortasse sic explendo interpretari, *qui putat utilitatem in suadendo optabiliorem esse, quam dignitatem.* Sed nulla sana sententia prodit e sequentibus, *non quid — videt.* Quid enim hoc, *qui putat, videt?* et quae est ista oppositio, *quid velit suasor*, et *quid sequatur?* Sunt ista omnia inepte supposita: et necessario copulanda sunt, -- *quam dignitas. Nemo est enim — maxime dignitatem. Sed vincit —.*

335. [*controversia autem est — consulendum sit.*] Iterum haec ab aliena manu interposita sunt, et intempestive, et inscite. Nihil huc pertinebat doctrinam illam h. l. explicare, quam tradit Offic. I. § 9, sq.: et, si haec tamen interponantur, e quorum postremis conficiendum est pugnam esse posse inter honestatem et utilitatem, perquam inepte iis subiicitur *quae quia pugnare inter se saepe videntur.* Sed videamus de verbis ipsis. Primum, constanter *controversia* apud Ciceronem dicitur esse *inter homines*, non, ut h. l., *inter hominum sententias:* putidum sit istud exemplis confirmare. Tum, in enumeratione plurium in illo genere controversiarum, perperam illae

id convenit, certatur utrum honestati potius, an u
litati consulendum sit.] Quae quia pugnare inter
saepe videntur, qui utilitatem defendet, enumer
commoda pacis, opum, potentiae, vectigalium, p
sidii, militum, ceterarum rerum, quarum frud
utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum
Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla, q
erunt vel cum periculo gloriosa, colliget, posteritat
immortalem memoriam augebit, utilitatem ex laud
nasci defendet, semperque eam cum dignitate con-
336 coniunctam. Sed, quid fieri possit, aut non possit,
quidque etiam sit necesse, aut non sit, in utraque
re maxime est quaerendum. Inciditur enim omnis de-
liberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas
affertur: et qui id docuit, non videntibus aliis, is pla-
337 rimum vidit. Ad consilium autem de re publica dandum,
caput est nosse rem publicam; ad dicendum vero pro-
babiliter, nosse mores civitatis; qui quia crebro mu-
tantur, genus quoque orationis est saepe mutandum:
et, quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen,
quia summa dignitas est populi, gravissima causa rei

---

distinguuntur Coniunctionibus *aut — aut*. Praeterea, praepostere res ita proponitur, ut prius certetur de eo, *utrum sit utilius* (in quibus abest etiam id, quod dicendum fuerat, *duobus propositis utilibus*), et post demum (*quum id convenit*) certetur *utrum honestati potius, an utilitati consulendum sit*. Ipsum hoc *honestati consulere* equidem nec ratione ulla, neque auctoritate defendi posse puto, ut sit idem, quod vel *sequi honestatem*, vel *operam dare honestati*.

qui utilitatem defendet. Dissentiens a novissimis Editoribus, et hic revocavi *defendet*, pro vulg. *defendit*, et mox *impellet*, pro *impellit*.

commoda pacis. Facile hoc intelligitur quid sit: non item *commoda opum, potentiae*, nisi forte sint hi Genitivi epexegetici. Sed quomodo *opes*, et *potentia*, quae singulorum esse solent, et reliquorum invidiam excitare, utilitate commendari possunt? Utrumque vocab. recte ponitur Offic. III. § 36, quem locum, melius constitutum et distinctum, adscribam: *hinc opum nimiarum, hinc potentiae non ferendae, postremo etiam — regnandi exstiterunt cupiditates*: vulgo et alterum *hinc* abest, et post *non ferendae* ita interpungitur, quasi *opum potentiae* iungenda essent, et *potentiae* Nominativus plur. esset, non Genitivus sing. pendens a *cupiditates*. Simile quid valet in verbis *praesidii, militum*, ad

publicae, maximi motus multitudinis, genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur; maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnumquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad gloriam concitandos, saepe etiam a temeritate, iracundia, spe, iniuria, invidia, crudelitate revocandos.

Fit autem ut, quia maxima oratori quasi scena vi- 83
detur contio esse, natura ipsa ad ornatius dicendi ge- 338
nus excitemur. Habet enim multitudo vim quandam talem, ut, quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator sine multitudine audiente eloquens esse non possit. Et, quum sint populares multi variique lapsus, 339
vitanda est acclamatio adversa populi, quae aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videtur, aut hominum offensione, vel invidia, quae aut iusta est, aut ex criminatione atque fama, aut res si displicet, aut si est in aliquo motu suae cupiditatis aut metus multitudo. His quatuor

---

quae Ernestus annotavit, sibi locum suspectum esse; nec, ut verum fatear, quidquam video, quo ista vel *praesidii*, vel *militum* mentio in hac sententia defendatur. Sed nihil attingere audeo. Quidquid sit, ne hoc quidem recte abesse puto, pertinere haec ad deliberationem pacis, an belli.

336. *qui id docuit — vidit.* Requiro *docuerit*, et *viderit*.

337. *genus quoque dicendi — esse adhibendum videtur.* In hac sententia *adhibendi* verbum postulat adiunctum Dativum. Corrigo, — *illustrius his adhibendum videtur.*

saepe etiam a temeritate — revocandos. Modo dixerat, ad quae *concitandi* essent animi, in quibus *spem* posuerat: nunc violentiora subiicit, a quibus essent *revocandi;* quorum reliqua bene se habent, sed in quibus perquam inepte ponitur *spes*, quod quo modo corrigam non habeo, nisi forte probetur *saevitia*, aut *asperitate*.

338. *maxima oratori quasi scena videtur contio esse.* Secutus sum Kayserum. Edi solebat *maxima quasi or. sc. videatur contionis.*

339. *vitanda est acclamatio.* Non assequor, quo modo orator possit *vitare acclamationem* (quae cum *strepitu* iungitur Invent. I. § 25): et si possit, non opus erat *medicinis*, de quibus statim adiicit. Scripsitne *vincenda est?*

causis totidem medicinae opponuntur, tum obiurgatio, si est auctoritas, tum admonitio, quasi lenior obiurgatio, tum promissio, si audierint, probaturos, tum deprecatio, quod est infimum, sed nonnumquam utile.
340 Nullo autem loco plus facetiae prosunt, et celeritas, et breve aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore: nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode, et breviter, et acute, et hilare dicto deducitur.

84 Exposui fere, ut potui, vobis, in utroque genere causarum quae sequi solerem, quae fugere, quae spec-
341 tare, quaque omnino in causis ratione versari. Nec illud tertium [laudationum] genus est difficile [quod ego initio quasi a praeceptis nostris secreveram]: sed et quia multa essent orationum genera, et graviora, et maioris copiae, de quibus nemo fere praeciperet, et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis, aut hominis alicuius ornandi, quam utilitatis huius forensis causa, laudationes scriptitaverunt; quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philip-

---

340. *celeritas.* Non admittenda erat Schutzii correctio *hilaritas*. *Celeritas* cum *dicto* iungitur quoque § 220.

quae sequi solerem. Alienum est h. l. Imperfectum e persona Antonii. Corrigendum, *soleam*: conf. § 204, sq.

341. *nec illud tertium — segregabam locum.* Non assentior Kaysero hunc locum sic constituenti, ut primum *nec*, tum *est difficile quod*, postremo *sed* includeret. Exposuerat Antonius de genere iudiciali, et de suasionibus: nec, addit, difficile est, quamquam fortasse minus necessarium, laudationes tractare et praeceptis quibusdam instruere. Sed *illud tertium genus* non indigebat explicatione interpolata *laudationum* (pro quo perperam ascivit Kayserus *laudationis*): refertur hoc enim ad § 43. Praeterea, quum sententiae clausula iusta haec sit, *totum hunc segregabam locum*, otiosa et in primis inepta sunt haec, *quod ego initio a praeceptis nostris secreveram*, quae probae etiam Latinitati adversantur, quoniam *secernere quid ab aliquo* est distinguere, diversum ponere, non, ut h. l. videtur, excludere, segregare: cf. Orat. § 63: addo, *praecepta* commemorare potuisse Antonium, non item *praecepta nostra*.

magis legendi et delectationis — causa. Non capio interpretandi rationem eorum, qui *et*, ante *delectationis*,

pus, Alexander, aliique laudantur. Nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem contionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sed tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnumquam etiam scribendum, vel ut Q. Tuberoni, Africanum avunculum laudanti, scripsit C. Laelius, vel ut nosmet ipsi ornandi causa Graecorum more, si quos velimus, laudare possumus, sit a nobis quoque tractatus hic locus. Perspicuum est igitur alia 342
esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiae, ceteraque, quae fortuna dat aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur: sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda in laudationibus etiam haec sunt naturae et fortunae bona, in quibus est summa laus non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae, ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. Virtus autem, quae est per se ipsa 343

---

omitti volunt. *Legendi causa*, i. e. ut legantur, de quo usu, praeter Grammaticos recentiores, annotavit Ruhnkenius ad Sueton. Galb. 8. Conf. supra, § 243. Tusc. II. § 18, quem locum infeliciter tentavit Beierus, apud Orellium. Neque novum est hoc discrimen, ut aliae legendi causa, aliae delectationis compositae dicantur orationes; siquidem Isocrates, περὶ Ἀντιδ., initio, τὸν μέλλοντα ἀναγνωσθήσεσθαι distinguit ab iis, quae πρὸς τοὺς ἀγῶνας, aut πρὸς ἐπιδείξεις destinatae sunt; simileque discrimen servare solet Dionysius Halic.

quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sensus est, funebrem contionem non (ut alteram illam contionem, § 338, init.) accommodatam esse ad id, ut in ea *orationis laus*, praestantia, attingatur. Perperam Ernestus commendabat, *oratoris laudem.*

quoniam est utendum. Perperam alii ediderunt *qu. et utendum.*

vel ut — vel ut. Vulgo *velut — velut.*

possumus. Praetuli hoc prae altero, *possimus.*

342. *summa laus non extulisse se.* Eadem forma servatur § 346.

343. *ad laudationem aptior.* Puto sic vitiose dici; et requiro, *ad laudandum*, i. e. ut laudetur. Sic modo, § 312, *causae* dicuntur *ad agendum et ad ornandum gravissimae.* Conf. § 346.

laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae virtutes quae videntur in moribus hominum, et quadam comitate ac beneficentia positae, aliae, quae in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus (omnes enim hae
344 virtutes non tam ipsis, qui eas habent, quam generi hominum fructuosae putantur): sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues, et pro nihilo putantur, et in excogitando vis quaedam ingenii, et ipsa eloquentia admirationis habent non minus, iucunditatis minus: ipsos enim magis videntur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri: sed tamen in laudando iungenda sunt etiam haec genera virtutum: ferunt enim aures hominum tum illa, quae iucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari.

85 Et, quoniam singularum virtutum sunt certa quae-
345 dam officia ac munera, et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit; itemque in ceteris res gestae ad cuiusque virtutis genus et vim
340 et nomen accommodabuntur. Gratissima autem laus

qui eas habent. Bene omissum est, quod e multis libris proferebatur, *in se*, ante *habent*. Nam, *in se habere* de re tantum dicitur, quae aliquid a natura et ingenitum habent, atque ita nexum supra, § 342. Simplex, *habere virtutes*, est I. § 83. Conf. Fin. III. § 17. Vv. eruerunt mihi novissimi Editores.

344. *magis videntur*, *tueri*. Receptum a Kayserо, ex aliis libris, quod commendaveram, *videntur*, pro vulg. *videtur*.

quae mirabilia sunt in virtute, laudari. Neque *mirabilia in virtute*, neque *laudari in virtute* recte iunguntur. Credo, *in virtute* interpolatum esse. Modo correxi, *tum illa*, pro vulg. *quum illa*.

346. *ea enim denique*. Corrigendum, *demum*. Tum mox, *quae sit fructuosa*.

eorum factorum habetur, quae suscepta vĭdentur a viris fortibus sine emolumento ac praemio: quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum, quod et dici ornatissime possunt, et audiri facillime: ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Magna etiam illa laus et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Neque tamen illa non 347
ornant, habiti honores, decreta virtuti praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est. Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares: neque enim parvae, neque usitatae, neque vulgares admiratione, aut omnino laude, dignae videri solent. [Est etiam cum ceteris praestantibus 348
viris comparatio in laudatione praeclara.] [De quo genere libitum mihi est paullo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam.] Iam vituperandi praecepta contrariis ex vitiis sumenda 349

---

347. *decreta virtuti praemia.* Sic edidi ex Lambini mente: vulg. *virtutis.* Attigi has locutiones Scholic. Hypomn. V. p. 23. — Mox, *tribui* mutandum censeo in *tribuere.*

348. [*est etiam cum ceteris — praeclara.*] Non dubito pronuntiare, haec inepte hic interpolata esse. Languidum in primis hoc adiicitur iis, quae satis copiose de virtutibus aptis ad laudandum explicuerat. Tum, non intelligi possunt *ceter* praestantes viri: minus etiam *comparatio praeclara.*

[*de quo genere — esse necessariam.*] Explicandum est quae me in his ita offendant, ut ea non putem Ciceronis esse. Primum, aperta tautologia servatur in his, *virtutum cognitionem esse necessariàm*, cum illis, in seqq., *sine virtutum cognitione laudari non posse.* Tum, non satis conspirant haec, *non tam propter usum forensem*, et seqq.

esse perspicuum est: simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione satis insignite atque aspere posse. Atque his locis et laudandi, et vituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.

350 Habetis, de inveniendis rebus disponendisque quid sentiam. Adiungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem, neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam, nisi ea, quibus haec exornentur.

86 Perge vero, inquit Crassus: libenter enim te cognitum iam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuae nudatumque perspicio: et, quod mihi nihil, aut quod non multum relinquis, percom-

351 mode facis, estque mihi gratum. Iam istuc, quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo: sin dissimulare, tu, quemadmodum his satisfacias, videris. Sed, ut ad rem redeam, non sum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriae malim: gratiamque habeo Simonidi illi Ceio, quem primum ferunt artem memoriae

352 protulisse. Dicunt enim, quum cenaret Crannone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum

---

nobis est utendum in omni genere causarum. Peccatur porro in Latinitate, quum dicitur *usum forensem in hoc sermone tractatum esse:* dici potuerat *genus laudationum tractatum esse*, idque factum esse, quod eo genere utendum esset. Postremo, *laudationem efficere* dicitur cum turpi sermonis ignorantia. Omnibus illis sublatis, post verba *videri solent* aptissime subiicitur totius doctrinae absolutio haec, *iam vituperandi* cet.

350. *integumentis dissimulationis tuae.* De *dissimulatione* notavi ad § 275. *Nudatus*, scil. *integumentis*, nunc melius dicitur, quam supra, I. § 172.

352. *se dimidium eius* [*ei*], — *daturum.* Multo melius *ei* in uno alteroque libro omittitur, quoniam sequens *quod* necessario ad *eius*, sc. pretii, referendum est.

353. *esse ferunt nuntiatum.* Non tantum contra sermonis morem inter-

scripsisset, in quo multa ornandi causa, poetarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius [ei], quod pactus esset, pro illo carmine daturum, reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simo- 353
nidi, ut prodiret; iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent: surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem: hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse: ea ruina ipsum cum [cognatis] suis oppressum interisse: quos quum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo: Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret: itaque iis, qui hanc partem 354
ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda; sic fore ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur.

Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta uti- 87
litas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere, quae 355
didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris, om-

---

ponitur illud *ferunt*, sed manifesto interpolatum est: continuantur illi Accusativi cum Infinitivis, suspensi a *dicunt*. Conf. I. § 28.

ea ruina ipsum cum [*cognatis*] *suis oppressum interisse.* Aliquid in his turbatum fuisse conficias ex incerto loco, qui verbo *suis* tribuitur in libris. Hinc Kayserus hoc ipsum, *suis*, inclusit. Hoc certe vitiosum erat, quum legebatur *cum cognatis oppressum suis interisse*, quoniam *oppressum interisse* sic divelli a se invicem non patitur sermonis constans consuetudo: nec credibile est et hic *suos* appellatos, et mox (*quum humare vellent sui*) idem Pron. alio modo esse usurpatum. Sed ne *cognatis* quidem verum esse suspicor, quod per errorem substitutum fuerit ei, quod Cicero mihi reliquisse videtur, *cenantibus*.

355. *quae ipse cogitaris.* Seiungi haec oportet a praecedd., corrigendumque, *quaeque*.

nes fixas esse in animo sententias, omnem descriptum verborum apparatum, ita audire vel eum, unde discas, vel cum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint, quid responderint, quid supersit: iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt.
356 Quare confiteor equidem, huius boni naturam esse principem [sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium; sed haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam et similitudo est, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam
357 in nobis et procreata, educet atque confirmet]; verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur; neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adiuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa; acerrimum autem

---

356. *sicut earum rerum, — confirmet*] Ellendtius sane haec parentheseos signis incluserat, quod Kayserus non secutus est. Equidem non facile concedam, hanc otiosam paraphrasin eorum, quae Antonius supra, § 231 sq., eleganter dixerat, tam inopportuno loco a Cicerone insertam fuisse.

357. *acerrimum — sensum videndi.* Dicitur sane *sensus audiendi*, Somn. Scip. cap. 5, fin. Sed frequentius est *sensus oculorum*, Divin. I. § 71 et II. § 107. Fin. II. § 52. Tusc. V. § 111. cf. infra III. § 160.

teneri posse ea, quae perciperentur. E v. l., *ea si quae percip.*, conicio scriptum fuisse *ea, quae quasi percip.*, sicuti mox dicitur, *ut ea, — intuendo quasi teneremus.* Fortasse istiusmodi excusandi forma eo commendabitur, quod *cogitatione percipere* certe improprie dicitur. Mox, pro *si etiam*, malim *si iam.*

358. *his autem formis — sede opus est.* Sunt haec arctissime iungenda cum proxime antecedentibus, in quibus, memoriae causa, commendabatur ut imago et figura conformaretur rerum ab aspectus iudicio remotarum, nunc autem postulatur ut illis formis sedes tribuatur. Sed locum, misere vexatum in libris, inepta interpolatione liberandum esse vidit Kayserus, aliorum librorum, ut opinor, secutus auctorita-

ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi; quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam commendatione oculorum animis traderentur; ut res caecas et ab aspectus iudicio remotas conformatio quaedam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti non possemus, intuendo quasi teneremus. His autem 358
formis atque corporibus, sicut omnibus, quae sub aspectum veniunt, sede opus est: etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare, ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis, imaginibus autem agentibus, acribus, quae occurrere celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, et similium verborum conversa, et immutata casibus, aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine totius sententiae informatio, pictoris cuiusdam summi ratione et modo, formarum varietate locos distinguentis.

Sed verborum memoria, quae minus est nobis ne- 88
cessaria, maiore imaginum varietate distinguitur. Multa 359

---

tem, ita ut verba *admonetur — excitatur* includeret, quum ne ipsum quidem *admoneri memoriam* per se recte dicatur, neque de *excitanda memoria* sermo sit, sed de eius quasi praesidio et munimento.

quae occurrere celeriterque percutere animum possint. Levi mutatione legendum, *quae occurrere celeriter et percutere —:* non in hoc postremo, sed in *occurrendo* postulari poterat *celeritas.*

quam facultatem et exercitatio dabit —. In his complura esse fateor, quae mihi saepe consideranti obscura sunt, nec quidquam mihi prodest, quod Kayserus commendat, ut copula ante *exercitatio*, et ante *similium* tollatur. Quis porro est *pictor summus?* In extremis fortasse corrigendum *formarum varietate locisque dist.* Sed, ut dixi, plane in his caecutio: et nihil istorum requirerem, si, levi correctione adhibita, his contineretur tota illa sententia, *quarum (imaginum) facultatem exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur.* Neque, si *sententiae informationem*, quae *imagine* fiat, interpretari licet de forma et specie, quae, ope imaginis, sententiae tribuatur, (Conf. N. D. I. § 100 et III. § 16) ita tamen perspicuum est, quid sit *verbi imago.*

359. *maiore imaginum varietate di-*

enim sunt verba, quae, quasi articuli, connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt: eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris: eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, et divina prope memoria, Athenis Charmadam, in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque, tamquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae meminisse vellet perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis, sed certe, si latet, evocanda est.

Habetis sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe, non nimis verecundi; qui quidem, [quum] te, Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim: nam istorum aetas minus me fortasse movere debuit: sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quae causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

---

stinguitur. Credo, huic demonstrationi consentaneum esse ut legatur *minore*, pro *maiore*, propterea quod verba multa esse dicit, quae nullam propriam ex similitudine formam admittant, in quibus igitur semper iisdem imaginibus sit utendum.

eam singulis personis bene positis notare possumus —. Totum hunc locum olim tractavi, sed ita ut ista mihi nunc minus satisfaciant. Necesse tamen est ut complura in his vitiose legantur. Quid est *memoriam notare?* quid *personae bene positae?* frustra certe hucusque contuli Quinctilianum, qui I. O. XI. 2, inde ab initio, et totum hoc argumentum, et hunc ipsum Ciceronis locum explicat. Initio fort. praestabit *earum singulas*.

360. *obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset*. In his, si *tenere* i. q. *intuendo tenere*, ut modo dicebatur, rectum est *obscurari*. Tamen pronus sum ad corrigendum, ut potius *obrui* legatur, quod melius convenit cum *opprimendi* verbo: conf. I. § 116. *Obscurandi* et *obruendi* verba iunguntur infra., III. § 215. Ceterum conferri potest Anonymus De Memoria, quem cum Apsine edidimus, p. 159, sqq.

Nos vero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc, et 89
pro meo fratre respondeo) non modo tibi ignoscimus, 362
sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam;
et quum humanitatem et facilitatem agnoscimus tuam,
tum admiramur istam scientiam et copiam. Equidem
etiam hoc me assecutum puto, quod magno sum le-
vatus errore, [et illa admiratione liberatus,] quod mul-
tis cum aliis semper admirari solebam, unde esset illa
tanta tua in causis divinitas: nec enim te ista attigisse
arbitrabar, quae diligentissime cognosse, et undique
collegisse, usuque doctum partim correxisse video, 363
partim comprobasse. Neque eo minus eloquentiam
tuam, et multo magis virtutem et diligentiam admiror,
et simul gaudeo iudicium animi mei comprobari, quod
semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquen-
tiae sine summo studio et labore et doctrina consequi
posse. Sed tamen quidnam est, quod dixisti, fore ut
tibi ignosceremus, si cognossemus, quae te causa in
sermonem impulisset? Quae est enim alia causa, nisi
quod nobis, et horum adolescentium studio, qui te
attentissime audierunt, morem gerere voluisti? Tum 364
ille, Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso
volui, quem ego paullo [ante] sciebam vel pudentius, vel

---

361. [*quum*] *te Catule*. Tollendum illud *quum*, a sententia alienum.

362. *nos vero*, sc. ignoscimus. Conf. ad § 290. Itaque haec, *non modo tibi ignoscimus*, interpolata esse suspicor: tum sequens *sed* mutandum in *et*. Sed Pron. *hoc* loco mutandum est, ut legatur *et pro hoc meo fratre*.

equidem etiam hoc me assecutum puto. In multis libris *etiam* omittitur: neque est huius loci. Sed praestat mutare in *iam*, sicut in simili loco dicitur, § 59.

quod magno sum levatus errore. Hoc proprie dicitur, non item *admiratione liberatus*, quoniam in *admiratione* nullum vinculum, nullaque necessitas cogitari potest: tum inscite haec ita iunguntur, *illa admiratio, quod admirari solebam*. Sublatis illis, *et illa admir. liberatus*, legendum, *quum multis cum aliis mirari solebam* —. Est sane *admirari soleo* supra, § 126; sed conf. § 59.

363. *in sermonem*. Requiritur *in hunc sermonem*.

studio — morem gerere. Ita, I. § 99, *studio obsequi*: conf. ad I. § 135: unde confirmatur, quod corrigendum dixeram supra, I. § 3.

364. *quem ego paullo* [*ante*] *scie-*

invitius(nolo enim dicere de tam suavi homine, fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? Consularem se esse hominem et censorium? eadem nostra causa est. An aetatem afferet? quadriennio minor est. An se haec nescire? quae ego sero, quae cursim arripui, quae subsicivis operis (ut aiunt), iste a puero, summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentem qui audiret, nemo umquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius, aut eodem modo se posse dicere; Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se umquam dicturum esse confideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus.

90 Tum ille, Ut ita esse concedam, inquit, Antoni,
365 quae sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio. Saepe ego doctos homines, quid dico saepe? immo nonnumquam: saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, nec inde umquam diutius quam quaestor afuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem, doctissimos viros, et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, quum de his ipsis rebus disputaret: neque vero mihi quisquam copiosius umquam visus est, neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio praetermissum, non essem tam inurbanus et paene inhumanus, ut in eo
366 gravarer, quod vos cupere sentirem. Tum Sulpicius,

---

bam — accedere. Non iniuria Kayserо displicet *sciebam;* nec tamen recte corrigit, *sentiebam.* Aptius corrigetur, *videbam.* Quod ante hoc multi libri habent, *ante*, recte damnatur.

365. *in hoc genere dicendi.* Teneo, quod conieceram, ut *docendi* legeretur. Diversum, neque huius loci est *dicendi genus.* Eadem in libris confusio Fin. III. § 4.

An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi eius distinctionem atque ornatum relinqueret? Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut et mei partes faceret, et, utram vellet, prior ipse sumeret? Deinde, si ego recte intellexi, quum valde libenter audirem, mihi coniuncte est visus de utraque re dicere. Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen suum invenit. Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumsit. Tum Caesar, 367
Si, quod difficilius est, id tibi reliquit, est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus: sin, quod facilius, tibi causa non est, cur recuses. Et Catulus, Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem tuam putas pertinere? Tum Cotta ridens, Possem tibi, inquit, Crasse, concedere; sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis: hoc opus censorium est: id autem committere, vides, quam homini censorio conveniat. Agite vero, ille inquit, ut vultis. Sed nunc quidem, quoniam est id temporis, surgendum censeo et requiescendum: post meridiem, si ita vobis est cómmodum, loquemur aliquid, nisi forte in crastinum differre mavultis. Omnes se vel statim, vel, si ipse post meridiem mallet, quam primum tamen audire velle dixerunt.

---

366. *ut et mei partes faceret.* Alii *meas* pro *mei*: unde corrigendum est, *has partes.*

367. *vides.* Malim *vide*: quo Imperativo utuntur, ubi admonitio intelligenda est, ne quid peccetur.

loquemur. Aptius erit *colloquemur.* Conf. ad I. § 133.

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBER TERTIUS.

1 Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem re-
1 ferre et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus [L. Crassi] morte exstincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore
2 libro continetur. Ut enim Romam rediit, extremo scenicorum ludorum die, vehementer commotus oratione ea, quae ferebatur habita esse in contione a

1. *cum sermonem — quem — Crassus habuisset.* Ut h. l. *sermo* de unius disputatione dicitur, ita explicandum, quod legitur II. § 89. Conf. II. § 234 et sequ. Contra, I. § 41, *in sermonis disputatione.* Ut hoc loco *sermonem habere*, ita supra, II. § 196, *verba habere*: Sest. § 42, *conciones habere*: tum, *voces habere* animadverti Scholic. Hypomn. V. p. 340.

illa virtus [L. Crassi] morte exstincta —. Quoniam, quod his Substantivis praeponitur Pronomen, ipsum per se indicat Crassum, inepta est interpolatio Nom. proprii: neque enim cuiusquam alius, neque universe ingenium exstingui poterat Crassi morte. Diversum esse intelligitur, quum legimus in Bruto, § 328, *Q. Hortensii vox exstincta fato suo est.*

3. *ut saepe — constare vidi.* Dixi corrigendum esse, *audivi*, (quo modo corrigebam supra, I. § 46) quoniam illud (*inter hom. saep. constare*) *videre* non potuerit Cicero. De constanti illo hominum iudicio *saepe audire* potuit: *saepe videre* non nisi in facto et eventu iterato dicere licet. Hinc in multis Codd. *audiri* inculcatum post *iudicatum.* Et soient ita iungi *saepe audiri*, ut I. § 129, III. § 133. Brut § 252. Republ. II. § 15. Legg. I. § 15. Con-

Philippo, quem dixisse constabat, *Videndum sibi esse aliud consilium, illo senatu se rem publicam gerere non posse:* mane Idibus Septembribus et ille, et senatus frequens, vocatu Drusi, in curiam venit. Ibi, quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod in eum ordinem consul tam graviter in contione esset invectus. Hic, ut saepe 3
inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut numquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a se superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus; cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis: neque vero esse mirandum, si, quum suis consiliis rem publicam profligasset, consilium senatus rei publicae repudiaret. Hic quum homini, et vehementi, et diser- 4
to, et in primis forti ad resistendum, [Philippo,] quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, et graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum

---

tra, *constare video*, ut I. § 104, recte dicitur, ubi sermo est de praesentibus et aequalibus testibus, non item in eo, quod ex traditione demum cognitum est. Et *constare* h. l. Imperfectum est, cuius Indicativus, item in re praeterita, ponitur infra, § 5 et 214. — De oratione obliqua (*esse iudicatum*) suspensa ex interposito *constare*, post Matthiaeum, reliqui Editores eam interpretationem probaverunt, et ipse de illo genere monui Bibl. Crit. N. III. p. 85 et 361.

si — consilium senatus rei publicae repudiaret. Quod novissime edi solitum est, *a re publica repud.*, ne Latinum quidem est: reliquae varietates hae sunt, *in re publica*, *in remp.*, et *re publica*. Sed manifestum est *rep.* ortum esse ex initio sequentis verbi, *repudiaret*. Cicero mihi videtur nihil nisi hoc reliquisse, *si consilium publicum repudiaret*, quibus ad interpretandum nomen *senatus* insertum est. Apte autem Philippi (*suis*) *consiliis* opponitur *consilium publicum*, de quo disputavi Scholic. Hypomn. V. p. 66 et 240: conf. Rabir. Perd. § 4.

4. [*Philippo*]. Recte hoc a Kaysero inclusum est.

diminitus dicta efferebantur. Hoc, prae altera lectione, *ferebantur*, Pide-

instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, quum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset: *An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi Romani concideris, me his existimas pignoribus terreri? Non tibi illa sunt caedenda, si Crassum vis coercere: haec tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.*

2 Permulta tum vehementissima contentione animi,
5 ingenii, virium ab eo dicta esse constabat, sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis et gravissimis verbis, ut populo Romano satisfieret numquam senatus neque consilium rei publicae, neque fidem defuisse, [ab eo dictam;] et eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) scribendo
6 affuisse. Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio; quam quasi exspectantes post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium [illud] ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus, ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo lateris
7 dolore consumtus est. O fallacem hominum spem, fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones!

---

ritius quoque probavit, secundum Lambinum, qui similiter corrigebat infra, § 214.

5. [*ab eo dictam*;] In quibusdam libris *dictam* omittitur. Sed totum hoc emblema esse, arguit primum collocatio, qua nimio intervallo disiungitur ab *sententiam*, tum, praecedens *dicta esse*.

6. *quam quasi exspectantes — veniebamus in curiam.* Minus recte Pideritius interpretatur *exspectantes*, tamquam si iterum audiri potuisset. Sensus est, non prius in curiam venimus, sed quasi illam vocem exspectavissemus, post demum, ut vestigium tantum eius contueremur. Quid sit *in curiam venire*, dixi Scholic. Hypomn. V. § 65. Livius, XXVII. 8. 8, sic *ingredi in curiam* appellat, diversum ab eo, quod modo ante dixerat, *in senatum introire*, de iure illo usurpato.

ut vestigium [illud] ipsum. Non utitur sententia duplici Pronomine: indicatio continetur iis, quae adiiciuntur. Ideo *illud* tollendum censeo.

quae medio in spatio saepe franguntur et corruunt, aut ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam, quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta, tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut rei publicae dignitate: qui autem annus ei primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. Fuit hoc 8
luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus: sed ii tamen rei publicae casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a Diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

Et, quoniam attigi cogitatione vim varietatemque for- 3
tunae, non vagabitur oratio mea longius, atque iis fere 9
ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre coepimus, continentur. Quis enim non iure beatam L. Crassi mortem illam, quae est a multis saepe defleta,

---

7. *et ante in ipso cursu obruuntur.* Non accipio emendationem, quam libris nonnullis se debere profitetur Ellendtius (probante Kaysero), ut legatur *aut ante.* Minime haec distinguuntur a praecedd., quae hinc potius variationis cumulum accipiunt.

quam fructu amplitudinis, aut rei publicae dignitate. Duo illa sic distinguuntur, ut *amplitudo* ad Crassi fortunam, *dignitas* autem ad civitatis statum et otium referatur. Dicitur autem *fructus amplitudinis* per Genitivum comparationis, i. e. amplitudo, tamquam fructus. Similia dicuntur de Hortensii morte, in exordio Bruti.

morte pervertit. Corrigendum puto, *evertit.*

8. *in qua ipse — gloria praestitisset.* Perperam in aliquot libris *gloria* omittitur. Ita *gloria praestare* recurrit in Brut. § 103. Conf. supra, I. § 1.

9. *attigi cogitatione.* Dubito, an proprie dicatur. Probarem, *recordatione.*

referre coepimus. Defendi videtur alterum, *suscepimus;* simili loco, II.

dixerit, quum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere collocuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria Q. Catulum, virum omni laude praestantem, quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita
10 se ipse privaret. Iam M. Antonii in iis ipsis rostris, in quibus ille rem publicam constantissime consul defenderat, quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Iulii caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum L. Iulii fratris capite iacuit: ut ille, qui haec non vidit, et vixisse cum re publica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur. Neque enim propinquum suum, maximi animi virum, [P. Crassum,] suapte interfectum manu, neque collegae sui, pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestae respersum vidit: cui moerori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die
11 mors fuisset nefaria. Non vidit eorum ipsorum, qui

---

§ 11, cuius tamen diversa sententia est: hoc loco postulatur *coepimus*.

qui cum illo — collocuti sunt. Exemplo multorum librorum omisi *tum*, ante *cum* inculcatum.

10. *positum caput — multorum civium capita servata*. Quaesita venustas in his minus probanda. Sed non abiiciendum *civium*, cum gravitatis interitu. Post *respersum* omisi *esse*.

[*P. Crassum*,] Interpolatum mihi videtur: ne pontificis quidem, Q. Mucii, mox nomen apponitur.

11. *cui quidem, ad summam gloriam eloquentiae florescenti* —. Sic libri omnes, praeter Gu. 2, in quo est *florenti*. Ernestus corrigendum putavit, *efflorescenti*, quod novissimi Editores secuti sunt. Huic coniecturae obstat, quod *efflorescere* vel de iis dicitur, quae sponte alicunde nascuntur, ut supra, I. § 20. II. § 319, vel de ubertate et abundantia, sicuti, Coel. § 77, iuvenilis aetas dicitur *efflorescere ingenii laudibus*. Sed *efflorescere ad gloriam* inauditum est, nec defendi posse puto. Intelligerem, *ad summam gloriam eloquentiae crescenti*. De Sulpicio Antonii iudicium legimus II. § 88—96. *Dicendi gloria* est I. § 58.

poena temeritati — constituta. Sic correxi vulg. *temeritatis*. Conf. Pison. § 72. et considerandus Liv. XXXIX. 55. 3.

12. *tum vitae flore*. Sic edidi de meo, pro vulg. *cum*, quod ferendum, si mors pars vitae cogitari posset.

et ortum, et exstinctum. Pro *ortum*, alii proferunt *ornatum*, a Kaysero susceptum: hoc liberandum potius prima

tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus; ex quibus Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate, Sulpicius autem, qui in eadem invidiae flamma fuisset, quibuscum privatus coniunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate: cui quidem, ad summam gloriam eloquentiae florescenti, ferro erepta vita est, et poena temeritati non sine magno rei publicae malo constituta. Ego vero te, Crasse, quum vitae flore, tum mortis op- 12
portunitate, divino consilio et ortum, et exstinctum esse arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi constantiaque tua civilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut, si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriae spectatorem coegisset: neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam, propter admixtam civium caedem, bonorum victoria moerori fuisset.

Mihi quidem, Quinte frater, et eorum casus, de 4
13

---

syllaba erat, quoniam satis perspicuum est fluxisse illud ex mixta utraque lectione, *ortum* et *natum*. In hac sententia numquam *ortus*, sed *natus* ponitur, et hoc ipsum requiritur propter oppositum, *exstinctum* Exempla ex Indicibus proferre putidum sit.

subeunda fuit. Non ignoro, Perfectum Indicativi sic usurpari pro Plusqperf. Coniunctivi: sed propter sequ. *cŏēgisset*, et *fuisset*, hic quoque corrigendum videtur, *fuisset*.

funerum patriae spectatorem. Plurale ponitur, quoniam de singulis illis casibus valebat hoc, ut *funeris patriae* appellatione significarentur. Ita, Prov. Cons. § 45, dixit *earum illum meum funus esse rei publicae*. Alio quodam modo Gabinium et Pisonem ipsos appellat *rei publicae portenta ac funera*, ibid. § 2.

propter admixtam civium caedem bonorum. Solent ita *boni* opponi *improbis*: Sest. § 43, *vicissent improbos boni*. Unde apparet non esse iungenda *civium bonorum*, sed dominatui improborum opponi *bonorum victoriam*. Sed perperam huic victoriae *admixta* dicitur *caedes civium*. Propius verum attingit altera lectio, *admistam*. Nempe, postulatur *admissam*, i. e. commissam, patratam.

13. *incredibilia et singularia*. Sic de meo correxeram vulg. *incredibilem et singularem*, quod dedecere Ciceronem putabam ut his verbis suum amorem in rem publicam extolleret. Quod restitui, convenit cum eo, quum mox dicit *summi labores nostri*. Secutus est Kayserus.

mihi — cogitanti, sententia saepe tua

quibus ante dixi, et ea, quae nosmet ipsi ob a[illegible]more
in rem publicam incredibilia et singularia pert[illegible]lim
ac sensimus, cogitanti, sententia saepe tua vera [illegible]ac
piens videri solet, qui propter tot, tantos tam [illegible]on
cipitesque casus clarissimorum hominum atque opt[illegible]in
rum virorum me semper ab omni contentione ac d[illegible]in
14 catione revocasti. Sed, quoniam haec iam neque[illegible]
integro nobis esse possunt, et summi labores no[illegible]t
magna compensati gloria mitigantur, pergamus ad [illegible]
solatia, quae non modo sedatis molestiis iucunda, s[illegible]
etiam haerentibus salutaria nobis esse possunt; ser[illegible]
monemque L. Crassi reliquum ac paene postremum me[illegible]
moriae prodamus; atque ei, etsi nequaquam parem il[illegible]
lius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gra-
15 tiam debitamque referamus. Neque enim quisquam nostrum, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus [omnibus] fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen maius quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur: quod item nos postulamus, non a te quidem, qui nobis omnia summa tribuis, sed a ceteris, qui haec in manus sument, maius ut quiddam de L. Crasso,
16 quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. Nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus, et quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque

vera — videri solet. Ineptum locum in his occupat Adv. *saepe*. Suspicor, legenda haec esse hoc ordine, *saepe cogitanti, sententia tua—*.

14. *summi labores*. Melius, certe usitatius, erit, *maximi labores*, qui Superlativus fieri potest ut in illum corruptus fuerit.

15. *mirabiliter*. Praestabit, *admirabiliter*. Conf. notata ad § 26.

in quibus [*omnibus*]. Multorum auctoritate librorum omittendum *omnibus*, quod adeo putide et inepte adiunctum est.

qui nobis omnia summa tribuis. Non concedo Pideritio, haec iocantem scripsisse Ciceronem, quasi nil nisi perfectum ab eo exspectaret Quintus frater. Non ideo a fratre postulabat, ut maius quiddam de Crasso suspicaretur, quod is omnia summa tribueret Ciceroni: quid enim istud ad rem? sed ideo, quod Quintus ipse omnia summa tribueret Crasso. Hinc corrigendum

oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quodsi quis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium ieiuniorem, aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quo modo a nobis uterque inductus est, is erit ex iis, qui aut illos non audierint, aut iudicare non possint: nam fuit uterque, ut exposui antea, quum studio atque ingenio et doctrina praestans omnibus, tum in suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret.

Ut igitur ante meridiem discesserunt, paullulumque 5
requierunt, in primis hoc a se Cotta animadversum 17
esse dicebat, omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse; seseque, qui vultum eius, quum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset, atque in maximis causis saepe vidisset, tum dedita opera, quiescentibus aliis, in eam exhedram venisse, in qua Crassus lectulo posito recubuisset: quumque defixum in cogitatione esse sensisset, statim recessisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumtas. Deinde, quum omnes, inclinato iam in pomeridianum tempus die, venissent ad Crassum, Quid est, Crasse, inquit Iulius, imusne sessum? etsi admonitum venimus te, non flagitatum. Tum Crassus, An me tam 18
impudentem esse existimatis, ut vobis hoc praesertim

---

censeo, *qui nobiscum omnia summa tribuis ei, sed —.*

quam quantum a nobis exprimetur. Quod in paucis libris omissum est, *a nobis*, eo haec sententia carere non potest.

16. *sermoni — disputationis.* Alibi quoque his nominibus promiscue utitur.

17. *in cogitando.* An, *in commentando?*

18. *quinam igitur, inquit ille, locus?* Non apte sic respondetur iis, quae praecedunt, *imusne sessum?* Scriptum fuisse credo, *quonam igitur, inquit ille: an in mediam silvam placet? est enim is maxime opacus et frigidus locus.*

sedes — non inopportuna sermoni. Novissimi Editores maluerunt sequi librorum lectionem, *importuna:* Ellendtius adeo demonstrare conatur, eleganter hoc pro illo poni. Sed, quos excitat locos, adversantur ei doctrinae: nam et in Salustio Iug. 92, 7, et in Tacito Ann. XII. 12. *importunus* nihil aliud est, nisi difficilis aditu.

munus putem diutius posse debere? Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media silva placet? est enim is maxime et opacus et frigidus. Sane, inquit Crassus: etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni. Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur, et ibi magna cum audiendi exspectatione considitur.

19 Tum Crassus, Quum auctoritas atque amicitia vestra, tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea causa libertatem recusandi. Quamquam in partienda disputatione nostra, quum sibi de iis, quae dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret, ea divisit, quae seiuncta esse non possunt. Nam, quum omnis ex re atque verbis constet oratio, neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris,
20 neque res lumen, si verba semoveris. Ac mihi quidem veteres illi, maius quiddam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest; qui omnia haec, quae supra et subter, unum esse, et una vi atque una consensione naturae constricta esse dixerunt.

---

19. *ea divisit*. Est sane *dividere* i. q. distinguere. Tamen, quum h. l. sermo sit de iis, *quae seiuncta esse non possunt*, aptius credo esse ut corrigatur, *divulsit*. Conf. Offic. III. § 15 et 75.

neque verba sedem habere possunt. I. e. et verba inania sunt. *Sedes* h. l. dicitur ut Cael. § 30.

20. *Vim suam atque aeternitatem conservare*. Nihil huc pertinet rerum *aeternitas*, quae exspectari, conservari et amitti non potest. Legendumne *integritatem*?

21. *sed, si haec*. In multis omitti *si* monuerunt Editores. Ego malim tollere *sed*, quae Coniunctio mox demum, § 22, suo loco est, utpote in extrema observatione.

est etiam illa Platonis vera — vox. Non explicat, quid praeterea verum esset, sed id, quod aliquanto facilius comprehendi possit. Quapropter legam *est tamen* —.

omnem doctrinam — contineri. Infra. § 136, appellat eam *bonarum artium societatem cognationemque*. Imitatus est haec scriptor Archianae § 2, nec scite, nec suo loco.

22. *ut id nos humi strati suspicere possimus*. Quoniam nec peculiaris *suspiciendi* facultas cogitari potest, et necessario, qui *humi strati* sunt, *altiora*

Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant, vim suam atque aeternitatem conservare possint. Sed, si haec maior esse ratio videtur, quam ut homi- 6
num possit sensu aut cogitatione comprehendi, est 21
etiam illa Platonis vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Ubi enim perspecta vis est rationis eius, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. Sed, si hoc quoque videtur esse altius, quam 22
ut id nos humi strati suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus. Una est enim, quod et ego hesterno die dixi, et [aliquot locis] antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia, quascumque in oras disputationis regionesve delata est. Nam sive de coeli natura loquitur, sive de terrae, sive 23
de divina vi, sive de humana, sive ex inferiore loco, sive ex aequo, sive ex superiore, sive ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut con-

---

suspiciunt, corrigendum est, *suspicari*, i. e. quodam modo intelligere, ut modo bis dicebatur, § 15.

illud certe tamen. Equidem abiiciam *tamen*, praeter consuetudinem et rationem Coniunctioni *certe* additum, quae ipsa per se tum ponitur, quum ex eodem genere id, quod aliquanto minus est, conceditur, quam quod praecedit.

[*aliquot locis*]. Non nisi in libro edito licet *locos* indicare, quod in sermone habito concedi mullo modo potest. Ne Graece quidem τόπον sic usurpari, demonstravit Valckenaerius ad Herod. II. 117. Sed etiam si *aliquoties* dixisset Crassus, putidum foret. Nihil postulabatur, nisi ut idem ab Antonio quoque *significatum*, non plane enuntiatum, esse diceret. Igitur maneo in sententia, illa verba a male sedulo annotatore profecta esse.

rivis est diducta oratio, non fontibus. Commode sane a Pideritio hi loci indicantur, II. § 117, et Topic. § 33, ut constet *rivos* et *fontes* inter se opponi solere. Sed manet hoc ridiculum, quod dicitur, orationem *non diduci fontibus*. Excidit, propter similitudinem, unum vocabulum; legendumque *rivis diversis est did. oratio, non fontibus* sc. diversis, sed iisdem.

citet, sive ut reflectat, sive ut incendat, sive ut lenist, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum, rivis est diducta oratio, non fontibus, et, quocumque ingreditur, eodem est in-
24 structu ornatuque comitata. Sed, quoniam oppressi iam sumus opinionibus, non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum, qui, quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa et quasi discerpta contrectant, et qui, tamquam ab animo corpus, sic a sententiis verba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest; non suscipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur: tantum significabo [brevi], neque verborum ornatum inveniri posse, non partis expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam il-
25 lustrem sine luce verborum. Sed prius, quam illa conor attingere, quibus orationem ornari atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

7 Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus

---

24. *tantum significabo* [*brevi*]. Quod praemittitur *tantum*, ipsum per se indicat, non pluribus eum propositurum esse. Sed, ut I. § 34, recte dicitur *comprehendam brevi*, i. e. paucis, non item *brevi significare* dicere licebat, eoque adverbio liberanda mihi videtur oratio. Mox suo loco, *proponam breviter*.

25. *prius, quam illa conor attingere*, i. e. explicanda suscipere: quo modo verbum *attingendi* est Fin. III. § 5, *ea nunc primum audemus attingere*.

ut unum sensum dissimili genere delectent. Concedi non potest ut *voluptates* dicantur *delectare sensum dissimili genere;* quippe *delectatio* est in ipsa *voluptate*. Corrigendum censeo, *dissimilia genera*.

quae etsi nos vocibus delectent. Kayserus de suo edidit — *nos numeris ac vocibus*, coll. infra, § 195, sqq. Equidem non requiro.

voluptates oblectant dispares. Fortasse una vocula excidit, ut legendum sit — *oblectant tam dispares*.

26. *una fingendi est ars* —. Edidi haec secundam meam emendationem. Itaque et *qui*, ante *omnes*, et *fuerunt*, post *dissimiles*, delevi, et *dissimillimi* dedi, deleto *que*. Eius, qui ista inculcavit, inscitiam arguit v. c. verbum *fuerunt*, quum dicendum esset *sunt:* iudicatur enim a Crasso de artis operibus, quae nunc intueri licebat.

admirabilius. Secundum ea, quae aliquoties ad Brutum et ad Oratorem no-

multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, iucundissimum esse videatur: et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent: et reliquos sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. Atque hoc 26
idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus, omnes inter se dissimiles, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae; dissimillimi tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et, si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, et tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae, quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni 27

---

tavi, sicut supra, ad I. § 237, praestabit corrigere, *mirabilius*, ut in simili sententia legitur infra, § 197. Contra, § 201, corrigendum *admirabile*.

quae quum — versetur. Quando quidem dissimilitudines exspectari magis aequum erat, ubi in diversis sententiis oratio versaretur, necessario hic scripsisse mihi videtur, *quae etiam quum — versatur—*.

non sic, ut alii vituperandi sint. Lambinus iam requirebat, *ut alii laudandi, alii vituperandi sint*. Ego potius, leniore usus correctione, sic legam, *ut nulli vituperandi sint*. Hoc tantum significandum erat, dissimilitudines illas non nisi in praestantissimis observari.

27. *cerni licet*. Corrigendum, *cernere l.*, qui Infinitivus Activus de more servari solet, ut mox, § 99; iterumque corrigatur, § 107.

quam sunt inter sese — dissimiles! Hunc quoque locum edidi ex mea correctione et distinctione, quam secutus est Kayserus. *Quam sint* ideo vitiosum erat, quoniam, quod *cernere licet*, non hoc erat, dissimiles istos inter sese esse, sed *res complures dissimiles inter se tamen consimili laude dignari* (§ 25). Eadem forma et mox recurrit, § 31, *quid tam inter se dissimile?* et § 32. In fine, *tribuatur* defendebatur ab Ellendtio ex orationis obliquae lege, qua sublata, iam revocandum erat e Codd. *tribuitur*.

licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus. Quam sunt inter sese Ennius, Pacuvius, Acciusque dissimiles! quam, apud Graecos, Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuitur! Aspicite nunc eos [homines] atque intuemini, quorum de facultate quaerimus [, quid interesit inter oratorum studia atque naturas]. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit: quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum: quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps.

8 Sed quid ego vetera conquiram, quum mihi licet uti praesentibus exemplis, atque vivis? Quid iucundius auribus nostris umquam accidit huius oratione Catuli? quae est pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. Quid noster hic Caesar? nonne novam

---

28. *aspicite nunc eos* [*homines*]. Nusquam in hac forma designandi oratoris addidit Cicero *hominis* vocabulum. Conf. II. § 99, init. Orat. § 33. Infra, III. § 63, peculiari opportunitate scripsit, *ab eo viro, quem quaerimus.*

[, *quid interesit — naturas*]. Insititia haec esse primum arguit verb. *oratorum*, quos nunc quidem appellari non attinebat, quum diserta eorum praecessisset designatio, *eos* [*homines*], *quorum de facultate quaerimus:* tum, nec de *studiis*, nec de *naturis* oratorum nunc quaerebatur, quamquam et *voluntates* et *naturae* recte appellantur II. § 92 et 94., et mox, § 35: quaeque statim enumerantur, *suavitas — sonitus, vis*, neque ad *studia*, neque ad *naturas* referri possunt, sed laudes sunt.

quis horum — in genere princeps. Ferendum non est ut dicatur, *fuit princeps, et tamen in suo genere princeps.* Sententia in extremis postulat, *nec nisi suo tamen —.*

29. *vetera conquiram.* Legendum *conquiro.* Recte *vetera* dici, monui Scholic. Hypomn. V. p. 80.

huius oratione Catuli. H. l. servandum Nomen proprium, ut mox, *hic Caesar.* De Catulo, II. § 88.

30. [*tragicas paene comice*]. Ut assentiar Kayserο, haec insititia esse,

quamdam rationem attulit orationis, et dicendi genus induxit prope singulare? Quis umquam res, praeter hunc, [tragicas paene comice,] tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit, atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? Ecce, praesen- 31
tes duo prope aequales, Sulpicius et Cotta: quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere praestans? limatus alter et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis, haeret in causa semper, et, quid iudici probandum sit quum acutissime vidit, omissis ceteris [argumentis], in eo mentem orationemque defigit: Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis, et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

Ad nosmet ipsos iam revertor, quoniam sic fuimus 9
semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in 32
aliquod contentionis iudicium vocaremur, Quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius? quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius; ego autem, quamquam memet mei poenitet, cum hoc

---

moveor consideratione sequentium, in quibus propriis magis verbis idem dicitur. Minus offendor adverbio *comice*, quod (sicut *tragice*, Brut. § 43) hoc uno tantum loco deprehenditur, quam quod scribitur, *paene comice*.

31. *omissis ceteris* [*argumentis*]. Quandoquidem argumentis utuntur oratores non nisi ad *probandum* (conf. II. § 162, fin.), fieri hoc non poterat, *ceteris argumentis omissis*. Delendum est *argumentis*. *Cetera* sunt ea, quae ad conciliandum, aut ad commovendum adhibentur.

32. *cum hoc* — [*in*] *comparatione coniungar*. Crassus *coniungebatur* cum Antonio eo ipso, quod solebant duo illi in causis *comparari*, i. e. alter alteri opponi. Ideo delenda Praep. *in*. Sic *comparari* Liv. XXXVI. 7. 10. Quum aliis locis *comparatio* et *contentio* idem significare videantur (ut Offic. I. § 58), hoc tamen loco distinguuntur, neque, ut *contentionis iudicium*, sic *comparationis iudicium* dicere licebat.

in unaquaque re commorans. Vix hoc cum reliquis, quae de Antonii genere dicendi praedicantur, conspirat: magis conveniret Crasso, qui de se mox, *quibus vestigiis primum insti*ti, *in iis soleo perorare*. Ideo suspicor, negationem excidisse, scriptumque fuisse *non in unaquaque* —.

maxime tamen [in] comparatione coniungar. Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, praemunitum, et ex omni parte causae saeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla
33 nostrarum aurium satietate: nos autem, quicumque in dicendo sumus (quoniam esse aliquo in numero vobis videmur), certe tamen ab huius multum genere distamus; quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit: sed tamen dissimilitudo intelligi potest et ex motus mei mediocritate, et ex eo, quod quibus vestigiis primum insti, in iis fere soleo perorare, et quod aliquanto me maior in verbis [, quam in sententiis] eligendis labor et cura torquet verentem, ne, si paullo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione
34 et silentio fuisse videatur. Quod si in nobis, qui adsumus, tantae dissimilitudines sunt, tam certae res cuiusque propriae, et in ea varietate fere melius a deteriore facultate magis, quam genere distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est; quid censetis, si omnes, qui ubique sunt aut fuerunt, oratores amplecti voluerimus? Nonne fore ut, quot ora-

---

33. *quam in sententiis*]. Recte senserunt viri docti, haec omittenda esse: *obsoleta* enim *oratio* verbis, non sententiis cernitur.

ne — non digna exspectatione [*et silentio*] *fuisse videatur*. Abiiciendum censebam *et silentio*, quod *silentium* sit eorum, qui contemnunt, non curant, qui neque probari sibi, neque improbari, quae audiunt, significant. Igitur, quum surgat orator, *silentium a corona significari* postulat Cicero, Brut § 290: sed ipsa oratio *clamores et admirationes* audientium exspectat: conf. I. § 152. Brut. § 162 et 242. Orat. § 107 et 111. Dial. de Oratore, § 39. Itaque Brut. § 88 in Galbae laudibus hoc ponitur, quod ita dixisset, *ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur*. Quodque exstat ad Qu. fratr. II. 1. § 1, *auditum est magno silentio*, de eo dicitur, qui senatui nihil probaret: et alio modo Livius XXXVIII. 10. 4., *cum silentio auditi sunt*. Igitur, quum apta huic loco sit *exspectatio*, quam explicui ad Orat. § 236, et ad Brut. § 88 (Mnemos. VI. p. 427), quaeque intelligitur supra, I. § 137 et 180, *silentium* hinc

tores, totidem paene reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie dispares, genere laudabiles, non posse ea, quae inter se discrepent, iisdem praeceptis atque una institutione formari. Quod non est ita; diligentissi- 35
meque hoc est iis, qui instituunt aliquos atque eruditunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos dissimiles inter se, attamen laudandos, quum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur: cuius est vel maxime insigne il- 36
lud exemplum (ut ceteras artes omittamus), quod dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere: alterum enim exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem, et quasi verecundantem incitabat: neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

Haec eo mihi praedicenda fuerunt, ut, si non om- 10
nia, quae proponentur a me, ad omnium vestrum 37
studium, et ad genus id, quod quisque vestrum in

---

excludendum est. Quid huc faciat vel Orat. I. § 160, vel Gellius V. 1. 5, quo Pideritius nos remittit, ipse viderit.

34. *atque omne laudatur*. Praestare puto *idque omne*, sine quo Pronomine non satis h. l. diserte indicatur verbi subiectum.

quae inter se discrepent. Sic de meo, postulante syntaxi, correxi vulg. *discrepant*.

35. *qui instituunt aliquos*. Immo, *alios*.

artificum et magistrorum. Postrema, *et mag.*, inclusit Kayserus, fortasse defendenda coll. I. § 23.

36. *doctor singularis*. Non ego haec abiiciam, quum in Isocratis mentione consentaneum sit ut hoc modo laudetur.

37. *proponentur — adhaerescent*. De meo restitui haec Futura, pro vulg. *proponerentur — adhaerescerent*.

quae explicavit Antonius. Qui, ut § 19 dicebatur, *quid dici ab oratore oporteret*, exposuerat: Crassus explicaturus est, quo modo ea et *agenda* (quod ad actionem pertinet), et *dicenda* sint, i. e. oratione ornanda.

dicendo probaret, adhaerescent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur. Ergo haec et agenda sunt ab oratore, quae explicavit Antonius, et dicenda quodam modo. Quinam igitur dicendi est modus melior (nam de actione post videro), quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quod-
38 cumque agetur, apte congruenterque dicamus? Atque eorum quidem, quae duo prima dixi, rationem non arbitror exspectari a me, puri dilucidique sermonis: neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat, nec sperare, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum, neque vero qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur haec, quae cognitionem habent facilem, usum necessarium: nam alterum traditur literis doctrinaque puerili, alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur quid quisque dicat, quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit.
39 Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis: sunt enim illi veteres, qui ornare nondum

---

38. *nec sperare.* Concedi non potest ut hunc Infinitivum ita defendamus (quod Orellio placebat), ut suspensus sit e verbo *audemus*, quod eliciatur e praeced. *conamur*. Potior est Lambini correctio, *nec speramus*.

ut tamen eo minus nihil esse possit. Non explicandum, *minus necessarium*, sed, quod minoris momenti sit.

39. [*quod ostendam*]. Improprie haec addita sunt. Etenim, *ornandi* tantum *causa iis verbis utendum esse*, idque *parce*, praecipi poterat, non *ostendi*, sed explicari, ut post facit, § 153. Neque opus erat ut diceret, se hoc facturum esse, sicuti neque in altero, quod subiicitur, praecepto facit. Talia debemus annotatori, qui in eodem illo verbo deprehensus est II. § 65.

40. *ea sic et casibus — conservemus.* Non iniuria viris doctis *conservandi* verbum h. l. displicet: quid est enim *verba conservare?* quid eadem *casibus conservare?* Hinc natae coniecturae, vel ut *conseramus*, vel ut *construamus* legeretur. Recte Henrichsenius contendit, Latine dici non posse *construere verba casibus et temporibus.* Vellem intellexisset, nullum verbum excogitari posse, quod illis interpositis (*casibus — numero*) conveniret; tum, ipsa illa verba, e puerili institutione grammatica desumta, in primis dedecere hanc Crassi demonstrationem, qui suo loco et eleganter idem praeceptum ponit infra, § 49 (*non praeposteris tempo-*

poterant ea', quae dicebant, omnes prope praeclare locuti: quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce [, quod ostendam]; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.

Atque, ut Latine loquamur, non solum videndum 11
est ut et verba efferamus ea, quae nemo iure repre- 40
hendat, et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans, aut praeposterum sit; sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo 41
exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius, nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius: nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis, sed hoc, quod mihi cum sermone [quasi] coniunctum videtur: sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugere cupiat, mollis vox, ut muliebris, aut quasi extra modum absona atque ab-

---

ribus, non confusis personis, non perturbato ordine): postremo, si *casibus* diceretur, dicendum fuisset *generibus et numeris*. Reiecta igitur illa putida diligentia, nihil in his probandum videtur praeter haec, *et ea sic construamus*.

41. *nolo verba exiliter exanimata exire*. Quod Ernestus corrigebat, *animata*, in primis improprium est, siquidem nullo modo verbum *animatum* dici potest. Scribere potuit Cicero *exiliter exire*, i. e. tamquam sine sono pronuntiari: ornandi causa addidit *exanimata*, quasi, *extincta*. Infra, § 216, *extenuatum* opponitur *inflato*.

cum sermone [*quasi*] *coniunctum*. Quid, quaeso, est *quasi coniunctum?* Modo certe non dixit *quae quasi sunt actionis* Rectius secundum nonnullos libros omittitur.

quasi extra modum absona. Piderítius cum his conferri iubet infra, § 171 et 173, ubi appellantur *modus et forma verborum*. Sed non attendit, ista dici de *continuatione verborum*: tum haec ipsa, § 174, designat ita, ut sint in *vocum* (non *vocis*) *moderatione* et in *verborum conclusione* posita. Igitur hic *modus* intelligi nequit, ubi de ipsius *vocis* et soni genere in pronuntiando sermo est: quumque ita *extra modum* nihil aliud sit, nisi *nimium* (ut Offic. I. § 140), nullo modo ferendum est praepositum illud *quasi*, quod corrigendum suspicor, ut legatur, *quae sit*.

surda. Est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur: rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae, sonoque vocis agresti, et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus, et suavitas ista delectat; omitto verborum, quamquam est caput, verum id affert ratio, docent literae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi: sed hanc dico suavitatem, quae exit ex ore; quae quidem, ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone huius est urbis maxime propria. Athenis iam diu doctrina ipsorum Atheniensium interiit: domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodam modo nomine urbis et auctoritate: tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini: tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate vocis, atque ipso oris pressu et sono facile vincat. Quare, quum

---

42. *est autem vitium*. Ego non offendor iterato *vitii* verbo, post illa, *sunt certa vitia*.

antiquitatem — retinere. Nihili est, in hac sententia, *retinere antiquitatem*: sed, quum de sono agitur, corrigendum, vel *recinere*, vel *retinnire*, quae correctio adhibenda visa est Bruto, § 171.

44. [*nihil sonare aut olere peregrinum*]. Ipsa cumulatio verborum e differenti genere translationis (*sonare* et *olere*), arguit, ista insititia esse. Perpetuo ista nude ponuntur, nullo alio verbo adiecto. Praeterea, improprie laudatur vox, in qua nihil sonare *possit* peregrinum. Mox, suo loco, *peregrinam insolentiam* appellat.

45. [*Laeliam*]. Minime credibile est Crassum nomen hoc appellavisse. — Mox, malim *servant*, quam *conservant*, quippe *antiquitas* illa non est obiectum positivum, sed more tantum et consuetudine exprimitur. — *Multorum sermonis expertes*, i. e. sermonis eius, quo vulgus utitur, οἱ πολλοί.

ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur. Idem dicas hoc modo:

sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, [nihil sonare aut olere peregrinum,] hanc sequamur, neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Equidem quum audio socrum meam [Laeliam] (facilius 45
enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant, quod, multorum sermonis expertes, ea tenent semper quae prima didicerunt), sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire: sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur: ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter. Quare Cotta noster, cuius 46
tu illa lata, Sulpici, nonnumquam imitaris, ut Iota literam tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari. Hic quum arrisisset ipse [Sulpicius,] Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiatis. Utinam quidem! inquit ille: id enim ipsum volumus; idque si feceris, multa, ut arbitror, hic hodie vitia ponemus. At enim non sine 47
meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te re-

---

ut nullam ostentationem aut imit. afferre videatur. Quaeritur quis afferat? Laelia, an vocis sonus? Sed nego, aut *ostentationem*, aut *imitationem afferri* posse. Ut verbo absolvam; quoniam de incorrupto et simplici vocis sono et pronuntiatione agitur, corrigendum est, *ut nihil ostentatione aut imitatione efferri videatur*, i. e. progredi ultra id, quod deceat, et quod rectum sit in pronuntiando.

46. *hic quum arrisisset ipse* [*Sulpicius,*]. Tollendum Nom. proprium. *Hic* Pronomen est, et ad Sulpicium refertur.

47. *mihi — simillimum.* An *mei?* Conf. Madvigius ad Fin. V. § 12. p. 633.

tum ille tum quod monuit. Expressi omnium fere librorum lectionem, quamquam aperte vitiosam. Unius Cod. ope Lambinus sic correxerat, *tu vero, inquit ille, quoniam monuit:* quam correctionem novissimi Editores secuti sunt. Sed in hac correctione *tu vero* necessario explendum est, *potes me sine periculo tuo reprehendere;* id quod neque e sententia Sulpicii esse videtur, neque confirmatur sequenti-

prehendere; quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri. Tum ille tum quod monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitaremur: ex quo vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem pedis, imitatus, et pauca quaedam verba, et aliquem, si forte, motum. Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne me ipsum irrideam (sunt autem mea multo et plura, et maiora, quam dicis): quae autem sunt aut tua plane, aut imitatione ex aliqua expressa, de iis te, si qui me forte locus admonuerit, commonebo.

13 Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae
48 puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum, alit [aut] consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant, et lectio veterum oratorum et poetarum. Neque vero in illo altero diutius commoremur, [ut disputemus,] quibus rebus assequi pos-
49 simus, ut ea, quae dicamus, intelligantur: Latine scilicet dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non

---

bus, *quoniam monuit*. Potius esse existimo, ut recusare voluerit Sulpicius, quod Crassus dixerat, eum sibi simillimum Antonio videri. Ideo servata et suppleta librorum lectione, sic legendum, *tum ille, Quid quod monuit idem* —, quorum verborum haec apta sententia est, quasi dicat Sulpicius, quam non simillimus tui sim, apparet ex hac Antonii admonitione.

ex aliquo expressa. Corrigendum, *ex alio*, quod requirit oppositum *tua*. Neque *aliquis* sic nude dici solet.

48. *alit* [*aut*] *consuetudo*. Secutus est me Kayserus, quum dixissem, Coniunctionem *aut* hinc alienissimam esse, tum verba melius esse distinguenda, ita ut *ratio* et *consuetudo* inter se distinguantur, sicuti fit Brut. § 258.

[*ut disputemus*]. Haec manifesto sunt interpretis, qui illud *in illo commorari* explicaret.

ipse ille. Pron. *ipse* h. l. quasi de domino causae ponitur.

50. *ut — ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur*. Quoniam manifesto hoc vult, istos eo ipso, quod tam obscure dicant, sibi quodammodo obstrepere videri, sublata Praepos. *in*, servandum est *dicendo*.

confusis personis, non perturbato ordine: quid multa? tam facilis est tota res, ut mihi permirum saepe videatur, quum difficilius intelligatur quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, 50
ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici: easdem autem simulac Fufius, aut vester aequalis Pomponius agere coepit, non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo; ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi [in] dicendo obstrepere videantur. Verum, 51
si placet, quoniam haec satis spero, vobis quidem certe maioribus, molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

Atqui vides, inquit Antonius, quam alias res agamus, 14
[quam te inviti audiamus,] qui adduci possimus (de me enim coniicio), relictis ut rebus omnibus te sectemur [te audiamus]: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua. Faciles enim, inquit, Antoni, partes eae fuerunt duae, 52
quas modo percucurri, vel potius paene praeterii, La-

---

51. *ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.* Non assequitur huius loci mentem Ellendtius, qui ideo illa *odiosa* appellari a Crasso interpretetur, quod is se illi doctrinae explicandae satisfacturum non confideret: et ne Schutzius quidem, quem ille reprehendit, sensit, in Crassi verbis ironiam dominari; qui quum ipse fassus esset ea, quae hucusque disputasset, molesta et putida videri necesse esse, non dicit, pergamus ad laetiora et illustriora, sed, praeter exspectationem, *ad aliquanto odiosiora* (ἀηδέστερα); quasi qui praesentiret fieri non posse, ut, qui adessent, illam disputationem cum exspectatione audituri essent. Et huic demum suspicioni respondent Antonii verba, quibus ea reiicitur.

[*quam te inviti audiamus*]. Est haec iterum interpretatio, qua quidam annotator praecedentia explicanda putavit. Mox, verba *te audiamus*, post *sectemur*, Ellendtius iam agnovit, ea spuria esse. In quo hoc in primis attendendum est, proprie dici, reliquas res *relinquo*, ut te *secter*, non item, ut te *audiam*.

52. [*omnis laus eloquentiae*]. Neque hoc asyndeton huius loci est, et eius

tine loquendi planeque dicendi: reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii [,omnis laus eloquentiae] continetur. Nemo enim umquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus: si [est] aliter, irrident, neque eum oratorem modo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent, quid diceret; sed contemsit eum, qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? [quem stupefacti dicentem intuentur?] in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines

---

modi cumulatio ea postulat, quae quodam modo inter se diversa sint: atqui *ingenium* ipsum pro *eloquentia* poni solet, ut I. § 198, et passim. Tum, ex iis, quae subiiciuntur, perspicuum est non nisi illam *admirationem* a Crasso fuisse appellatam.

si [est] aliter. Hoc dicit: si aliter loquitur, i. e. si non Latine. Eo ipso damnatur illud *est*. Diversum est in § 103, init., ubi cum *aliter* servandum Verbum Substantivum.

neque eum oratorem modo —. Omittendum erat *enim*, ante *eum* insertum. Augetur his id, quod praecedit, non ratio redditur. Tum, correxi, *modo*, pro vulg. *tantummodo*, quoniam in illa distractione servanda est forma *non modo*.

extulit — verbis. Idem est infra, § 146.

qui minus id facere potuisset. Suspicor, *facere* interpolatum esse. Conf. ad II. § 85 et 149 et 192.

53. [*quem stupefacti dicentem intuentur?*] .Non reticebo, insititia mihi ista videri, primum, quod mera paraphrasis est antecedentium, *in quo exhorrescunt* (quo modo *horrere* ponitur II. § 188); tum, quod *stupefactus*, pro *stupens*, non est Latinitatis Tullianae: postremo, quod in eiusmodi successione et gradatione plurimum solet Cicero triplici, non quadruplici sententia uti.

id est, quod dico ornate. Sicut ista nunc leguntur, *id est, ornate*, significabit, antecedd. omnia (*distincte — conficiunt*) comprehendi uno verbo, *ornate*. Sed interpositum *quod dico* remittit nos ad id, quod nimis longo intervallo ante a Crasso dictum erat, § 37; tum, hoc ipsum non simplici Adverbio absolvi poterat, sed expectares, *ornate dicere*. Amplector igitur hanc virorum doctorum correctionem, *id est, qui dicunt ornate*. Intelligo enim, ex quadripartita oratoriae facultatis distributione (conf. § 37) summas tribuere Crassum ei virtuti, quae *ornate dicendo* constaret, cui mox addit *apte dicendi* laudem (conf. § 91.) Ideo responsum ad id, quod quaesiverat, quod ad formam attinet, absolvitur his verbis, *id est, qui dicunt ornate*, post eaque interpungendum est, quoniam, quae statim subiiciuntur, non nisi ad primariae illius virtutis *moderationem* pertinent, in qua erat illud, quod *aptum et congruens* nominabat; et post haec plene interpungendum.

54. [*qui ita dicerent, — tribuendum*]. Demonstrabam, totum hoc insititium esse. Primum, nihil pertinet istius

putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus, et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt; id est, quod dico *ornate:* qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego *aptum* et *congruens* nomino. [Qui ita dicerent, eos negavit adhuc 54
se vidisse Antonius, et iis hoc nomen dixit *eloquentiae* solis esse tribuendum.] Qua re omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem

---

dicti mentio ad ea, quae modo dixerat Crassus, sed potius interrumpit seriem sententiarum, quam huiusmodi postulari satis apertum est, ut, quum ex sua sententia definivisset Crassus, quibus rebus potissimum contineretur eloquentiae laus, statim subiiceret castigationem rhetoricae disciplinae, cuius praeceptis nihil ad eam laudem proficeretur. Sunt praeterea in verbis ipsis quae offendant. Pervertitur et deformatur illud ipsum, quod Antonius in illo libello dixerat, *eloquentem se vidisse neminem* (conf. I. § 94. III. § 189), non *eos, qui ita dicerent*, vidisse se negaverat, tamquam si plures postulavisset: neque huic sic occurri potest, ut corrigatur, *qui ita diceret;* manet enim plurale, *iis solis*. Porro, prorsus ineptum est *adhuc se vidisse*, quasi qui voluisset, nondum sane se vidisse, sed tamen, si aliquantulum exspectet, fieri posse ut aliquando videat. Ea, quae adduntur (*iis hoc nomen — tribuendum*), ab Antonio tum dicta esse, haec una auctoritas est, nusquam alibi confirmata: nec credibile sic in illo libello Antonium occupavisse id ipsum, quod nunc Crassus de industria explicet. Sed ipsa verba laborant. *Eloquentiae nomen tribuere* alicui, aut pluribus, Latinum non est. Sine reprehensione dicitur *tribuere alicui eloquentiam*, sicut *tribuere sapientiam*, Brut. § 292: sed *nomen eloquentiae* non nisi ipsi bene dicendi facultati tribui potest, indeque recte dicitur, II. § 5, *eloquentiae nomen relinquendum esse*, ubi significatur *posse bene dicere* demum eloquentiae nomine appellandum esse, quae sine illa facultate nulla sit. Itaque, II. § 38, *orator suum nomen obtinere non potest*, i. e. nomen *oratoris*, non *eloquentiae*.

rhetorum praeceptis. Ex I. § 52, corrigendum, *rhetoricorum pr.* Eosdem intelligit Crassus infra, § 75. 81. 92.

oratoriam vim. Hanc meam correctionem, nunc unius Cod. auctoritate confirmatam, suscepit Kayserus, quum vulgo legeretur *oratorum vim*, i. e. oratorum multitudinem, satis absurde. Sed in alia sententia dici poterat *oratoris vis*, i. e. praestantissima dicendi facultas, ut I. § 21 et 64. Perperam Pideritius *oratorum* putat opponi anteced. *rhetorum*.

vero enim oratori. Mire a vero aberrat Ellendtius, istud *vero enim* interpretans ἐτεόν γε. Nullo exemplo ista Coniunctionum copulatio commendatur, et *vero* Adiectivum est, ut § 80, *is erit verus — orator*. — Statim, ego facile carerem interposito illo *disputata*.

oratoriam vim complexos esse arbitrantur, neque adhuc, quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Vero enim oratori, quae sunt in hominum vita (quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materies), omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. 55 Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus; quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares; sed tamen est specie alia magis alia formosa et illustris. Sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, quocumque incubuerit, possit impellere: quae quo maior est vis, hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia: quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem

---

55. *specie*. Recte sic correxit Kayserus: vulgo, *species*. Nusquam *virtutes* in *species* distribuuntur.

quocumque incubuerit possit impellere. Vitiosum hoc est propterea, quod *incumbere* et *impellere* ita gradu et indole distant, ut de eodem dici nequeant: sed ideo quoque, quod, si *incumbere* i. q. inclinare quo, et propendere (conf. Ellendt. ad II. § 187), non satis est hoc oratori. Neque occurretur huic vitio, si corrigatur, *incubuerint*, scil. qui audiant. Maxima illa oratoris vis si declaranda est, legendum *quocumque libuerit*, ut I. § 30, *impellere, quo velit*.

non eos quidem oratores effecerimus. Vitiata oratio est inserta Particula *quidem*. Hoc enim ita usurpari solet, ut (quemadmodum explicat Madvigius Opusc. Acad. I. p. 406 idemque in Gramm. Lat. § 471) rei praecedente vocabulo significatae immorari iubeat. Igitur, quod hucusque edi solet, explicandum, quasi vellet, *non eos quidem, sed alios effecerimus oratores*, satis absurda sententia. Quodsi tamen ista collocatio ex eo usu defendi posse videatur, quo Pron. *ille* praeponi solet Coniunctioni *quidem* (de quo idem Madvig. Gramm. § 489, b), tamen haec postulabitur, ut, quod in altera sententiae parte subiiciatur, quam Coni. *sed* inchoet, proponatur id, quod aliquanto minus, sed tamen ex eodem genere sit. Sed ab illa ratione quae h. l. legimus prorsus diversa sunt: ideoque *quidem* hinc tollendum existimem.

56. *fuerunt*. Corrigendum censeo, *floruerunt*, i. e. clari exstiterunt. Conf. mox, § 59, et II. § 6.

consilio ad vitae studia dispari. Ferendum non est, quum dicitur *consilium ad quid*, quamquam tolerandum in Latinitate Liviana. Tum, *vitae studia* continentur iam *quiete et otio*, quae isti *seculi* dicuntur. Aliquanto rectius infra, § 82, *quum vitam tuam ac studia considero:* item Cluent. § 42, *voluntas* et *instituta ratio vitae* iunguntur. Quumque ea studia, quibus quis in vita deditus est, minus recte appellari mihi videntur *vitae studia*, eo inclinarem, ut corrigerem, *consilio ac*

oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus.

Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem 15
vimque dicendi veteres Graeci sapientiam nominabant. 56
Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones; atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitae studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quae vita propter tranquillitatem, et propter ipsius scientiae suavitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit. Itaque, ut ei studio se excellen- 57

---

vitae studio. Similiter *ad* vitio legitur in Codd. pro *ac*, in Sest. § 103.

57. *excellentissimis ingeniis homines.* Corrigendum (ut supra I. § 106), *excellentissimi ingenii h.* Idemque vitium in Livio IV. 31. 3 indicavit Madvig. Emend. Liv. p. 13. Conf. ibid. p. 102., sq.

ex ea summa facultate. Non perspicio, quid huc pertineat Praep. *ex.* Corrigam, *in.*

[*doctissimi homines — affluentes*]. Haec stolide inculcata esse, fortasse conficta ex iis, quae leguntur I. § 22, et tautologia arguit, et conficiendum e verbis inscite delectis. *Nimium* ut dicatur *otium*, sana ratio et rei natura respuit. Tum, sicut recte dicitur de pluribus, eos *otio abundare*, aut *diffluere* (infra § 122 et 131), non item *otiis*, ita dicendum erat eos *ingenio affluere*, non *ingeniis:* igitur recte, I. § 22, Graeci homines dicuntur *non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes.* Recte sane appellantur plurium *hominum ingenia*, ut II. § 8, *tanta hominum ingenia*, et § 11, *summis ingeniis*, et § 38, *vis magna est in hominum ingeniis:* sed I. § 115 corrigendum dixi, *etiamsi ingenio valeant*, pro *ingeniis.* Certa aetas, aut gens aliqua dici potest *ingeniis abundare;* sed singuli ipsi (ut ad Div. IV. 8. 1), et omnes non nisi *ingenio abundare* possunt, ideoque corrigendum est mox, § 59: conf. II. § 6. Restant haec vitiosa, primum, quod, adversante natura, *uberrima ingenia* appellantur: solet enim *ubertas* fructibus ipsis tribui, non ei, unde illi producuntur, itaque etiam inventis, unde *orationis ubertas*, quam scilicet parit ingenium, et quae Brut. § 332 dicuntur *uberrimae artes*, sunt ea, quae Brutus sibi ingenio et studio comparaverat. Tum, simili vitio laborat ipsum *ingenio affluere*, quippe *affluendi* verbum in externarum tantum rerum copia et abundantia ponitur: cf. Amic. § 52, et passim, ut Indices indicabunt. Hinc recte distinguitur infra, § 68, *celeritas ingenii*, et *dicendi copia.*

curanda sibi esse ac quaerenda. Curandi verbum minus aptum videtur

tissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis multo plura, quam erat necesse, [doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes,] curanda sibi esse, ac quaerenda et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi, et bene dicendi magistra; neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut efficeret
58 *oratorem verborum actoremque rerum*. Sed, ut homines labore assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos, aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum, sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poetas,

---

studiis eorum hominum, qui h. l. intelliguntur, ortumque suspicor e dittographia alterius, *quaerenda*. Commode delebitur, abiecto mox *ac*.

nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur. Dubitare licet, an Infinitivus omitti possit post *videtur*: praeterea, ipsum *videtur* parum est in illa Crassi minime ancipiti disputatione, pro quo scriptum fuisse suspicor *erat*.

58. *sed ut homines — assueti*. Vitium videtur latere in *homines*, quippe, qui cum illis conferuntur, ipsi quoque homines sunt. Fieri potest ut *opifices* scriptum fuerit.

novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt. Improprie sic iunguntur *studium ludumque*. Intelligerem *studium tamquam ludum*.

atque virtutem. Praestabit *adque virt*.

59. *quod erant quidam, iique multi*. Satis inepte iunguntur *quidam* et *multi*: aliquanto aptius esset *quidam, neque multi*. Tamen, mei arbitrii si esset, utrumque omitterem, legeremque *quum erant, qui aut* —. — Mox, recte Kayserus servavit *sed huius tamen*, neque audiendus Ellendtius, qui e multis libris ediderat *sed ut huius tamen*.

ingenio abundarent. Sic modo correxi vulg. *ingeniis*.

60. *quorum princeps Socrates* —. Haec qui attente considerat, ei fieri non potest quin excedere videantur sollemnem copiae et ubertatis modum. Sed apparebit hoc melius, si singulas longissimae enuntiationis partes exploramus, omittentes ea, quae novissimis Editoribus in mentem venerunt, quo edita tuerentur. Offendit primum *princeps*, bis brevi intervallo de Socrate dictum, nec eodem utrobique modo, sed altero loco ut *primus*, altero ut *praestantissimus* intelligendus sit. Sed certae rationi et perpetuae consuetudini adversatur hoc, quum dicitur *Socrates is, qui princeps fuit*, quoniam *is*

alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt, alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quae repertae sunt ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumserunt.

Sed, quod erant quidam, iique multi, qui aut in 16
re publica propter ancipitem, quae non potest esse se- 59
iuncta, faciendi dicendique sapientiam florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes; aut, qui minus ipsi in re publica versarentur, sed huius tamen eiusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates; inventi sunt qui, quum ipsi doctrina et ingenio abundarent, a re autem civili et a negotiis animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent: quorum princeps Socrates [fuit. Is, qui omnium eru- 60

Pron. ita demum Relativo praemitti et solet, et oportet, si vel peculiari nota quis ab alio distinguendus est, vel id subiicitur, quo ea, quae sequuntur, acrius arguantur, veluti Fin. I. § 57: *clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter — vivatur.* Non sane opus erat designari, quis omnino esset Epicurus, sed falso accusari eum, criminique placitum opponi. Nihil neque huius, neque alterius generis nunc de Socrate praedicatur, quodque dicitur, ut minimum dicam, otiosissimum est. Praeterea, in illa Socratis reprehensione minime conveniebat commemorari eum *omnium eruditorum testimonio* prudentia et reliquis omnibus virtutibus *principem fuisse.* Ne *testimonium* quidem apte h. l. appellatur, quum rectius fuisset *iudicium* appellare: nam *testimonium* cogitari non potest sine diserta iudicii enuntiatione (sicut *testimonium Platonis* de Isocrate, Orat. § 41); atqui *omnium eruditorum* iudicium ubi consignatum esse poterat, ita ut pro *testimonio* habendum esset? Tum puerilis est illa cumulatio *omnium eruditorum et totius Graeciae.* Verum quoque excedit illa affirmatio, et recedit a communi fama, quam Cicero non semel commemorat, Socratem Apollinis oraculo sapientissimum fuisse iudicatum. — In enumeratione autem ac distributione eorum, quibus Socrates praestitisse dicitur aliis omnibus, omitto nunc coniungi *prudentiam, acumen, venustatem* et *subtilitatem*, ab iisque distingui *eloquentiam* (quam rectius h. l. *elegantiam* appellavisset), *varietatem, copiam*, quum tamen omnes illae bene dicendi laudes essent. Cicero ipse longe modestius, et elegantius, et verius et de Socrate pronuntiat, Brut. § 31, et de Platone, supra, I. § 47. Hoc quoque nimium est, quum dicitur *quam se cumque in partem dedisset*, si hoc vo-

ditorum testimonio, totiusque iudicio Graeciae quum prudentia, et acumine, et venustate, et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps,] iis, qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, [agerent, docerent,] quum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio *philosophia* nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit: cuius ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socra-
61 tes nullam reliquisset. Hinc discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis, absurdum sane, et inutile, et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam, quum essent plures orti fere a Socrate (quod ex illius variis et diversis, et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat), proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se,

---

luit, quodcumque disputandi genus aggressus esset: quippe constat Socratem non nisi de vita et moribus disputare solitum fuisse: ipsum quoque *dare se in aliquam partem*, vehementer dubito, an Latinum sit. His omnibus de causis nondum abiicio suspicionem ista, *fuit is — facile princeps*, a nescio quo interposita esse, qui scilicet explicaturus esset, quo nomine Socrates *princeps* diceretur.

tractarent, [*agerent, docerent,*]. Et inutiiis intempestivaque haec cumulatio est, et illud *agere* et *docere* minus proprie h. l. usurpantur: in hac sententia certe melius esset *agitarent*.

cuius ingenium — reliquisset. Vix credibile est rem tam notam sic ambitiose Crassum significare voluisse. Offendor quoque eo, quod Relativum *cuius* (etiamsi corrigatur *huius*) nimio intervallo remotum est a *Socratis* nomine. Potuit sane Plato *sermones Socratis immortalitati tradere* (quod tamen ipsum vitiose dicitur pro *memoriae tradere*, ut *literis* aliquid *memoriae prodere*, ad Div. V. 16. 3), sed non potuit *ingenium*.

Litera nulla est dicitur in Bruto quoque, § 27, sed alio modo: h. l. postulabatur, *nihil scriptum relinquere*, ut apud Ciceronem dici solet. Ut absolvam; totum hoc, quidni enim profitear? mihi vehementer redolet eamdem illam intempestivam annotatoris cuiusdam sedulitatem: atque, istis omissis, multo profecto aptius continuabuntur haec, — *separavit. Hinc discidium illud* cet.

61. *quum tamen omnes se philosophi Socraticos* —. Alieno loco interpositum est *philosophi*. Et hinc corrigen-

et multum disiunctae et dispares, quum tamen omnes se philosophi Socraticos et dici vellent, et esse arbitrarentur,

Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiae 17 62 nomen obtinuit. Deinde ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici. Tum ab Aristippo, quem illae magis voluptariae disputationes delectarant, Cyrenaica philosophia manavit, quam ille et eius posteri simpliciter defenderunt, ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum: sed ea [horum vi et disputationibus] sunt iam diu fracta et exstincta. Ex 63 illis autem quae remanent, ea philosophia, quae sus-

---

dum in antecedd., *proseminatae sunt quasi familiae philosophorum dissentientes —:* illud *quasi* rationem nullam habet, nisi addito illo Genitivo. Sic mox, § 62, *alia genera philosophorum.*

62. *quorum alter — obtinuit.* Vix credibile, ut *Peripateticorum* et *Academiae* nomina ita inter se distinxerit: et suspicor, legendum esse *Academicorum*, quippe reliquae quoque familiae tali nominis forma designantur. De appellatione, ex loci nomine facta, mox, § 109, et Acad. Post. I. § 17.

quem illae magis voluptariae disputationes delectarant. Quare *illae?* non erant eae prae ceteris cognitae. Fortasse corrigendum, *aliae.*

[*horum vi et disputationibus*]. Non apparet qui sint *hi*, quorum *vi et disputationibus* ista *fracta* sint. Nec fe-

rendum ut quis dicatur *vi frangere genera philosophorum.* Solet autem Cicero istud *frangere* in simili sententia sine addito ablativo ponere, ut Fin. V. § 23, Offic. I. § 6. Propterea ista abiicienda sunt.

63. *sententiae* [*atque eloquentiae*] *principem.* Quis non probet *sententiae principem in senatu?* Sed *eloquentiae principem* quemquam appellare numquam in animum induxit Cicero (de quo supra iam notavi, ad I. § 13). Sed ne omnino quidem ea mentio h. l. apta est, quum agitur de viri gravitate et muneris dignitate. Ideo mihi illa verba interpolata videntur.

[*et*] *quem auctorem — esse volumus.* Tollendum erat *et*, quoniam, quae subiiciuntur, non nisi descriptionem continent eius viri, *quem quaerebat.*

non enim repelletur inde, quo ag-

cepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videntur, procul abest tamen ab eo viro, quem quaerimus, [et] quem auctorem publici consilii, et regendae civitatis ducem, et sententiae [atque eloquentiae] principem in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiae fiet iniuria a nobis: non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis, ubi vult; ubi etiam recubans molliter et delicate nos avocat a rostris, a iudiciis, a curia, fortasse sapienter, hac praesertim re publica.
64 Verum ego non quaero nunc, quae sit philosophia verissima, sed quae oratori coniuncta maxime. Qua re istos sine ulla contumelia dimittamus: sunt enim et boni viri, et, quoniam sibi ita videntur, beati: tantum eos admoneamus, ut illud, etiam si sit verissimum, tacitum tamen [tamquam mysterium,] teneant,

---

gredi cupiet. Amplector Matthiael correctionem, qui *non* inseri vult ante *cupiet.* Praeterea, requiri puto *quod*, pro *quo.* — Modo, quum legitur *nec ulla tamen ei philosophiae* —, interpolatum mihi videtur *philosophiae*, cui minime convenient ea, quae sequuntur; sed *ei* intelligendum *Epicureo.* Ita mox, *istos dimittamus; sunt enim — beati.*

64. *tantum eos admoneamus.* Sic correxi vulgatum *tantumque.* Alienum hinc esse *que* confirmatur exemplis, quae collegit Ellendtius ad II. § 139.

etiam si sit verissimum. Edidi *sit*, pro vulg. *est*, sicut modo Crassus, § 63, *et si cui vera videatur.*

tacitum tamen [*tamquam mysterium*] *teneant.* Non tantum otiosa similitudine declaratur quid sit *tacitum;* sed ipsum *mysterium* neque Graece, neque Latine usquam in numero singulari dicitur, id quod N. T. demum scriptoribus, et qui inde fluxerunt, placuit.

quod negant. Mutandum censeo in *quum negant.* Nihil est istarum Coniunctionum permutatione crebrius in Codd. Sed *quum* ita posi solet in citanda aliorum sententia aut dicto, ad eumdem modum, quo dicitur *memini, quum*, pro quo etiam peritissimus Latinitatis Manutius in ad Div. VII. 28. 1, aliquot Codd. scilicet auctoritate, *quod* restituendum censebat. Supra, I. § 129, *soleo audire Roscium, quum ita dicat.* Theophrastus, inquit Cicero Tusc. V. § 24, *non magnopere reprehenditur, quum tria genera dicit bonorum.* Ut in eodem Theophrasto maneamus, infra, § 184, editur, *illud assentior Theophrasto, qui putat — orationem numerosam esse oportere*, ubi Relativum corrumpit adeo scriptoris consilium, et, propter antecedens *illud*, postulatur *quum putat.* Rursus, infra, § 168, recte editur, *videtis genus hoc totum, quum — res eadem enuntiatur ornatius*, pro *rem eamdem ornari* —.

65. *sed* [*utrumque*] *est in his* —. Ellendtio corrigendum videbatur, *sed utcumque est, est in his* —: in quo non attendit, tum dici *utcumque*, quum

quod negant versari in re publica esse sapientis: nam, si hoc nobis atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto ta- 18
men, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci 65
nesciunt: atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed [utrumque] est in his, quod ab hoc, quem instruimus, [oratore] valde abhorreat: vel, quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt (neque tamen quemquam esse sapientem); valde autem est absurdum, ei concionem, aut senatum, aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur: accedit, quod orationis etiam 66
genus habent fortasse subtile, et certe acutum, sed,

---

in praecedd. aliquod dubium relictum est. Pideritius, servans *utrumque*, ita interpretatur, ut dicat, duplici reprehensione repelli Stoicos ab oratore instituendo, primum ratione placitorum, tum ratione formae et orationis („ein materieller u. ein formeller Punkt"): itaque alterum putat indicari his, *vel quod omnes — liber esse videatur;* alterum, alia forma, his, § 66, *accedit quod* cet. Sed statim occurrit *utrumque* scribi non potuisse sine diserta indicatione duorum, quae inter se distinguerentur, quaeque per se tanti momenti essent oratori, ut in coniunctis tota res contineretur; id quod minime cadit in ea, quae h. l. Stoicis obiiciuntur, multumque ea absunt ab eo, quum v. c. dicitur, *utrumque postulatur in oratore, et ut rerum scientiam teneat, et ut eas verbis illuminare possit.* Tum, nego, duo esse, quae nunc in hunc modum distinguantur. Nam alterum illud genus (*accedit quod* —) explicatur inde, quod *alia et bona, et mala videntur Stoicis et ceteris civibus*, cet., quod tam ad placita istius disciplinae pertinet, quam prius (*omnes, qui sapientes non sint, servos esse*). Sublata igitur illa bipartita reprehensione, vitiosum esse apertum est illud *utrumque:* addo, ne propter syntaxin quidem istiusmodi subiectum ferri posse, siquidem ea forma, *est quod abhorreat*, per Coniunctivum, non admittit definitum subiectum. Erant fortasse multo plura in Stoicorum disciplina, quae oratoris institutioni minus convenire Crasso viderentur, sed defungitur uno alteroque commemorando, nullo destinato ordine. Ideo videtur mihi *vel* mutandum esse in *velut*. Quod *oratore* delemus, innumerabilibus in his libris exemplis commendatur: conf. supra, ad § 28. *Esse dicunt* h. l. per syntaxin requiritur, sed abiecimus ex Muren. § 61: conf. Scholic. Hypomn. V. p. 347, in simili Stoici paradoxi mentione.

66. *ac totum eiusmodi* —. Recepi Ernesti correctionem, *totum*, pro librorum *tamen*. Ellendtius haec, usque ad *possit*, insititia esse putat, ideo,

ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac totum eiusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit: alia enim et bona, et mala videntur Stoicis et ceteris civibus, vel potius gentibus, alia vis honoris, ignominiae, praemii, supplicii (vere, an secus, nihil ad hoc tempus); sed ea si sequamur, nullam umquam rem dicendo expedie
67 possimus. Reliqui sunt Peripatetici et Academici. Quamquam Academicorum nomen est unum, sententiae duae: nam Speusippus Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et, qui Xenocratem, Polemo et Crantor nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissenserunt, copia fortasse et varietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime

---

quod tautologa sint *abhorrens ab auribus vulgi*, et *quo uti ad vulgus non possit*. Non mentior. Nam priora illa manifesto spectant argumentandi formam, et artificium rationis concludendae, tum nova verba rebus imposita: in postremis autem intelliguntur placita ipsa Stoicorum, quae communi hominum sensui et opinioni adversentur. Sed fortasse *ad vulgus*, quod Livianum est, mutandum in *apud v.*

alia vis honoris —. I. e. *honorem* alio modo interpretantur: ut supra, I. § 64, *vis oratoris*.

67. *audierat*. Praestabit fortasse *audierant*.

dissenserunt. Hoc e Lambini correctione receptum, pro vulg. *dissentit*. Non puto, Singulare defendi posse exemplis, quae excitat Pideritius, II. § 2 et 26.

varietate dicendi. Corrigendum puto, *disserendi* (quod exstat infra, § 121), quoniam varietas ipsius doctrinae intelligenda est, a Peripateticis tractari solitae, sicut eadem *rerum varietas* appellatur infra, § 121, fin. Contra, I. § 50, recte ponitur *dicendi varietas*.

Arcesilas primum. Non adiicitur quid *post* fecerit. Sed corrigendum, *primus*, sicuti mox idem Arcesilas dicitur *primus instituisse*.

nihil esse [*certi*] *quod — percipi possit*. Quum res ipsa, tum complura Ciceronis testimonia in eadem re haec sane certum evincunt, *certi* stulte interpolatum esse. Ipsum placitum haec erat, *nihil percipi posse*. Conferantur hi loci, Acad. Post. I. § 44 et 45, Acad. Prior. II. § 18, et passim. Hinc correxi supra, I. § 222.

68. *socerum meum* [*Scaevolam*]. Abiiciatur Nomen proprium.

69. *haec* [*autem*] *ut ex Apennino* —. Quum per multa secula integra adeo volumina ferantur, quae pro Tullianis indocti doctique amplexantur et exosculantur, ut hodie etiam indignari nonnullos videamus, si quis exstiterit, qui ista tanto et tam eximio ingenio indigna esse demonstret, minus miror, in hoc palmario opere complura viros

arripuit, nihil esse [certi], quod aut sensibus, aut animo percipi possit. Quem ferunt, eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium primumque instituisse (quamquam id fuit Socraticum maxime), non, quid ipse sentiret, ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. Hinc haec recentior Academia ma- 68
navit, in qua exstitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades; cuius ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum et socerum meum [Scaevolam], qui eum Romae audivit adolescens, et Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, iam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat.

Haec [autem], ut ex Appennino fluminum, sic ex 19
69

doctos latuisse, quae non dicam languida et ieiuna sint, multumque deflectant a reliquorum prudentia et castitate et venustate, sed quae nemo sit quin admonitus stolida esse agnoscat. Scilicet, totam praecedentem disputationem, inde a § 59, in qua demonstrat, quo modo ea, quae antea fuisset una disciplina cogitandi dicendique, in duo diversa studiorum genera distracta esset, ut alii philosophi, alii oratores et haberentur, et dicerentur, concludit eleganti simili adhibito, in quo allegoriam persecutus, sicut *fluminum divortia ex Apennino* (quam locutionem perpetuo servarunt Romani: vid. Viri docti ad Livium XXXVIII. 45. 3), ita *doctrinarum divortia ex communi sapientiae iugo* appellat. Apparet iam Coni. *autem*, quae tum interponi solet, quum in argumentatione novum quid proponitur, unde quid sequatur post dicitur, in hac conclusione locum non esse. Reliqua omnia ab eo adiecta sunt, qui, quid deceret, ne levissime quidem suspicari potuit. *Philosophi* et *oratores* dicuntur *defluere*, et *labi in mare*, et, ne deseratur Apennini similitudo, illi in *superum*, hi in *inferum* mare. Si quis sit, cui hoc inventum non magnopere displiceat, occurrit tamen hoc, quod addita utriusque maris descriptione is, qui haec excogitavit, ita adumbrare voluisse videtur utriusque muneris indolem et naturam: igitur philosophis concedit mare *portuosum*, oratoribus *infestum et scopulosum* (in quibus notandum rectius sane *navigationem portuosam* appellari ad Div. VI. 20). Difficile, suspicor, fuisset Crasso, qui aliquanto post tam egregia istius generis praecepta tradit (§ 163, sqq.), huiusmodi similitudinem defendere. Arguunt vanissimum interpolatorem ineptiae, quas inculcavit. Non satis erat *superum mare* appellare, additque *Ionium*, quasi non diversa ista essent. Quid sit mare *Graecum quoddam*, et quid in altero *barbarum*, quidque haec pertineant ad discrimen declarandum, quod inter philosophos et oratores esset, vix operam

communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia [ut philosophi tamquam in superum mare Ionium defluerent, Graecum quoddam et portuosum, oratores autem in inferum hoc Tuscum et barbarum, scopulosum atque infestum, laberentur, in quo etiam
70 ipse Ulysses errasset]. Quare, si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare oportere, quod arguare, aut, si id non possit, tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa, aut iniuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessario, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit ac licuerit; et, si satis esse putatis, ea, quae isti scriptores artis docent, discere, quae multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, et uberius explicavit Antonius; sed, si his contenti estis, atque iis etiam, quae dici voluistis a me, ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exi-
71 guum sane gyrum compellitis. Sin veterem illum Periclem, aut [hunc] etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem sequi vul-

---

dedi ut assequerer, nisi forte, ut *Graecum* Aristoteli, ita *barbarum* Demostheni tribuendum sit. Quod ad extremum additur de Ulixe, qui in eo mari erraverit (tamquam si controversiam dirimeret, quae fuit inter Aristarchum et Cratetem agitata: vid. Gell. N. A. XIV. 6), vix sani hominis est: sed, ubi semel nugandi libido quem invasit, difficile dictu est quo eum vanitas deferre possit. Video nunc, Pideritium festiva uti interpretatione, ut illud *mare superum*, et *barbarum* defendat: nihil tamen meae suspicionis me poenitet: itaque Crassum puto nihil nisi hoc dixisse: *haec, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientiae iugo sunt doctrinarum facta divortia. Quare, si hac eloquentia* —.

70. *si id non possit.* Ideo praetuli hoc, prae altero *possis*, quod iudicatur de oratore, quis eo nomine sit appellandus.

alterius culpa, aut iniuria. Non probo Kayserum, qui de suo edidit *vel iniuria.*

quae dici voluistis a me. Nempe, quo modo ornanda sit oratio.

71. *aut hunc etiam — Demosthenem.* Quare *hunc?* Fingine potest, eo loco, ubi disputabatur, statuam fuisse Demosthenis? Sed *etiam* mutandum videtur in *iam*, quasi dicat *aut potius.* — Mox, *oratoris perfecti* recte includuntur a Kaysero. — Tum, requiro *adamatis*, pro *adamastis*: idem verbum est supra, § 62.

72. *namque, ut ante dixi,* — *ora-*

tis, et si illam praeclaram et eximiam speciem [oratoris perfecti] et pulchritudinem adamastis, aut vobis haec Carneadea, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. Namque (ut ante dixi) veteres illi usque ad So- 72
cratem omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rem publicam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione iungebant: postea dissociati (ut exposui) a Socrate diserti a doctis, et deinceps a Socraticis item omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam: neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiscue haurirent, si manere in pristina communione voluissent. Sed, ut pontifices 73
veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti; sic Socratici a se causarum actores, et a communi philosophiae nomine separaverunt, quum veteres dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

---

tores sapientiam. Hic iterum nonnulla perperam interposita sunt, tamquam explicandi consilio, sed quae non tantum putida, sed etiam inscite scripta esse mihi videntur. Etenim, servatis his, *dissociati a Socrate diserti a doctis*, orietur primum hoc, ut passivum *dissociari* bis cum Praep. *ab* construatur; tum, quod minime omnium ferendum est, ut quis dicatur *dissociare aliquem ab aliquo.* Verbi istius obiectum, quod dicitur, fieri nullo modo potest ut in singulis vel rebus, vel hominibus sit, sed requirit plures, qui *inter se dissocientur:* sicuti alio loco Cicero dixit *dissociare amicitias*, et Corn. Nepos Att. II, *dissociatis animis civium.* Sed *disertos dissociare a doctis* ut dicatur, non patitur sermonis Latini ratio, ut neque historicos a poetis. Quid porro ista sibi volunt, *et deinceps a Socraticis item omnibus?* in quibus *item* perperam ponitur, quasi hoc, quod dicitur, praeter exspectationem accideret, ideoque de industria significandum esset. Sed omnia ista ideo quoque abiicienda, quoniam Crassus iam dixerat *usque ad Socratem*, neque addidisse existimandus est *a Socrate, et deinceps a Socraticis omnibus;* in quibus hoc quoque vitiosum est, quod *deinceps* ponitur, tamquam in successione, in ordine, hoc factum esset; tum, quod *Socraticorum* nomen nunc tamquam certae scholae ponitur. Conficio hinc, verba *a Socrate — item omnibus* interpolata esse.

73. *mirificam.* Hoc Kayserus inclu-

20 Quae quum ita sint, paullulum equidem de me de-
74 precabor, et petam a vobis, ut ea, quae dicam, non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, quum summo studio patris in pueritia doctus essem, et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non tantum, quantum ipse forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere, me haec, quae nunc complector, perinde ut dicam discenda esse, didicisse: quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim, annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vo-

---

sit. Fortasse e corruptione ortum est.

74. *in pueritia.* Vehementer suspicor, hoc interpolatum esse, sicut *in adolescentia* animadverti, Scholic. Hypomn. V. p. 213, sq. Oportebat sane, *quum — puer doctus essem.* Sed tale quid non deprehenditur additum, neque Lael. § 2, neque Coel. § 9.

disciplina — forum. Conf. II. § 89. Quod autem additur, *et leges — maiorum*, haec eiusmodi mihi esse videntur, ut nihil neque cum *disciplina*, neque cum *usu* commune habeant.

75. *non enim quid ego — disputo.* Modo dixerat idem, § 74, *ut ea, quae dicam, non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis;* et aliquoties ante, priore libro. Haec tam brevi intervallo iterum dici nullo modo defendendum, confirmaturque mihi suspicio, totum hunc locum turbatum esse. Syntaxin sane, de qua ante dubitabam, nunc perspicere mihi videor, eritque *atque contra hos omnes.* Quod nondum perspicio, hoc est, quid ista rhetorum castigatio pertineat ad eam disputationem, in qua nunc versatur Crassus. Descripturus erat summam illam vim eloquentiae, quam *virtutem* appellabat *unam de summis* (§ 55), quamque longa et docta digressione (inde a § 56) demonstraverat apud veteres coniunctam fuisse cum cogitandi prudentia, quam postea Socratici philosophi ab oratore seiunxissent; sed nihilo minus tantam esse in vero oratore scientiam et facultatem, ut in istarum quoque rerum disputatione non multum philosophis concedat. In his nullum video locum esse rhetoribus, quum praesertim eos initio iam castigasset Crassus (§ 54, *quare omnes istos —*). Nec sane postulabatur nunc eiusmodi descriptio artis rhetoricae, manca praesertim, nec conferenda cum ea, qua Charmadas usus dicitur, I. § 86, et ipse Antonius usus erat, II. § 77, ubi non ipsi rhetores, sed multo melius eorum doctrina *perridicula* esse dicitur. Sed ab initio singula videamus.

quare hoc, quod complector —. Eadem deprecatione iam usus erat modo, § 74.

quod complector tantam scientiam vimque doctrinae —. H. l. sane *complecti* non eo modo dicitur, ut I. § 76 et 77, de eo, qui tenet ipse et assecutus est, sicut *comprehendere*, I. § 17 et 80; sed in definitione et descriptione, ut infra, § 126 et 145, tum, I. § 19 et 64 et 86. Sed quamquam probari potest quod dicitur *tanta scientia*, pro *tot et tantarum rerum scientia*, meliusque, I. § 44, *tot tantaque profitenda non censeo*, quoniam eodem

carim; cui disciplina fuerit forum, magister usus, et leges, et instituta populi Romani mosque maiorum. Paullum sitiens istarum artium, de quibus loquor, 75
gustavi, quaestor in Asia quum essem, aequalem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius, et, inde decedens, Athenis; ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius veneram, succensuissem. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinae, non modo non pro me, sed contra me est potius:

---

modo scriptum est Nat. Deor. I. § 91, non tamen Latinum esse puto ut dicatur *tantam vim doctrinae complecti*. Usurpatur sane *doctrina* pro eo quoque, quod quis discendo *assequitur*, itaque hoc ipsum legimus supra, I. § 15: sed *vim doctrinae* nemo appellavit pro magno numero artium, quas quis complecteretur, sicuti multarum *artium vim et materiam* appellavit Cicero supra, I. § 10. Rursus, si *vim* interpretamur, ut sit praestantia, aut efficacitas, necessario *doctrina* eadem erit, quae *scientia*, habebimusque non ferendam tautologiam. In hoc quoque peccatum est, quod verborum compositio nunc hoc affert, ut dicatur *scientia doctrinae*, id quod vitari potuerat hoc modo, *tantamque vim doctrinae*.

Quod sequitur, *non pro me est*, quaero, quo auctore aut exemplo defendatur: nec quod apud Terentium est, Heautont. Prolog. vs. 30, huc pertinet. Supra quidem, I. § 55, *vide*, *ne hoc totum sit a me* (Graece πρὸς ἐμοῦ), quod in longa annotatione persequitur Ellendtius. Livius tamen aliquoties *esse pro* usurpat, ut sit *favere*: vid. V. 3. 7, et quae Drakenborchius excitat exempla ad XXXII. 10. 11.

qui artes rhetoricas exponunt. Non uno modo in his peccatum est. *Artes* sane, ut Gr. τέχναι, sunt compendia illa, quibus rhetorici doctores *artis* suae praecepta tradebant: conf. supra, I. § 86. Sed nomen illud *artium* respuit Adiectivum *rhetoricus*, minime satis commendatum sollemni istorum libellorum inscriptione τέχνης ῥητορικῆς, ut I. § 91, *nemo scriptor artis*. Tum *artes exponere* improprie dicitur pro *artis praecepta tradere*. Sed totum hoc, et ipsum *perridiculos*, sumtum ex II. § 77, modo indicavi.

de litium genere quum dicitur, quaeri potest, de quo genere? Voluit sane, *de litium generibus*. Sed, ne *lites* quidem proprie in illa rhetorum disciplina vocantur, quae non nisi in foro et in iudiciis appellantur: rhetorum erat *causarum* et *controversiarum* genera distinguere, ut aliquoties in his libris explicatur. — Neque satisfacit, quod subiicitur, *et de principiis et de narrationibus*, quum diligentius illa partitio exposita esset II. § 79, sq.: et Charmadas, supra, I. § 86, *prooemia* potius et *epilogos* nominavisset.

His singulis sic, ut decebat, explosis, nemo, ut puto, amplius contendet, ea, tamquam a Cicerone profecta, servanda esse. Crassi autem disputationi in primis conveniet hoc, ut illis, *nisi Atheniensibus — succensuissem*, sub-

non enim quid ego, sed quid orator possit, disputo, atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, et de prin-
76 cipiis, et de narrationibus: illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat; eadem mores, leges, iura describat, rem publicam regat, omniaque, ad quamcumque rem pertineant, or-
77 nate copioseque dicat. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus; neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.

21 Quid enim meus familiaris, C. Velleius, afferre potest,
78 quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si vellem, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque

---

iiciatur, § 76, *illa vis autem eloquentiae* —.

76. *omnisque naturae, quae mores hominum — continet.* Leni transpositione aptius efficietur hoc, *omnisque naturae hominum, quae mores, quae animos* —. Supra quoque, II. § 68, ubi eadem dicuntur, *natura* cum *hominibus* iungitur.

eadem mores — describat. Neque tam brevi intervallo bis poni *mores* probandum erat; et, sicut *leges et iura describere* proprie dicitur (ut I. § 33), ita rationi adversatur et *morem*, et *mores describere*, et aliud est *conformare hominum mores* (I. § 86). Ideo *mores* abiiciendum: supra quoque, I. § 33, *leges, iudicia, iura describere.* Conf. quae notavi ad II. § 68.

omniaque, ad quamcumque — pertineant. Recepi optimam Gruteri correctionem, pro vulg. *omnia, quae ad qu.* —. Non possunt *omnia ad quamcumque rem pertinere.* Miror, Ellendtio hoc exquisitius visum esse.

77. *quantum ingenio — valemus.* Nec per se *mediocris doctrina* ut dicatur probandum est, neque convenit Crassum h. l. *doctrinam* profiteri, propter ea, quae et alibi, et modo, § 74, dixerat: conf. I. § 78, et III. § 85. Itaque, sublata interpolatione, legendum *quantum ingenio mediocri, quantum usu valemus.*

78. [*homines Stoici*]. Sine demonstratione mihi concedetur, opinor, hoc emblema expellendum esse.

79. *eaque exercitata oratione poliuntur.* Neque Orellii horum verborum interpretatio probari potest, qui expli-

nostrum versatus? Quid est, quod aut Sext. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panaetio vixit, M. Vigellius, de virtute [homines Stoici] possint dicere, qua in disputatione ego his debeam aut vestrum quisquam concedere? Non est enim philo- 79
sophia similis artium reliquarum. Nam quid faciat in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur: haec vero, quae sunt in philosophia, ingeniis eruuntur ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus, eaque exercitata oratione poliuntur. Hic noster [vulgaris orator], si minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi istos quidem verberabit, neque se ab iis contemni ac despici sinet. Sin aliquis exstiterit ali- 80
quando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut, hoc Arcesilae modo et Carneadis, contra omne, quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem

---

cat, *orationem hominis bene exercitati;* neque Kaysero concedendum totum hoc abiiciendum esse. Ferri sane non potest *oratio exercitata.* Duplex officium cum philosophandi munere coniunctum explicat, primum, veri inveniendi, tum, ipsius inventi enuntiandi, quo speciem quamdam accipiat, id quod *poliendi* verbo indicatur. Corrigam, *eaque exercitatione poliuntur: eam exercitationem* dicit, scil. *eliciendi.*

hic noster [*vulgaris orator*]. Duorum postremorum verborum manifestum emblema est. *Vulgaria* cum contemtu quodam appellantur: neque nunc Crassus oratorem de vulgo intelligit, sed, ut modo, § 78, *unusquisque nostrum,* et *ego aut vestrum quisquam*, ita nunc non nisi *hic noster* dixit.

istos quidem verberabit. Nostros, in libris inculcatum post *quidem*, ut ineptum omisi: sed ne *philosophos* quidem, a Pideritio excogitatum, probare potui. Modo, *communi* mutandum in *munitus.*

80. *adiungat hunc* [*rhetoricum*] *usum* [*moremque*] *exercitationemque dicendi.* Insititia illa Lambinus iam damnaverat: secuti sunt novissimi Editores. Neque *usus rhetoricus*, neque *exercitatio rhetorica* cogitari potest. *Hic usus*, i. e. quo nos sumus, e foro comparatus, quod ipsum putide explicaretur assumto *forensem*, e Madvigii coniectura. Sed, sicut *usum afferre* quis potest, *morem* non potest. Prorsus diversa sententia ista iunguntur infra, § 95, *ad nostrum* (i. e. Romanorum) *usum moremque.*

is erit verus. Quod commendaveram, suscepit Kayserus. Libri, *is sit*

adiungat hunc [rhetoricum] usum, [moremque] exercitationemque dicendi, is erit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis
81 politus et sapiens esse orator potest. Quare Coracem istum veterem patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido, qui evolent, clamatores odiosi ac molesti, Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem, tamquam pueriles delicias aliquas, depingere; nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus; dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris, quos nemo istorum umquam attigit, comprehensa esse videatur.

22 Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse,
82 mirandum est esse in te tantam dicendi vel vim, vel suavitatem, vel copiam; quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere, nunc intelligo, illa te semper etiam potiora duxisse, quae ad sapientiam spectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, quum omnes gradus aetatis recordor tuae, quumque vitam tuam ac studia considero,

---

verus. Conf. infra, § 95, fin., et I. § 64.

81. *Coracem istum veterem*. Suscepit hanc meam correctionem Kayserus, quum libri haberent *istum vestrum*. Nemo Romanus eum noverat: conf. I. § 91, cuius tamen mentio h. l. praeter Pronomen postulabat Adiectivum.

ut omnibus philosophorum libris — videatur. Quum rei magnitudinem exaggerare volebat Crassus, non sic locutus est, sed dixit, *ut ne omnibus quidem phil. libris —*.

quos nemo istorum. Libri, *nemo oratorum istorum*: Pideritius corrigebat, *rhetorum istorum*. Neutrum horum huius loci est: qui *isti* sint, satis intelligitur.

82. *rebar*. Catuli hoc proprium fuisse intelligitur infra, § 153.

nec magnopere. Interponendum hic suspicor *nunc*, quod facile excidere potuit: conf. § 85.

84 [*summo scilicet*]. Putide haec inculcantur: nec modo *de summo histrione* dixerat: suo loco id et mox dicitur, et § 85. Vitium in aliis locis notavi, ad Orat. § 44.

[*neque enim apud homines — desideret*]. Duo me in his offenderunt:

neque quo tempore ista didiceris video, nec magnopere te istis studiis, hominibus, libris intelligo deditum; neque tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quae mihi persuades maxima esse adiumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere, an, si non potueris, posse isto modo dicere. Hic Crassus, 83
Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum: negarem enim posse eum satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset; neque, ea quum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter 84
nunc de oratore, vestro impulsu, loquor [,summo scilicet]. Semper enim, quacumque de arte aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet. Quare, si iam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo (quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio): quod si ita est, summus tamen certe non sum [: neque enim apud homines res est ulla difficilior, neque maior, neque quae plura adiumenta doctrinae desideret]. Attamen, quo- 85
niam de oratore nobis disputandum est, de summo

---

primum, quod, quaecumque inde probabilis sententia efficiatur, minus opportune ea h. l. interponitur, divellitque ea, quae copulanda sunt, *summus tamen certe non sum; et tamen, quoniam* —. Alterum in forma loquendi notandum est. Veluti, quae est illa *res*, tam *difficilis* tamque *magna?* Referri non potest ad *summum oratorem esse*, id quod *rei* nomine indicari non licet. Porro, plane inauditum est ut *res* dicatur *difficilis apud homines*. His de causis ista mihi vehementer suspecta sunt. — Mox, pro *attamen*, malim *et tamen*.

85. *et cum istis hominibus*. Aptius fore credo, *aut cum i. h.*

ullum umquam habuisse sepositum tempus. His commendatur, quod supra, I. § 2, fin., diximus, *umquam* supplendum esse.

quantum mihi [puerilis aetas,] forenses feriae concesserint. Sed *puerilis aetas* non *concedit tempus*, quod *doctrinae* tribuatur, sed tota discendis artibus destinari solet: conf. § 125. De vita demum occupata sic loqui poterat Crassus, ut *forenses feriae* sibi aliquantum *concesserint*. Sublatis verbis *puerilis aetas*, tolletur simul non ferendum asyndeton.

oratore dicam necesse est. Vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor neque hodie in istis libris, et cum istis hominibus vivere, nec vero, id quod tu recte commeministi, ullum umquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum mihi [puerilis aetas,] forenses feriae concesserint.

23 Ac si quaeris, Catule, de doctrina ista quid ego
86 sentiam; non tantum ingenioso homini, et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rem publicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt, aliter ab iis, qui, ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium summa iam senectute est, et quotidie commentatur; nihil enim curat aliud: at Q. Velocius puer addidicerat; sed quod erat aptus ad illud totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

— quamvis bonus ipse
Samnis in ludo ac rudibus, cuivis satis asper:

sed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat: erat enim scenicus: quid
87 faceret aliud? at Numerius Furius, noster familiaris, quum est commodum, cantat: est enim paterfamilias, est eques Romanus; puer didicit, quod discendum fuit.

---

86. *puer addidicerat.* Quidni, *didicerat?* ut mox, *didicit.* Scripsitne, *puer admodum did.?*

87. *si et tantum sumas, quantum opus sit.* Nulla ratio est Coniunctivi *sit.* Tum hic corrigendum est, *opus est*, sicut recte editur § 108; tum, § 96, servandum *opus sit*, ex ratione syntactica.

88. *ut agitatio rerum sit infinita.* Nulla in hac disputatione intelligi potest *rerum agitatio.* Fortasse rectius est, *agit. studiorum*, ut Senect. § 23, *in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit.*

libet autem semper discere. Haec tam abrupte sententiam inchoant, ut neque cum superioribus, neque cum

Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies et noctes virum summa virtute et prudentia videbamus philosopho quum operam daret, Q. Tuberonem: at eius avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere. Sed, si tota 88
vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio et quaestio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges: ita fit, ut agitatio rerum sit infinita, cognitio facilis, si usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat: libet autem semper discere, ut si velim ego talis optime ludere, aut pilae studio tenear, etiam fortasse si assequi non possim: at alii, quia praeclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod 89
quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat: namque aut senes ad eas accesserunt, aut usque ad senectutem in studiis detinentur, aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, numquam omnino possit perdiscere.

Iam, iam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid 24
dicas, et hercule assentior: satis video tibi, homini ad 90
perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quae dicis, fuisse temporis. Pergisne, inquit Crassus, me, quae dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, si

---

sequentibus cohaereant. Sed cum illis continuanda sunt, et sic corrigenda, — *studiumque permaneat, nec libeat tamen perdiscere.* Hoc autem *perdiscere* nonnumquam stolidum esse, mox suo exemplo ostendit.

89. *ex eo, quod senes discunt, pertimescat.* Non ignoro, Plurale (*senes discunt*) referri posse ad *quisquam:* sed tamen aptius credo scribi potuisse, *ex eo, quum senex discit* —. — Quod subiicitur, *res quidem — perdiscere*, idem infra dicitur, § 124.

90. *mihi vero — [placet].* Et *Catulus*, et inutile verbum omittendum, secundum ea quae notavi ad § 47.

placet, ad instituta redeamus. Mihi vero, [Catulus] in-
91 quit [,placet]. Tum Crassus, Quorsum igitur haec
spectat, inquit, tam longa et tam alte repetita oratio?
Hae duae partes, quae mihi supersunt, illustrandae
orationis, ac totius eloquentiae cumulandae, quarum
altera dici postulat ornate, altera apte, hanc habent
vim, ut sit quam maxime iucunda, quam maxime in
sensus eorum, qui audiunt, influat, et quam plurimis
92 sit rebus instructa. Instrumentum autem hoc forense,
litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum
sane atque mendicum est: illud rursus ipsum, quod
tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non
multum est maius, quam illud vulgare ac forense. Ap-
paratu nobis opus est, et rebus exquisitis undique col-
lectis, arcessitis, comportatis, ut tibi, Caesar, facien-
dum est ad annum, ut ego [in aedilitate] laboravi,
quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse
93 huic populo non putabam. Verborum eligendorum, et
collocandorum, et concludendorum facilis est vel ratio,
vel sine ratione ipsa exercitatio. Rerum est silva magna;
quam quum Graeci iam non tenerent, ob eamque cau-

---

91. *ut sit quam maxime iucunda.* Aegre careo in his diserta subiecti mentione, quam difficile est cogitando supplere ex iis, quae interponuntur: simplex enim sententia est, *hae duae partes hanc habent vim, ut sit iucunda* —. Interponendum est subiectum, *ut oratio sit q. m. i.*

92. [*in aedilitate*]. Interpolatum est: neque modo in Caesare idem indicabatur, neque *in aedilitate*, sed iam ante solebat opera in ea re poni.

94. *humanitate dignam scientiam.* Video nunc Lambinum iam sic correxisse, pro vulg. *humanitatem dignam scientia.* Intelligenda est scientia, quae homine digna sit, quae hominem deceat. Sic, § 140, *omnium rerum, quae essent homine erudito dignae, doctrinam.*

nihil — docere, nisi ut auderent. Vix probandum ut obiectum verbi *docere* enuntietur hac syntaxi, per Partic. *ut:* praetereaque in his verbis hoc vitiosum est, quod abest subiectum verbi *auderent*, nec nisi in antecedd. sermo erat de adolescentibus. Sed corrigendum censeo, *nisi audere*, quoniam Infinitivo recte obiectum significatur. Sic Philipp. II. § 8, *te nihil sapere docuit.*

quod etiam cum bonis rebus — fugiendum. Sicuti inter se opponuntur *cum bonis rebus coniunctum*, et *per se ipsum*, ita necessario *fugiendum* requirit oppositum. In librorum lectione stulte copulantur ea, quae inter se op-

sam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si dîs placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Graecos, cuicui- 94
modi essent, videbam tamen esse, praeter hanc exercitationem linguae, doctrinam aliquam et humanitate dignam scientiam: hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod, etiam cum bonis rebus coniunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. Quamquam non haec ita 95
statuo atque decerno, ut desperem Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri: patitur enim et lingua nostra, et natura rerum veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri: sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt, sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.

---

posita sunt. Sanam sententiam restituemus hoc modo: *quod, etiam si cum bonis rebus coniunctum laudandum, per se ipsum —.*

et quum impudentiae ludus esset. Postulari puto, ut *impudentiae ludus* in praedicato dictum accipiatur: et, quoniam in hac sententia *hoc unum*, nempe *audere*, vix subiecti locum explet, legendum censeo *isque imp. l. e.*

95. *ut desperem Latine ea — tradi ac perpoliri.* Non accedo Pearcio, qui additum requirebat *posse*. Non agitur de eo, utrum fieri istud possit, nec ne: sed, an aliquando exsistant, qui illud faciant: et, sicut *desperare* cum Accusativo obiecti iungitur, ut *d. salutem*, ita h. l. cum Infinitivo. Tum, videndum, an infra, § 147, recte illud *posse* addatur:

et lingua nostra et natura rerum. Apparet, credo, Romanorum quae propria sint conferri cum Graecis: igitur recte petitur argumentum e Latina lingua, quae minime excludat veterem illam, nempe et cogitandi, et pronuntiandi Graecorum prudentiam. Sed *natura rerum* Romanis tribui non poterat, diciturque in multum diverso argumento: rursus alio modo *naturae rerum* sunt intelligendae, ut supra, § 26, et infra, § 127. Licebit coniicere, scriptum fuisse *naturaingeniorum*, sicuti I. § 15, fin. in eodem argumento dictum est, *ingenia nostrorum hominum:* mox, § 97, dicit, *ingenia vestra.*

25 Ornatur igitur oratio genere primum, et quasi colore
96 quodam, et succo suo. Nam, ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut doloris habeat quantum opus sit, non est singulorum articulorum; in toto spectantur haec corpore: ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quaedam insignia et lumina.
97 Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet. Non enim a me iam exspectari puto, ut moneam, [ut caveatis,] ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta: aliud quiddam maius et ingenia me hortantur vestra,
98 et aetates. Difficile enim dictu est, quaenam causa sit, cur ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus! quae tamen, etiam si primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant, quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones, et falsae

---

96. *ut sensus, ut doloris habeat quantum opus sit.* Quum ita correxissem, *doloris*, pro vulg. *dolores*, ut utriusque Nominis Genitivus esset, quumque dixissem, orationi ista non nisi singulari numero tribui posse, probavit correctionem Pideritius, eamque luculenter ornavit. *Sensum* et *dolorem* eodem modo coniungi videmus Cluent. § 10. Sex. Rosc. Amer. § 129.

97. *ut moneam*, [*ut caveatis*,]. Merito ista in uno alteroque Cod. omittuntur.

98. *cur ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate.* Non dubito, quin obtineam, corrigendum esse, *implent*: contra, *impellitur* quis ad agendum. Pron. *ea*, iure delendum censet Pideritius.

quum iidem — illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Kayserus suspicatur, excidisse *genere*. Ego illa Adiectiva potius substantive posita esse puto.

voculae, quam certae et severae! quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc videre in reliquis sensibus. Un- 99
guentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis; et magis laudari, quod ceram, quam quod crocum olere videatur: in ipso tactu esse modum et mollitudinis et laevitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit! Quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis 100
fastidium finitimum est. Quo hoc minus in oratione miremur, [in qua vel ex poetis, vel oratoribus possumus iudicare,] concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta [vel poesis, vel oratio], non posse in delectatione esse diuturna. Atque eo citius in oratoris [aut in poetae] cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus in nimia voluptate natura, non mente satiantur, in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis infucata [vitia] noscuntur.

---

99. *quod ceram, quam quod crocum olere videatur.* Pideritius, Plinii auctoritate (XIII. 3. 4 et XVII. 5. 3), restitui vult, *quod terram, q. q. cr. sapere videatur.* De *sapere* fortasse recte sentit: quod *terram* commendat, non satis puto defendi eo, quod Plinius (XVII. 5. 39) intelligit *terrae odorem.*

quae — sensum voluptate moveant. Proprium demum erit, *quae — sensus voluptatem moveant.*

100. *sic omnibus in rebus — esse diuturna.* Non desero meam huius loci interpretationem, quam probasse videor Kaysero, qui ea incluserit, quae delenda censueram. Sed quoniam minus hoc Pideritio placebat, qui vulgatam editionem defendit, operae pretium est singula denuo spectare. Poetarum et poeseos mentionem hinc abiiciendam puto, quod, ut iam indicatur § 96, sq., hic non nisi de ornanda *oratione*, quae oratoris sit, praecipit Crassus, omnesque illas similitudines

26 Quare *bene*, et *praeclare*, quamvis nobis saepe dicatur; *belle*, et *festive*, nimium saepe nolo: quamquam illa ipsa exclamatio, *non potest melius*, sit velim crebra. Sed habeat tamen illa in dicendo admiratio [ac summa laus] umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest,

Nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit:

sed abiicit prorsus, ut in proximo,

Ecquid video? ferro septus possidet sedes sacras,

incidat, aspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter?

---

a sensibus petitas tandem ad *orationem* confert (*quo hoc minus in oratione miremur*). Nec voluisse Crassum nunc poetas coniungere cum oratoribus inde intelligitur, quod ad varietatem illam commendandam primum histrionis artem excitat (§ 101), tum postremum et *poetas*, et *eos, qui modos fecerunt*, commemorat (§ 102), reditque, unde deflexerat, ad oratorem (§ 103).

Videamus de Latinitate. Contendo, dici non posse, *ex poetis aut ex oratoribus iudicare possumus, concinnam orationem — non posse in delectatione esse diuturna:* quae explicare difficile est, nisi haec sententia subesse fingatur, nullos poetas vel oratores diu nos delectare, quod eorum oratio est sine intermissione concinna, cet., vel, nonnullos eo vitio laborare. Sed huiusmodi iudicium de poetis aut oratoribus nunc alienissimum est a Crassi consilio, qui nunc praeceptum ponit adolescentibus, explicatque vitium, a quo caveant, neque hoc ante similitudine aliarum rerum illustrare necesse habuisset, si in ipsis poetis aut oratoribus indicare potuisset. Praeterea, dicere non licebat, *possumus iudicare, eiusmodi orationem esse non posse in delectatione diuturna;* quoniam nemo *iudicat*, quid possit, aut non possit fieri, aut quid alii sentirent, sed quid, aut quale quid sit, quo modo et *intelligere*, et *existimare* usurpatur, v. c. in Bruto, § 29. 60. 71 et 82: et in Amic. § 23, restituendum est, quod similiter usurpatur, verbum *perspiciendi*, in his, *ex dissensionibus atque discordiis perspici potest*, ubi vitio editur *percipi*.

Quum igitur intempestiva quoque poetarum et poeseos mentio addita sit, maneo in sententia, ista, quae uncis inclusi, insititia esse.

sensus in nimia voluptate natura, non mente satiantur. Nemo, credo, facile dixerit, quid sit, quum *sensus* dicuntur *non mente satiari*. Ne opus quidem est enucleare, quam istud absurdum sit. Sed illud *non mente* (*no mente*) ortum est, duabus consonantibus transpositis per socordiam librarii, ex *monente*. Igitur ridicula quoque oppositio *naturae* et *mentis* tolletur, si

— *Quid petam praesidi?*

quam leniter, quam remisse, quam non actuose! instat enim

O pater, o patria, o Priami domus!

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur. Ita sit nobis igitur ornatus et 103
suavis orator [, nec tamen potest aliter esse], ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam: nam ipsa ad ornandum praecepta, quae dantur, eiusmodi sunt, ut ea quamvis vitiosissimus orator

---

ita legemus: *sensus in nimia voluptate, natura monente, satiantur.* Sic I. § 132, *occurrit naturali quadam prudentia:* et Orat. § 178, *eadem admonente natura.* Igitur mox *aurium*, quae natura est, opponitur *animi iudicio:* conf. infra, § 192.

infucata [*vitia*] *noscuntur.* Primum, assentior Kaysero, *vitia* hinc excludenti. Sed compositum *infucata* e Latinitate eiiciendum est, legendumque, ut ubique, *fucata:* et proprium magis erit *agnoscuntur.*

101. *illa in dicendo admiratio.* Quid est *admiratio in dicendo?* Ipsa *admiratio* est eorum, qui audiunt, quum exclamant, *non potest melius:* sed hoc non faciunt *in dicendo*, sed, *in dicente*, ut corrigendum mihi videtur. Sic supra, I. § 152, *admirationes in bonis oratoribus.* De constr., *admirari in quo*, notavit Madvigius ad Fin. p. 10. — Sed abiicienda sunt haec, *ac summa laus*, quoniam haec nulla alia est, nisi perfecta virtus, sive eloquentiae, sive oratoris: conf. § 104 et 105. Cum *admiratione* coniungi poterat *laudatio*, non item *laus.*

102. *ut in proximo — incidat.* Quod edi solebat, *in proximos*, bene correctum est a Grutero, *in proximo*, fortasse melius, *in proximis.* Et sane non recte diceretur actor, quasi forte fortuna, *incidere in versus.* Sed ipsum illud *incidit* in vitio est, multumque diversum quod dicitur infra, § 217. Et quoniam non tantum tria verba, quae adiiciuntur, significant, quam subito mutaretur Roscii gestus, sed primum quoque eodem consilio usurpari credibile est, corrigo, *incedat*, i. e. erigat se maiore fiducia animoque. Dixi de illo verbo ad Oratorem, § 26, quod eodem modo intelligendum in Coelii Epistola, ad Div. VIII. 9. 1: tum laudavi Manutium, ad Cic. ad Div. II. 9. 2. (*incessi omnibus laetitiis*), et de Comicis Plautum, Asinar. II. 3. 25. Terent. Eunuch. V. 3. 9: cf. Liv. XLII. 59. 6.

103. [*nec tamen potest aliter esse*]. Ineptissimum emblema, in quo neminem offendisse valde miror.

quare — silva rerum [*ac sententiarum*] *comparanda est.* Turbatum est in his, atque series et cognatio sen-

explicare possit. Quare, ut ante dixi, primum silva rerum [ac sententiarum] comparanda est; [qua de parte dixit Antonius:] haec formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis.

104 Summa autem laus eloquentiae est amplificare rem [ornando]; quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius [dicendo], sed etiam ad extenuan-
27 dum atque abiiciendum. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationi faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum
105 conciliamus animos, vel quum concitamus: sed in hoc,

---

tentiarum vitiata est. Sicut, § 91, dixerat Crassus, *duae partes supererunt ei illustrandae orationis ac totius eloquentiae cumulandae*, altera *ornate*, altera *apte dicendi*. Nunc autem concludit eam praeceptionem, quae pertinebat ad ornate dicendum, in quo perquam inepte nunc hoc ponitur, *silvam rerum comparandam esse*. Quod concludere voluit Crassus, sequentibus demum continetur, quae novissimi etiam Editores perperam interpunctione a superioribus divulserunt. Levissima adhibita correctione locus sic enuntiandus est: *quare, ut ante dixi, primum silva rerum comparata, est haec formanda —:* sic demum apparet quo spectaverit Crassus, cui sane de *silva rerum* monere licebat ante se dixisse (§ 93), quae nihil nisi hoc praedicant, inanem futuram orationem, cui res non subsit. Post *rerum* omittendum *ac sententiarum* (quod novissimi Editores viderunt), non tantum quod supra, § 93, istud non additur (quamquam recte II. § 145, fin. iunguntur *res et sententiae*), sed quod fieri non potest ut Crassus dixerit, *silvam sententiarum variandam esse sententiis*. Quae interposita sunt, *qua de parte dixit Antonius*, tum inepte, tum inscite inventa sunt a male sedulo annotatore: neque enim ea *pars* erat illustrandae *orationis*, et ne appellari quidem poterat, quum nulla distributio instituta esset, neque omnino de illa *silva rerum* disputaverat Antonius: postremo, non decebat Crassum sine necessitate revocare, quid Antonius explicuisset. Similem annotationem indicavi supra, II. § 65.

104. *summa autem laus eloquentiae —:* Postquam universe de ornatu dixisset, quem in genere et colore orationis spectandum esse, pergit ad ea designanda, in quibus praecipue laus eloquentiae existere possit. Sed, quum dicitur *rem amplificare ornando*, stupide invectum est hoc *ornando*, et mox *dicendo*. Tum, correxi, *ad fidem orationi faciendam*, pro vulg. *orationis*.

105. *una laus oratoris est propria maxime.* Omisi *et*, ante *propria*, ut Pearcius iam commendaverat.

etiam maior est — vituperandi. Priusquam de ipsa sententia quaeramus, liberemus eius simplicem iustamque formam iis, quae satis inscite ab annotatore interposita mihi videntur. Nihil huc pertinebat Antonii disputatio, qui, II. § 341—349, non nisi *praecepta*, et *locos laudandi et vituperandi* explicuerat: neque eam exerci-

quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est propria maxime. Etiam maior est illa exercitatio [, quam extremo sermone instruxit Antonius, primo reiiciebat], laudandi et vituperandi: nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatissime facere posse. Consequentur etiam illi loci, 106
qui, quamquam proprii causarum et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen, quia de universa re tractari solent, *communes* a veteribus nominati sunt: quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem

---

tationem *reiecerat* (quod perperam Ellendtius ad h. l. interpretatur, ut esset pro, laudationes »praeceptis egere negaverat"), sed totum hunc *segregaverat* locum (II. 341); de amplificandi exercitatione, quae laudationibus contineretur, nihil dixerat. Praeterea, neque *exercitationem instruere* Latinum est, neque *exerc. praeceptis instruere*. Eo quoque arguitur emblema, quod, contra quam sermonis norma fert, divelluntur *exercitatio laudandi*. Igitur reliqua sunt haec verba: *etiam maior est illa exercitatio laudandi et vituperandi*. In his neque Pron. *illa* se tueri potest, quoniam nihil est, quo eiusmodi designatio commendetur: tum, quamquam, I. § 145, dicitur *magna exercitatio*, non tamen h. l. *maior* appellari poterat, quia nulla comparatio cum alia cogitatur: frustra hoc expedire conabatur Ellendtius. Quae autem Coniunctio inchoat hanc sententiam, *etiam*, et, si cum Compar. *maior* iungitur, ob eamdem causam intempestiva est, et, si nihil aliud est nisi *praeterea*, orationis consilio adversatur, quoniam nihil novum nunc praecipitur, sed quod arcte cohaereat cum antecedente. Quo modo haec vitia corrigenda sint, prorsus nihil video: nec mihi satisfacit Kayseri suspicio, qui corrigi volebat, *quae etiam maior est illa exercitatione, quam — reiiciebat, adhibita*. Tantum intelligo, verba haec cum superiore sententia continuanda esse, tum sententiam certe huiusmodi quamdam requiri, *cuius (amplificationis) facultatem affert exercitatio laudandi et vituperandi*.

106. *consequentur etiam illi loci —*. Pideritius haec interpretari videtur hoc modo: »eodem pertinent illi loci —:" quamquam neque illud *eodem* inest in verbis, neque *consequi* dici potest pro *pertinere ad*. Non difficile est intelligere, sicuti laudandi et vituperandi exercitationes utiles esse dicebantur ad amplificationis laudem, eodem nomine commendari locos communes. Hinc corrigendum est, *consequentur idem*, i. e. amplificationis laudem. Ipsum illud *etiam* in hac sententia ferendum non erat.

quia de universa re tractari solent. Vix concedendum scripsisse Ciceronem *locos communes tractari de universa re*. Suspicor, legendum esse, *quia ad universam rem traduci solent:* sicut II. § 135, *revocare ad genus et ad universam naturam*.

quibus uti, confirmatis criminibus, oportet. Aptius erit, credo, *confirmandis*.

quamdam cum amplificatione incusationem aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec potest; ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam, quibus uti, confirmatis criminibus, oportet; aliter enim iniusi sunt atque inanes; alii autem habent deprecationem,
107 aut miserationem; alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet. Quae exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus ante dixi, putatur: apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur: de virtute enim, de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena, similibusque de rebus in utramque partem dicendi animos, et vim, et ar-
108 tem habere debemus. Sed, quoniam de nostra possessione depulsi in parvo, et eo litigioso, praediolo relicti sumus, et aliorum patroni nostra tenere tuerique non potuimus, ab iis (quod indignissimum est), qui in

---

107. *disseri licet.* Corrigendum, *disserere l.*

de virtute enim — artem habere debemus. Turbata series sententiarum est. Nam, quod illis verbis continetur, minime rationem reddit (*enim*) eius, quod modo praecedit, apud antiquos omnem dicendi rationem peti solitam fuisse a sapientibus. Transponenda videntur illa post haec verba, § 108, *sed, quoniam — mutuemur.* Etenim sic argumentatur: illa exercitatio in utramque partem disserendi nunc propria putatur duarum philosophiarum: *sed, quoniam de nostra possessione depulsi — non potuimus, ab iis* (i. e. ab illis duabus philosophiis) — *quod opus est nobis mutuemur: de virtute enim, — artem habere debemus. Dicunt igitur* —. Tota autem haec disputatio eo pertinet, ut demonstret, *locos communes*, et *ancipites* illas *disputationes* in primis ornandi exercitatione contineri; ideoque suam controversiarum partitionem explicat Crassus inde a § 111: tum, § 120, explicat, quod genus controversiarum maxime ornatum ferat, denuoque, § 123, queritur de eodem, oratores ista a philosophis, a quibus exspoliati essent, sumere oportere. Non assentior ei, qui nuper *animos* mutari commendavit in *copiose.*

109. *nunc quidem illā* —. Perperam Ellendtius verba *quidem illā* insititia habet.

ex particula parva urbis, Intelligit τὸν περίπατον, in quo Lyceum erat, quod non erat gymnasium suburbanum, ut putat Ellendtius.

(*olim autem — vocabantur*). Dicuntur haec in parenthesi. Sed delenda sunt verba *philosophi appellati.*

aut definitae controversiae. Suscepi hanc correctionem, a Pearcio et Er-

nostrum patrimonium irruperunt, quod opus est nobis mutuemur.

Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex particula 28
parva urbis ac loci nomen habent, et Peripatetici phi- 109
losophi aut Academici nominantur, (olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam, a Graecis politici philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur) omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitae controversiae certis temporibus ac reis; hoc modo, placeatne a Carthaginiensibus captivos nostros, redditis suis, recuperari: aut infinite de universo genere quaerentis, quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit. Atque horum superius illud genus causam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione, definiunt: haec autem altera quaestio infinita et quasi proposita consultatio nominatur. Atque hac etiam in instituendo divisione utuntur, 110

---

nesto commendatam, pro eo, quod edi solebat, *aut de finita controversia*. Neque enim probari poterat haec syntaxis, ut diceretur *genus de finita controversia*: neque offendere debebat Ellendtium, quod dicitur *controversia infinite quaerens*. — Mox, in verbis *eamque tribus — definiunt*, facile carerem illo *tribus*.

110. *atque hac etiam in instituendo divisione utuntur*. Totius loci turbatam et mutilatam esse lectionem tanto minus mirum est, quod hic fere consuuntur Codices lacunosi cum iis, quae sec. demum XV° prodierunt e Codice Laudensi. In corrigenda lectione frustra mihi videntur operam posuisse viri docti, neque ipse quidquam reperi quod mihi satisfaceret. Quod ad consilium horum verborum attinet, tantum apparet, quum breviter modo expositum esset quid philosophi illi in hac disciplina traderent, subiici castigationem rhetorum, i. e. dicendi magistrorum, qui civilis orationis duo illa genera non sic, ut oportebat, persequerentur. Non attinet singula, in quibus offendimus, indicare, locumque aliis corrigendum relinquere malo.

ut denique. Sic in aliis libris legitur, in aliis *aut denique*. Madvigii correctionem, *vi denique*, viris doctis probari video: Pideritius malebat *aut denique vi*. Manifestum est haec duo ita inter se opponi, ut *recuperare* dicatur in amissa et ab aliis retenta possessione, contra, *usurpare* in eius possessionis usu, qui continuatus nec interruptus fuisset. Conf. Madvig. Emendatt. Liv. p. 393. *Ex iure civili* bene a Kaysero insititium habetur.

[*etiam*] *harum iam causarum*. Ex librarii errore fluxit illud *etiam*, nusquam cum *iam* copulatum.

sed ita, non ut iure, aut iudicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut [ex iure civili], surculo defringendo, usurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia: nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime vigere audio, [etiam] harum iam causarum cognitio exercitatioque celebratur: alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant, et oratoris esse dicunt, sed neque **vim, neque naturam eius, nec partes, nec genera proponunt; ut praeteriri omnino fuerit satius, quam attentatum deseri: nunc enim inopia reticere intelligantur, tum iudicio viderentur.**

29 **Omnis igitur res eamdem habet naturam ambigendi,**
111 **de qua quaeri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur, sive in iis causis, quae in civitate et in forensi disceptatione versantur: neque est ulla, quae non aut ad cognoscendi, aut ad agendi**
112 **vim rationemque referatur. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur; ut, virtus suamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur: aut agendi consilium exquiritur; ut, sitne sapienti capes-**
113 **senda res publica. Cognitionis autem tres modi, conicctura, definitio, et, ut ita dicam, consecutio. Nam, quid in re sit, coniectura quaeritur; ut illud, sitne in humano genere sapientia. Quam autem vim quaeque res habeat, definitio explicat; ut, si quaeratur, quid**

---

111. *omnis igitur res eamdem habet naturam ambigendi.* In textu Ellendtius expresserat *habent*, manifesto falsum. Sed, de quacumque re aut causa, i. e. de singulis, dici non potest, eam habere *eamdem* naturam ambigendi, id quod tantum de pluribus dicere licebat: idque tanto minus hic ferendum, quod illae naturae ambigendi mox in duo diversa genera tribuuntur. Corrigendum censeo, *certam habet naturam ambigendi.* Sed, quae verba subiiciuntur, *de qua quaeri et disceptari potest*, tamquam si de ipsa *natura ambigendi* quaerendum esset, ea non puto, ut aliis placebat, insititia esse, sed retrahenda post *omnis igitur res.* Conferantur similes loci, in quibus idem propemodum explicatur, I. § 138. II. § 64, sq. et 78.

sit sapientia. Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, inquiritur; ut illud, sitne aliquando mentiri boni viri. Redeunt rursus ad coniec- 114
turam, eamque in quatuor genera dispertiunt: nam aut, quid sit, quaeritur; hoc modo, naturane sit ius inter homines, an [in] opinionibus: aut, quae sit origo cuiusque rei; ut, quod sit initium legum, aut rerum publicarum: aut causa et ratio; ut, si quaeratur, cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant: aut de immutatione; ut, si disputetur, num interire virtus in homine, aut nunc in vitium possit converti. Defini- 115
tionis autem sunt disceptationes, aut, quum quaeritur, quid in communi mente quasi impressum sit; ut, si disseratur, idne sit ius, quod maximae parti sit utile: aut, quum quid cuiusque sit proprium, exquiritur; ut, ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis praeterea possit: aut, quum res distribuitur in partes; ut si quaeratur, quot sint genera rerum expetendarum, ut, sintne tria, corporis, animi, externarumque rerum: aut, quum, quae forma et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur; ut, si quaeratur avari species, seditiosi, gloriosi. Consecutionis autem duo 116
prima quaestionum genera ponuntur. Nam, aut simplex est disceptatio; ut, si disseratur, expetendane sit gloria: aut ex comparatione, laus, an divitiae magis expetendae sint. Simplicium autem sunt tres modi: de expetendis fugiendisve rebus; ut, expetendine honores

---

quae in civitate — versantur. Nullo modo probari potest, ut causae dicantur *in civitate versari.* Corrigendum censeo, *in civium,* ut § 122, aut *in civili,* sicut, § 109, *civilis oratio* dicebatur. Si ista a se invicem distinguerentur, diceretur *in civitate et in for. disc.* Ita, I. § 65, *ea, quae sunt in disceptationibus atque in usu forensi.*

114. *naturane sit ius — an* [*in*] *opinionibus.* Tollendum *in*, perperam commendatum ab Ellendtio: sed praeterea corrigendum, *opinione.* Non solet in eo argumento Plurale poni: conf. Legg. I. § 45, sq.

116. *duo prima quaestionum genera.* Minus recte corrigebam, *primum.* Sunt τὰ ἄνω γένη, quorum singulorum mox subdivisiones memorantur. Eodem modo loquitur II. § 41, fin.

sint, num fugienda paupertas: de aequo aut iniquo; aequumne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum: de honesto aut turpi; ut hoc, sitne honestum gloriae causa
117 mortem obire. Comparationis autem duo sunt modi: unus, quum, idemne sit, an aliquid intersit, quaeritur; ut, metuere et vereri, ut, rex et tyrannus, ut, assentator et amicus: alter, quum, quid praestet alius alii, quaeritur; ut illud, optimine cuiusque sapientes, an populari laude ducantur. Atque eae quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a
30 doctissimis hominibus describuntur. Quae vero refe-
118 runtur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere, quid rectum faciendumque sit, quaeritur; cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subiecta; aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda tollendave tractantur: huic generi subiectae sunt cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum et impulsio, et, si ita res feret, mitigatio.

119 Explicatis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio: eadem enim sunt membra in utriusque disputatione, sed paullo secus a me atque ab illo partita ac distributa. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit

---

118. *aut in officii* —. Post Relativum *quae*, in hac altera parte requiro, *ea aut in officii* —.

119. *progrediar — revocabo.* Utriusque verbi Praesens praestare existimo.

120. [*privata et a*] *singulari controversia.* Bene illa verba inclusit Kayserus. In vulgata, quum iteretur Praep. *a*, perperam *privata* a *singulari controversia* distinguitur.

se — conferunt [*et convertunt*]. Piderit ius videtur haec defendere exemplis quibusdam istiusmodi abundantiae, quae sane usitatissima Ciceroni est. Sed primum, non negligi solet in talibus concinnitas: et h. l., ut nihil adiectum est ad praeced. *vagantur*, ita verisimile est Ciceronem nunc uno verbo defungi voluisse: supra quidem, II. § 199, *traduxi atque converti* est, sed statim, § 200, non nisi *converteram*. Ipsum autem *se aliquo conver-*

Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda; sed aliis generibus alii loci magis erunt apti: de quo, non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse. Ornatissimae 120
sunt igitur orationes eae, quae latissime vagantur, et a [privata et a] singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt [et convertunt], ut ii, qui audiunt, natura, et genere, et universa re cognita, de singulis reis, et criminibus, et litibus statuere possint. Hanc ad consuetudinem [exercitatio- 121
nis] vos, adolescentes, est cohortatus Antonius, atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque vos disserendi traducendos putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrantur, neque Tusculani, atque huius ambulationis antemeridianae, aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis, neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.

Nostra est enim (si modo nos oratores, si in civium 31
disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus 122
publicis adhibendi auctores et principes sumus), nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt,

---

tere de eo dici fere solet, qui aliud relinquit, in quo versabatur; id quod ab h. l. alienum est.

121. *hanc ad consuetudinem [exercitationis]* —. Manifestum esse puto Genitivum illum (quod e perversa quoque collocatione apparet) ad explicandum Pron. *hanc* interpolatum esse. Cohortatus erat Antonius hoc ipsum II. § 133, quum diceret, *omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri.* Ne agitur quidem h. l. de *exercitatione.*

neque Tusculani atque huius ambulationis —. Turbatum esse in Pronomine *huius ambulationis* eo arguitur, quod in re praeterita (nunc enim consederant) illo Pron. uti non licebat. Corrigendum censeo, — *atque unius ambul. antemerid., aut huius pomerid. sess.*

122. *si in periculis.* Ellendtius in-

atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte parce praecipiunt libellis, eosque rhetoricos inscribunt: quasi non illa sint propria rhetorum, quae ab iisdem de iustitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi denique etiam de naturae
122 ratione dicuntur. Quae, quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus exspoliati sumus; dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent, et quam intuemur, transferamus, neque (ut ante dixi) omnem teramus in his discendis rebus aetatem, sed, quum fontes viderimus (quos, nisi qui celeriter cognorit, numquam cognoscet omnino), tum, quotiescumque opus erit, ex iis tan-
123 tum, quantum res petet, hauriemus. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre, neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit. In hoc igitur tanto tam immensoque campo quum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque constiterit, consistere

---

terpretatur, *pericula publica*. Nusquam ita loquitur Cicero, qui sane voluit, *privatorum pericula*. Itaque corrigendum, *si in civium disceptationibus aut periculis*.

denique etiam de naturae ratione. Disputaveram, horum verborum priora quatuor esse abiicienda, ideo quod *natura* non nisi de *rerum natura*, quae physicae philosophiae esset, accipi posset, atqui mox a Crasso ista omnia *ad civilem scientiam transferuntur*, § 123; tum, quod, *naturae ratio* quid esset, vix explicari posset. Re iterum considerata, neque verba *vivendi ratione* sic, interpositis pluribus, divelli licere puto, et *naturas hominum* in ea disputatione appellari oportere, non simpliciter *naturam*; ut notavi ad I. § 48 et 67: conf. mox, § 124: et, II. § 68, *natura* intelligenda est *hominis*, non *hominum*. Hinc corrigendum potius sic erit, *de omni vivendi ratione, denique etiam de hominum naturis dicuntur*. Ita *vivendi ratio* I. § 212: sed I. § 42, dicitur *ratio vitae*, aliquanto minus proprie quam *vivendi ratio*.

123. *exspoliati*. Proprium hoc puto esse, neque convenire alterum, *expilati*.

quam intuemur. Suscepi hanc Schutzii correctionem, pro librorum lectione *intuentur*, quoniam non sine inaudita catachresi ipsae illae philosophorum disputationes dici poterant *intueri civilem scientiam*. Hanc ipsam *civilem*

in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit: 125 et, si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit [ex rei] natura quidam splendor in verbis: sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adiuvetur, et in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit; nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret: ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta [sine] duce natura ipsa, si modo est [exercitata], excitabitur.

Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam re- 32
rum varietatem, quantam vim, quantam copiam, 126
Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, et in maiorum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione versatos: ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam 127

---

scientiam pluribus ornavit Legg. I. § 62.

124. *in hoc igitur tanto—campo.* Redit nunc ad ea, quae dixerat § 93, *rerum est silva magna*, unde deflexerat.

125. *exsistit [ex rei] natura quidam splendor in verbis.* Alii libri, *exsistit ex re naturalis qu. spl. in v.* Neutrum probandum: legendumque *exsistit natura quidam spl.* Opponitur *splendor in verbis honestati in rebus.*

ad orationis ornamenta — excitabitur. Suscepit hanc meam correctionem, *excitabitur*, Kayserus. Vulgatum sane, *labetur*, nullo modo defendi poterat. Modo ante dixerat *modo a natura adiuvetur*. Tum, *sine* delendum est: *ducem naturam* opponit *magistris istis.*

126. *nullum genus disputationis.* E. Lendtius, vitio operarum, ut puto, ediderat *disputationibus.*

esse in omni orationis ratione versatos. H. quidem l. *orationis ratio* explicari non potest quid sit, quae recte appellatur II §. 185. Corrigendum, *in omni orationis regione:* conf. II. § 5.

127. *nec solum — quae — dicerentur.* Ut constructio constaret, Kayserus suspicabatur, post *dicerentur* excidisse *se tenere.* Equidem ipsum *scire* cogitando repetendum puto ex anteced., *nihil esse, quod nesciret*, i. e. se omnia scire. — In fine requiro, *sua se manu confecisse.*

venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poetarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur, sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset,
128 se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus; sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarisssimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Ceo, quid de Thrasymacho Calchedonio, de Protagora Abderita loquar? Quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura re-
129 rum et disseruit, et scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias — quo patrono (ut Plato voluit) philosopho succubuit orator; qui aut non est victus umquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est, aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit et disertior Socrates, et, ut tu appellas, copiosior et melior orator: — sed hic in illo Platonis libro de omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps [ex omnibus] ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet au-

---

128. *nimis hic quidem est progressus.* Dici poterat *longius*, non *nimis progredi*, ut neque *nimis consistere*. Sed neque *progressus* iste erat appellandus (ut Stoicorum προκοπή), tamquam ad virtutem: ideoque corrigendum, *nimium hic quidem est profectus*, sicut Sophistis illis tribuebatur τὸ ἐπαγγέλλεσθαι, idemque verbum mox, § 129, de Gorgia usurpatur.

princeps [ex omnibus]. Scribi potuit *princeps omnium*, non *ex omnibus*, quod per errorem huc irrepsit, quum mox sic, ut oportebat, reperiatur *soli ex omnibus*.

130. *vel copia, vel gloria floruisse.* Frustra quaesivi, quid esset *copia florere*, de *oratoris nomine* dictum. Intelligerem *dignitate florere*: nisi potius totum mutandum in *sapientiae gloria*, ut dicitur § 133.

131. *occupatissima in civitate.* Falso

dire: cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. Sed ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi doctores uno tempore fuerunt: ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis, oratorisque nomen apud antiquos in Graecia maiore quadam vel copia, vel gloria floruisse. Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis, an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam, quum tu, in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate vel privatorum negotiis paene omnibus, vel orbis terrae procuratione ac summi imperii gubernatione [districtus], tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum eius, qui consilio et oratione in civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris, illi, nati in literis, ardentesque his studiis, otio vero diffluentes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem et traditum et suum conservaverint.

130 131

Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Num geometriam, Euclide aut Archimede, num musicam, Damone aut Aristoxeno,

33 132

---

civitas occupata appellatur: occupationes sunt *hominis*. Corrigendum, duabus syllabis abiectis, *occupatissima in vita*. Ita, I. 21, *in hac tanta occupatione urbis ac vitae*, i. e. vitae urbanae, et § 81, *in hac nostra vita nostrisque occupationibus*. Praeterea abiiciendum *districtus*, inscite interpolatum.

nati in literis ardentesque his studiis. Neque de singulis, nec de pluribus dicere licet *studiis ardere*, sed *studio*. Quum praeterea in hac sententiae parte conditionem tantum describi oporteat, quae Graecorum fuisset, diversam a Romanorum hominum conditione, necessario corrigendum erit, *ardentibusque his studiis*. —. Quod autem statim sequitur, *otio — diffluentes*, necessario corrigendum, *affluentes*, ut supra, § 57: et frustra alterum sic interpretari conatur Ellendtius: in hoc *otio* nulla mollitiei notio cogitari potest.

num ipsas literas, Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua
132 elaboraret, seponeret? Equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Aelium, M' vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro, quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus suis omnibus consilii sui copiam: ad quos olim et ita ambulantes, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum si de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique
134 aut officio, aut negotio referretur. Haec fuit P. Crassi illius veteris, haec T. Coruncanii, haec proavi gentis mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia [, qui omnes pontifices maximi fuerunt], ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidemque et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum, et domi, et militiae consilium suum fidemque
135 praestabant. Quid [enim] M. Catoni praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam defuit? num, quia ius civile didicerat, causas non dicebat? aut, quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? utroque in genere et elaboravit, et praestitit: num propter hanc ex privatorum negotiis collectam

---

133. *qui excellere — vellent.* Eodem modo loquitur infra, § 140.

de agro colendo. Non puto, Aelium aut Manilium consuli solitos fuisse *de agro colendo*, quam artem vel ipsi tenebant, vel villico committebant Romani: conf. I. § 249. Video, illa verba in nonnullis libris omitti: tamen, leni correctione potius adhibita, legendum mihi videtur, *de opere locando.*

134. [*qui omnes pontifices maximi fuerunt*]. Manifesto haec sunt seduli annotatoris.

135. *quid* [*enim*] *M. Catoni — defuit?* Includenda erat, ut intempestive inserta, Coni. *enim.* Continuat enumerationem illorum veterum.

iuris scientiam negligebat. Si vera sunt, quae Scholic. Hypomn. V. p. 324 disputavi, non nude *ius*, sed perpetuo

gratiam tardior in re publica capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator, idem facile optimus imperator, denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit. Nunc 136
contra plerique ad honores adipiscendos, et ad rem publicam gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati; sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert, aut bellicam virtutem, aut usum aliquem militarem (quae sane nunc quidem obsoleverunt), aut iuris scientiam (ne eius quidem universi: nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit), aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant: omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

Sed, ut ad Graecos referam orationem (quibus ca- 34
rere in hoc quidem sermonis genere non possumus: 137
nam, ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla petenda), septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur, et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior iisdem temporibus illis, aut cuius eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit,

---

ius civile dici, suspicari licet, Ciceronem h. l. reliquisse, *illam sc. negl.*: nihil obstat I. §. 48, neque mox § 136.

136. *sin aliquis excellit unus e multis.* Non confundenda est haec locutio cum illa, quae exstat § 143, *unum excellere ex omnibus*, quae summam laudem continet. Sed per se *unus de multis* is est, cuius similes multi sunt, ut Offic. I. § 109: conf. supra, ad I. § 132.

137. *in hoc quidem sermonis genere.* Revocavi Praep. *in*, quam novissimi Editores omiserant. Ablativus absolutus huius generis incognitus est: quamquam dicitur *hoc populo*, i. e. quum talis populus est.

exempla petenda. Hoc correxeram pro vulg. *repetenda*, et assumsit meas rationes Pideritius, qui librorum quoque auctoritatem affert.

138 ut literis doctrinaque praestaret. Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur; cuius in labris veteres comici, etiam quum illi maledicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non declamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens quadraginta annis praefuit Athenis
139 et urbanis eodem tempore, et bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates clarissimum virum Timotheum, Cononis, praestantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum E-

---

quis doctior — Pisistrati. Aliquanto audacius de Pisistrato haec affirmantur, de quo non nisi *opinio* ferebatur: conf. Brut. § 27. — In fine huius loci corrigendum erit, *quod literis doctrinaque praestabat.*

138. *vir summus in maximarum rerum scientia.* Non dici Latine contendo *vir summus in scientia.* Corrigendum puto, *v. s., maximarum rerum scientiam*, nempe *docuerat.*

140. *rideo, unam quamdam omnium rerum — fuisse doctrinam.* Nihil attinebat *quamdam* doctrinam omnium rerum appellare, quae res praesertim quales essent explicatur. Una vocali mutata, legendum est *quondam.* Sic supra, § 57, eam *reterem doctrinam* appellat: et reliqua iam, inde a § 137, vindicant meam correctionem.

si iidem ingenio [ad pronuntiandum] valuissent —. Turbatum esse in his

paminondam, haud scio an summum virum unum omnis Graeciae? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaus Archytam Tarentinum? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiae Graeciam, quae quondam Magna vocitata est? Equidem non arbitror.

Sic enim video, unam quamdam omnium rerum, quae 35
essent homine erudito dignae atque eo, qui in re pu- 140
blica vellet excellere, fuisse doctrinam; quam qui accepissent, si iidem ingenio [ad pronuntiandum] valuissent, et se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia praestitisse. Itaque ipse 141
Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret [, quod ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset], mutavit repente totam formam prope disciplinae suae, versumque quemdam de Philocteta paullo secus dixit: ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere, quum barbaros*, hic autem, *quum Isocratem pateretur dicere*. Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agendi acciperet praecepta et eloquendi. Nunc, sive qui volet eum philosophum, qui 142
copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico

---

primum inde conficitur, quod vitiose dicitur *ingenio valere ad quid*, quum simplex *ingenio valere* rectissime dicatur: tum, *pronuntiare* (ut II. § 79) non *ingenii* est, sed *naturae:* postremo, *ad dicendum se dedere*, nimium est, quippe in *dicendo* ipsa eloquentia continetur. Itaque necessario locus sic erit constituendus: *si iidem ingenio valuissent, et se ad pronuntiandum quoque* —.

141. [*quod ipse — transtulisset*]. Concedo nunc Ellendtio, haec alienissima esse a praesenti disputatione, et absurda. Sed ipsa quoque verba sermonis proprietati adversantur. Neque *disputationes alio transferre* recte dicitur, neque *disputationes* tribui possunt *causis forensibus*, multoque minus cum *inani sermonis elegantia* coniungi: neque ulla *elegantia inanis* cogitari potest.

sapientiam iunctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam; dummodo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam: quorum si alterum sit optandum, malim equidem in-
143 disertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est: quem si patiuntur eumdem esse philosophum, sublata controversia est: sin eos diiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia, quae quamvis contemnatur ab iis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Haec quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit.

36 Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum
144 queri, quod mihi videare aliud quiddam, et non id, quod susceperis, disputasse: plus enim aliquanto attulisti, quam tibi erat tributum a nobis ac denuntiatum. Sed certe et hae partes fuerunt tuae, de illustranda oratione ut diceres, et eras ipse iam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem de-

---

de Philocteta. Quod conieceram, firmatur nonnullorum librorum auctoritate. Vulg. *Philoctetae.*

143. *et ceteris silentium fuit.* Requiri puto, *et a ceteris* —, ut plurimi libri.

144. *ac denuntiatum.* Bene hoc defenditur a Pideritio, quum Ellendtius uncinis inclusisset: neque claudi licebat sententiam verbis *a nobis.*

tibi erat tributum. Vulg. *attributum.* Sustuli syllabam perperam ex anteced. iteratam.

sed certe et hae partes —. Iterum bene Pideritius, ut ipse commendaveram, in his *et* edidit pro vulg. *ut*, et mox, in continuatione, *quumque de duabus*, pro *quum.*

145. *in qua velim sit illud* —. Iungenda sunt *in qua aetatem consumere:* et constructio haec est, *velim ut non* necesse sit (non necesse esse) *aetatem consumere in Academia.* Similem distractam constructionem notabimus infra, § 209: eiusdemque generis est id, quod II. § 38 legitur, *in qua — multi — aliquid consequuntur.* — Modo ante legendum puto, *neque enim*

scripseras: quumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigueque dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus. Quod quum in- 145
gressus esses, repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit. Omnem enim rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti (neque enim fuit tam exigui temporis), sed, apud hos quid profeceris, nescio, me quidem in Academiam totum compulisti: in qua velim sit illud, quod saepe posuisti, ut non necesse sit consumere aetatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo aspexerit: sed, etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto numquam conquiescam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus, et contra omnia disputandi percepero.

Tum Caesar, Unum, inquit, me ex tuo sermone maxi- 146
me, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, umquam omnino posse perdiscere: ut mihi non sit difficile periclitari, et aut statim percipere ista, quae tu verbis ad coelum extulisti, aut, si non potuerim, tempus non perdere, quum tamen his nostris possim esse contentus. Hic Sulpicius, Ego vero, in- 147

---

fuit id tam exigui temporis: exciderat Pron. propter anteced. syllabam.

quod saepe posuisti. Bis sane hanc suam sententiam enuntiaverat Crassus, supra, § 87 et 123: sed non erat hoc *saepe*, quod mutandum mihi videtur in *ipse*. Conf. ad II. 193, et infra, III. § 213.

147. *cognitio satis magna est* [*ad — eloquentiam.*] Neque *spectare eloquentiam* recte dicitur, pro *consequi spero*, aut etiam pro *animo mihi informo:* neque huiusmodi quid Sulpicium dicere decebat, qui unum Crassum intueretur, cuius exemplum sequeretur, ut aliquoties ante dictum est: conf. I. § 96: neque postremo *magnus ad quid*, in consilio aut fine agendi explicando, ferri potest. Quapropter verba illa insititia esse iudico, quibus abiectis multo melius subiiciuntur haec, *ex qua ipsa —.*

non ut desperarem me [*eloquentiam*] *consequi posse.* Iterum perperam inculcatum est *eloquentiam.* Sed corrigendum, *non ut sperarem ea consequi*, abiecto *posse*, de quo suspicabar supra, ad § 95.

quit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, nec philosophorum quemquam desidero. Vel me licet existimes desperare posse ista perdiscere, vel, id quod facio, contemnere; mihi rerum forensium et communium vulgaris haec cognitio satis magna est [ad eam, quam specto, eloquentiam]; ex qua ipsa tamen permulta nescio, quae tum denique, quum causa aliqua, quae a me dicenda est, desiderat, quaero. Quamobrem, nisi forte es iam defessus, et si tibi non graves sumus, refer ad illa te, quae ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent; quae ego ex te audire volui, non ut desperarem me [eloquentiam] conse-
37 qui posse, sed ut aliquid addiscerem. Tum Crassus,
148 Pervulgatas res requiris, inquit, et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit? non instituit? non scriptum etiam reliquit? Sed geram morem, et ea duntaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi: censebo tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum.

149 Omnis igitur oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniuncte: nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis [coniunctisque] constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis, aut iis, quae transferuntur et quasi

---

148. *censebo*. Necessario corrigendum, *censeo*.

149. *omnis igitur oratio conficitur ex verbis*. Hoc quidem tam putidum est, ut quod maxime: neque hoc quaesiverat Sulpicius, sed ea, quae *ad orationis laudem splendoremque pertinent*. Emendandum, *omnis igitur orationis ornatus*, et mox, *nam est quidam ornatus*, deleto istic *orationis*.

150. *sed in hoc verborum genere*. Malim, *et in hoc* —.

151. [*de oratoribus*]. Haec iterum annotatoris sunt: nihil tale additur § 101. — Quod mox, in altero illo, ponitur *aliquis*, vix defendi potest.

hoc quasi solum — copia bonorum. Neque *solum* sine adiecto Genitivi dici licebat, et Pron. *hoc* ideo otiosum est, quod, ut saepe in istiusmodi definitio-

alieno in loco collocantur, aut iis, quae novamus et facimus ipsi. In propriis igitur est verbis illa laus ora- 150
toris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quoddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam iudicio ponderandus; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Itaque hoc, quod vulgo 151
[de oratoribus] ab imperitis dici solet, *bonis is verbis*, aut [*aliquis*] *non bonis utitur*, non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur; in quo non magna laus est vitare vitium [quamquam id est magnum], verum tamen hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est verborum usus et copia bonorum. Sed, quid ipse aedificet orator, et in quo 152
adiungat artem, id esse nobis quaerendum [atque explicandum] videtur.

Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator affe- 38
rat ad illustrandam atque exornandam orationem, aut inusitatum [verbum], aut novatum, aut translatum. Inusitata sunt prisca fere ac vetusta, et ab usu quoti- 153
diani sermonis iam diu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora, quam nostrae; sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fugerim dicere, ut Coelius, *qua tempestate Poenus in Italiam venit:* nec *prolem*, aut *subolem*, aut *fari*, aut *nuncupare*, aut, ut tu so-

---

nibus solet, subiectum ipsum in clausula ponitur. Igitur emendandum, et distinguendum, *sed tamen oratoris quasi solum — est verborum usus* —. Et sic loquitur Brut. § 258. Quod autem his praeponitur, *quamquam est magnum*, quo modo tandem ferendum est, postquam dictum esset eam *non magnam laudem* esse? Nihil tam stultum reperias supra, § 38, sqq.

152. *quaerendum* [*atque explicandum*]. Alio inutili interpretamento eiusdem *quaerendi* verbi liberavi locum supra, § 57.

aut inusitatum [*verbum*]. Post illa, *in verbo simplici*, aptius credo omitti *verbum*.

153. *sed tamen raro habet — dignitatem*. Quum modo dicatur inusitata illa poetarum licentiae liberiora esse,

les, Catule, *non rebar*, aut *opinabar*, aut alia multa, quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe videri solet. Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt; vel coniungendis verbis, ut haec:

tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat.
an non novisti huius versutiloquas malitias?

videtis enim et *versutiloquas*, et *expectorat* ex coniunctione facta esse verba [non nata]. Vel saepe sine coniunctione verba novantur; ut, *ille senius desertus;* ut, *Di genitales;* ut, *baccarum ubertate incurvescere.* Tertius ille modus, transferendi verbi, late patet, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iucunditasque celebravit. Nam, ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequen-

---

quam oratorum, sequi sane poterat v. c. *nec nisi raro — habet dignitatem.* Nunc Coni. *tamen* male haec cum superioribus nectit, ut corrigendum videatur, *sed, quamquam raro, habet tamen etiam in oratione poeticum* —.

qua tempestate. Ex poeta citat Cicero infra, § 219, et in Orat. § 164. — *Rebar* Catulo tribuitur supra, § 82.

154. *facta esse verba* [*non nata*]. Supra sane, § 149, recte dixit *vocabula paene una nata cum rebus:* in hac distributione illud inculcari, verba, quae facta essent, non esse nata, putidum est. Ortum credo ex interpolato *novata*, et delendum est. Mox recte Kayserus vidit *verba novantur* insititia esse.

156. *ergo hae translationes — aut genera ponam?* Vix quemquam dubitaturum puto, quin hanc oporteat esse conclusionem totius explicationis, quid sit metaphora. Subiicitur tamen nova quaedam descriptio aut explicatio, *similitudinis est — brevitas*, § 157, sed quam frustra hucusque operam dedi ut in sanam sententiam interpretarer; nec miror fuisse, ut Lambinum et Schutzium, quibus certe ista, *similitudinis — brevitas*, nullam perspicuam sententiam continere viderentur. Tanto magis miror Ellendtium sic interpretari: „quid „vobis (voluit, vos) doceam rationem „metaphorae? est simile in unius verbi „brevitatem contractum." Quid Piderítius? Is praemitti sic contendit definitionem metaphorae (quae tamen modo iam definiebatur), tum excitat Quinctilianum VIII. 6. 8, qui eamdem definitionem susceperit (apud quem hoc dicitur, *similitudinem breviorem esse metaphora, eoque distare* (a metaphora), *quod illa* (similitudo) *com-*

tata delectationis. Nam *gemmare vites*, *luxuriem esse in herbis*, *laetas segetes* etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo 156
hae translationes quasi mutuationes sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas: illae paullo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt; quarum ego quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam?

[Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas,] 39
quod verbum in alieno loco, tamquam in suo, posi- 157
tum, si agnoscitur, delectat, si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem; ut illa [omnia],

— inhorrescit mare,
tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror,

---

paratur rei, quam volumus exprimere, haec (metaphora) *pro ipsa re dicitur*). Me nihil repugnante habeat sibi Quinctilianus hanc novam disciplinam, sed permultum abest ut ea e Cicerone sit expressa, apud quem frustra quaeras illam oppositionem inter *similitudinem* et *metaphoram*. Sed, omisso hoc, quid sibi vult *similitudinis est brevitas?* Estne, similitudinis hoc proprium est, ut habeat brevitatem? Sed ipsi similitudini neque brevitas, neque copia aut amplitudo tribui potest, orationi, quae sensa mentis exponit, potest, sicuti, § 158, dicitur *brevitas translatione conficitur*, et § 160, *singulis verbis res ac totum simile conficitur*. Quid, porro, est *ad verbum unum contracta brevitas?* quae fortasse idem valent, quod, § 160, *singulis verbis res ac totum simile conficitur*. Ut tandem breviter ipse conficiam, sublatis illis, quae modo explicari non posse ostendi, transpositione totus locus sic mihi constituendus videtur: — *id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo; quod verbum in alieno loco, tamquam in suo, positum si agnoscitur, delectat, si simile nihil habet, repudiatur. Ergo hae translationes — genera exponam* (quo modo corrigendum censeo vulg. *ponam*). Quae sequuntur, *sed ea transferri oportet*, cet., nihil pertinent ad generis definitionem, sed uno alteroque exemplo monetur quid in eo genere attendi oporteat.

157. *quae aut clariorem faciunt rem.* Sententia postulare mihi videtur *faciant*, item mox, § 158, *aut quo significetur*, ut Pideritius.

flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit, grando mista imbri largifluo subita praecipitans cadit, undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines. fervit aestu pelagus,

omnia fere, quo essent clariora, translatis per simili-
158 tudinem verbis dicta sunt: aut, quo significetur magis res tota, sive facti alicuius, sive consilii; ut ille, qui occultantem consulto, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat,

quandoquidem is se circumvestit dictis, saepit se dolo.

Nonnumquam etiam brevitas translatione conficitur; ut illud, *si telum manu fugit:* imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato. Atque hoc in genere persaepe
159 mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectentur verbis, quam propriis et suis. Nam si res suum nomen et proprium
40 vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per libram agitur, ut in uxore *divortium*; necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere: sed in suorum verborum maxima copia tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id
160 accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere,

---

159. *admirandum.* Praestabit *mirandum.*

si sunt ratione translata. Quod crebro in Codd. locum habet, id h. l. factum mihi videtur, ut verae lectioni, *recte*, corrupta substituta fuerit, *ratione.* In *transferendo* nulla *ratio* vel servari, vel commendari potest.

160. *longe repetita.* Corrigendum, *petita.* Conf. quae notavi ad § 137.

quae quidem sumta ratione est. Iterum *ratione* mutandum videtur in *recte.* Sed praeterea *sit* corrigendum, quoniam agitur de conditione. De hac norma dixi in Scholic. Hypomn. I. p. 134.

qui est sensus acerrimus. Praestabit fortasse *quorum est s. a.*, sicut loquitur Fin. II. § 52.

in conspectu animi, —. Praestabit, opinor, *in conspectu, animo quae* —. Ita *animo cernere* est Orat. § 18.

vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio, vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur, vel quod omnis translatio, quae quidem sumta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et *odor urbanitatis*, et *mollitudo humanitatis*, et *murmur maris*, et *dulcedo orationis* sunt ducta a ceteris sensibus: illa vero oculorum multo acriora, quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine. Unde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus), indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum lumen affert orationi. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo; 161 162

coeli ingentes fornices:

quamvis sphaeram in scenam (ut dicitur) attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse:

vive Ulixes, dum licet,
oculis postremum lumen radiatum rape:

non dixit *cape*, non *pete;* haberet enim moram sperantis diutius esse victurum; sed *rape:* hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet.*

---

161. *verbum unum — lumen affert orationi.* Revocavi *affert*, pro quo alii libri *afferre*, commendatum a Madvigio. Difficile est enim, in hac bipartita sententia, in illo Infinitivo subintelligere *potest*, ex altera parte assumendum, mutato in primis subiecto. Neque agitur de eo, quod fieri possit, sed de necessario eventu illius translationis, si modo recte sumta sit: et sic loquitur § 166.

162. *Vive Ulixes, — radiatum rape.* Alieno loco ponitur hoc exemplum, nec quicquam pertinet ad eam praeceptionem, quam modo ingressus erat Crassus, quid in illo transferendi genere esset vitandum. Aptior locus huic exemplo esset in fine § 158, post verba *uno significata translato.* Non attendit Pideritius hanc meam suspicionem, sed discrepantiam exemplorum miro modo tuetur.

41 Deinde videndum est ne longe simile sit ductum.
163 *Syrtim patrimonii*, *scopulum* libentius dixerim; *Charybdim bonorum*, *voraginem* potius: facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Et, quoniam haec vel summa laus est in verbis transferendis, ut sensum feriat id, quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audient, trahet
164 similitudo. Nolo dici morte Africani *castratam* esse rem publicam: nolo *stercus curiae* dici Glauciam: quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius, quam res postulet; *tempestas comissationis:* aut minus; *comissatio tempestatis.* Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum:

quidnam est, obsecro? quid te adirier abnutas?

melius esset *vetas*, *prohibes*, *absterres*, quoniam ille dixerat,

illico istinc,
ne contagio mea bonis umbrave obsit.

165 Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio

---

164. *quam fuisset illud proprium ac suum.* Quo pertinet *illud?* Intelligerem, si legeretur *quam fuisset servatum pr. ac s.*

165. *praeposito saepe verbo.* Quorsum illud *saepe?* Requiritur Participium, aut *excusandi*, aut aliud.

166. *modus autem nullus est florentior.* — Quemadmodum haec edi solent, ut sententia finiatur in verbis *afferat orationi*, Pideritius sic interpretatur, quasi hoc voluerit Crassus, »metaphoram (de qua hucusque sermo »fuit) esse modum florentissimum *in »singulis verbis*, sed allegoriam non in »uno verbo translato esse, sed ex plu»ribus continuatis connecti." Merito tamen offenderat in illis prioribus Ernestus, qui multos alios elegantiae sensu superabat: »ille *modus*, inquit, »non expressus est, et sequitur *ex hoc »genere*, quod tamen non commemo»ratur." Itaque is suspicatur lacunam esse post *orationi*, quam sic explendam esse, *quam* ἀλληγορίαν. Quod tamen huic interpretationi obstat, ut alia taceam, hoc est, quod, quae sequitur sententia (*nam illud, quod* —), hanc habet formam, ut novum quiddam et diversum a superiore inchoet, quum nihilominus istic ipsa allegoria describatur. Sed non attenderunt viri docti,

esse videatur, mollienda est praeposito saepe verbo; ut si olim, M. Catone mortuo, *pupillum* senatum quis relictum diceret, paulo durius; sin, *ut ita dicam, pupillum*, aliquanto mitius. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irrupisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur. Modus autem nullus est florentior [in singulis verbis], 166
nec qui plus luminis afferat orationi: nam illud, quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit:

neque me patiar
iterum ad unum scopulum, ut olim classem Achivûm, offendere.

atque illud,

erras, erras: nam exsultantem te et praefidentem tibi repriment validae legum habenae, atque imperi insistent iugo:

sumta re simili, verba eius rei propria deinceps in 167
rem aliam (ut dixi) transferuntur. Est hoc magnum 42
ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est.

---

verba illa *modus autem nullus* — ideo non posse referri ad metaphoram, quod, quae modo praecedunt, minime continent translationis descriptionem: contra, recte, § 167, post commemorata allegoriae exempla, statim dicitur *est hoc magnum ornamentum orationis*, et *modus hic*, totumque hoc de allegoria concludi in verbis *in continuatione verborum*. Tum, *modus autem nullus* — ita dici necesse est, ut subaudiatur Genitivus, et ut plures iam modi descripti sint, quibus unus esset florentior. Quo iure praeterea dixerit quis tralationem esse *modum florentissimum*, i. e. laetissimum, aut uberrimum, si uno verbo conficiatur? His omnibus de causis nunc etiam tueor meam coniecturam, locum sic et constituendum, et iungendum esse: *modus autem nullus est florentior* [*in singulis verbis*], *nec qui plus luminis afferat orationi, quam illud, quod ex hoc genere* (scil. tralationis) *profluit, quodque non est* —. Vera Latinitatis ratio non fert inserta illa *in singulis verbis*, quae nulla syntaxi defendi possunt.

167. [*pro Afris est sumta Africa*]. Haec tollenda esse demonstravi ad Orat., § 93.

sed ornandi causa —. Haec novam sententiam inchoant, quam absolvunt

Etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet [sed in oratione]:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

[pro *Afris* est sumta *Africa*.] Neque enim factum verbum est; ut, *mare saxifragis undis:* neque translatum; ut, *mollitur mare:* sed ornandi causa proprium proprio commutatum: *desine, Roma, tuos hostes* —, et, *testes sunt campi magni*, gravis est modus in ornatu orationis, et saepe sumendus. Ex quo genere haec sunt, *Martem belli esse communem, Cererem* pro frugibus, *Liberum* appellare pro vino, *Neptunum* pro mari, *curiam* pro senatu, *campum* pro comitiis, *togam* pro pace, *arma* ac *tela* pro bello. Quo item in genere et virtutes, et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: *luxuries quam in domum irrupit;* et, *quo avaritia penetravit*, aut *fides valuit, iustitia confecit.* Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius: cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum; ut, pro aedificiis quum *parietes* aut *tecta* dicimus; aut ex toto partem; ut, quum unam turmam *equitatum populi Romani* dicimus, aut ex uno plures:

at Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est,
corde suo trepidat:

---

illa, *gravis est modus — sumendus.* Sed, per errorem puto duo illa exempla, *desine* —, et *testes* —, huc irrepsisse, quae, quippe eiusdem generis, subiicienda fuerant illi, *Africa terribili* —. Quae huc pertinent, statim excitantur, *ex quo genere haec sunt* —.

168. *iustitia confecit.* Nondum intelligo, quid huc pertineat *conficiendi* verbum: et putabam scriptum fuisse *conticuit*, aut simile.

videtis profecto — quum—. Confert

aut quum ex pluribus intelligitur unum:

nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini:

aut quocumque modo non ut dictum est in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.

Abutimur saepe etiam verbo, non tam eleganter 43
quam in transferendo, sed, etiam si licentius, tamen 169
interdum non impudenter; ut, quum *grandem orationem* pro magna, *minutum animum* pro parvo dicimus. Verum illa videtisne esse non verbi, sed orationis, quae ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? Haec autem, quae aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda ac dicerentur, sunt translata quodam modo. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque 170
laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit; aut factum vel coniunctione, vel novitate, in quo item est auribus consuetudinique parcendum; aut translatum, quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem.

Sequitur continuatio verborum: quae duas res ma- 171
xime, collocationem primum, deinde modum quemdam formamque desiderat. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et levis. In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius:

quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae, omnes
arte pavimento atque emblemate vermiculato!

---

hanc formam Pideritius cum illa, I. § 129, *soleo audire Roscium, quum ita dicat;* de quo genere notavi supra, ad § 64. Est tamen hoc aliquanto diversum ab illo.

non ignoranda. Non quaeri solet in hac disciplina quid sciri oporteat, aut quid ignorare liceat. Corrigendum censeo, *non ingrata.* In omnibus illis *delectatio* quaerebatur: conf. § 159, sq.

169. *haec autem, quae* —. Quoniam

quae quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit:

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Quid ergo? iste Crassus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? illud quidem; scilicet ut ille voluit, et ego vellem; melius aliquanto, quam Albucius. Ve-
172 rum in me quidem lusit ille, ut solet. Sed est tamen haec collocatio servanda verborum, de qua loquor, quae iunctam orationem efficiat, quae cohaerentem, quae levem, quae aequabiliter fluentem, [id assequemini,] si [verba] extrema cum consequentibus primis ita iungentur, ut ne aspere concurrant, neve vastius diducantur.

44 Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma
173 verborum; quod iam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam no-

---

his verbis totum illum locum de translationibus videtur concludere, minus apta est Coniunctio *autem*, requiriturque *igitur*. Et statim, § 170, redit ad generalem illam observationem, quam proposuerat § 152.

172. *collocatio servanda*. Kayserus, me auctore, hoc suscepit, pro vitioso *conservanda*. Ita *servare* recte dicitur § 191 et seq. et 193.

quae iunctam orationem efficiat. Sic correxi vulg. *efficit*, quoniam ita demum consilium explicatur istius collocationis. Mox, bene Kayserus *levem*, pro *lenem*: eidemque viro docto libenter concedo et *id assequemini*, et *verba* hinc tollenti.

173. *interspirationis enim — esse voluerunt*. Vexavit hic locus viros doctos, neque ipse acquiesco in librorum lectione, quam revocavit Ellendtius, probata interpretatione Orellii. Equidem suspicor haec melius intelligi posse, si legatur, *interspirationibus enim, non defatigationis nostrae tamquam librariorum notis, et verborum* —. Atque interpretor, *interspirationes* esse eius, qui, quod dicit, *arte, non spiritu, determinat*, ut loquitur § 175, qui non vult *verba perpetuare spiritum*, ut est § 181. Sed perperam servatur *in orationibus*, pro *in oratione*.

174. *nam quae [haec duo] musici* —. Suscepi, quod commendaveram, quodque secutus est Kayserus, quoniam vulgata, *namque haec duo musici*, ferri nullo modo poterant. Primum, *namque* longe diversam formam argumentandi inchoare solet, ut mox, § 184, deque ea coniunctione accurate aliquo loco exposuit Madvigius: tum, *haec duo* appellari non licebat, quum nihil dum in antecedd. significatum est. Perspicuum autem est non, ut in primaria sententia, commemorari oportuisse quid musici essent machinati, sed horum

bis esse adhibendos putaverunt: interspirationis enim, non defatigationis nostrae, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt: idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates), numeris astringeret. Nam quae [haec duo] musici, qui 174
erant quondam iidem poetae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem, haec igitur duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt. In quo illud est maximum, quod, versus in ora- 175
tione si efficitur coniunctione verborum, vitium est; et tamen eam coniunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare, et perfici volumus. Neque est ex

---

exemplo tantum explicari quid veteres dicendi magistri voluissent. Quemadmodum nos correximus, statim apparet et, quod in protasi institutum erat, per instaurationem demum absolvi in his, *haec igitur duo* —, sicut recte distinxit Kayserus, et verbum *trad. duxerunt*, in fine §, referri ad *illos veteres*, in § 173.

ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Necessario offendit duplex Ablativus, *verborum numero delectatione vincere.* Sed, quid est *verborum numerus? Versus* enim *numeros*, non *numerum verborum* continet: neque *vocum modus*, sed *modi* cogitari possunt. Equidem et *numero*, et *modo* abiicienda censeo, servandumque *delectatione*, quod Ernesto videbatur tollendum esse. *Numero complecti sententiam* recte sane dicitur, § 175: et *delectatio* cum *satietate* coniungitur supra, § 97: tum, proprie magis haec mox *vocis moderatio* et *verborum conclusio* appellantur.

a poetica. Dubitavi, an Latinum esset: et requiri puto *a poetis.* Ne illis quidem locis, ubi in vulg. lectione *poetica* appellatur (Orat., § 180, Tusc. I. § 3 et IV. § 69), nomen illud probari posse videtur.

175. *in quo illud est maximum.* Nihil apparet, quod *maximum* in hac re appellandum sit. Suspicor corruptum esse ex aliquo participio, v. c. *tenendum*, aut alio.

incondite fundit. Imo, *incondita.* Tum, librorum quoque auctoritate, omittendum *quantum potest.* — Mox, sublata syllaba male iterata, corrigendum, *terminat.*

numero — et astricto, et soluto. Sine dubitatione corrigo, *nec astr., nec sol.*, quod et per se commendatur, tum iis, quae statim subiiciuntur.

multis res una, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit [quantum potest], et id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat, orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complecta-
176 tur, et astricto, et soluto. Nam quum vinxit forma et modis, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint, quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur.

45 Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur quocumque ducas, quam
177 oratio: ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur; ex hac haec etiam soluta variis modis multorumque generum oratio. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis verba, neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur: sed ea nos quum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Itaque tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus: sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus; idque ad

---

176. *quum vinxit modis et forma.* Nihil erat cur horum Substantivorum ordinem mutarem, ut maluit Kayserus. Sed praestabit *modo et forma*, sicut est § 173.

quonam igitur modo — consequi posse? De his interpretandis merum silentium apud novissimos interpretes. E Codd. varietatis nihil affertur, praeter *quoniam* pro *quonam*, et *non* pro *modo*, et *tantum* omissum. *Muneris* nomen in hac sententia minus aptum est, quoniam nunc de artificio sermo est, quo uti oporteat oratorem, non de eo, quod ei praestandum et dicendo perficiendum est. Reiicienda quoque syntaxis, *insistere aliquid*, quam tamen nunc video defendi a Pideritio auctoritate Plauti. Fac probari hoc posse, ut *insistere* h. l. sit i. q. *urgere, curare;* quid tamen erit hoc, *quo modo tantum munus urgebimus, ut arbitremur —?* quasi *insistendo* hoc tantum obtinerent, *ut arbitrarentur*. Fieri non potest: et nondum abiicio meam corrigendi rationem, ut, abiectis illis inexplicabilibus, legatur, *quonam igitur modo arbitramur nos —*, quum vulgo

omnem aurium voluptatem et animorum motum mutatur et vertitur. Sed, ut in plerisque rebus, incredibiliter 178
hoc natura est ipsa fabricata, [sic in oratione,] ut ea, quae maximam utilitatem in se continerent, plurimum eadem haberent vel dignitatis, vel saepe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem; ut luna accessu et recessu [suo] solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellae dispari motu cursuque conficiant. Haec tantam habent vim, 179
ut paullum immutata cohaerere non possint, tantam pulchritudinem, ut nulla species ne cogitari quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam et figuram: nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam, totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu. Quid in arboribus? in quibus non truncus, non 46
rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam: nusquam tamen est ulla pars, nisi venusta. Linquamus naturam, artesque vi- 180
deamus. Quid tam in navigio necessarium, quam

---

arbitremur legatur. *Consequi* eodem modo usurpatur § 194, fin.

177. *medium quiddam.* Praestabit *quoddam.* Sed initio requiri puto ut legatur, *itaque ut tum graves* —.

institutam sententiam i. e. simulac instituimus sententiam.

178. *sed, ut in plerisque rebus,* —. In his non difficile est agnoscere verba *sic in oratione* intempestive inculcata esse: nam, quae subiiciuntur, minime pertinent ad ea, quae ex hoc genere proprie in oratione essent animadvertenda, quae suo loco, § 181, demum indicantur. Quod nunc dicitur, nihil aliud spectat, nisi confirmationem eius, quod modo dixerat, nec difficillimam esse illam rem, et ita aurium voluptati inserviri posse. Quapropter ab initio non *sed*, sed legendum est *et, ut in plerisque rebus, — fabricata, ut ea, quae* —.

179. *haec tantam habent vim* —. In nonnullis libris omittitur *haec.* Aptius esse videtur *quae.*

quid in arboribus? Sic distinguendum. Respondetur, ut saepe, per Relativum. Sic in § 180.

latera, quam cavernae, quam prora, quam puppis, quam antennae, quam vela, quam mali? quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur. Columnae et templa, et porticus sustinent; tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolii fastigium illud et ceterarum aedium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est: tamen quum esset habita ratio, quem ad modum ex utraque tecti parte aqua delaberetur, utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est; ut, etiam si in coelo Capitolium statueretur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem
181 habiturum fuisse videatur. Hoc in omnibus idem partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos consequatur. Clausulas enim atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt: id inventum ita est suave, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus: id enim auribus nostris gratum est [inventum], quod hominum lateribus non
47 tolerabile solum, sed etiam facile esse posset. [Lon-
182 gissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno

---

181. *hoc in omnibus idem partibus orationis evenit.* Correxi, *idem*, pro vulg. *item*, quod ferendum esset in hoc verborum ordine, *in orationis item partibus.*

gratum est [*inventum*]. Recte hoc a Pideritio delendum censetur; quamquam non est Substantivum, ut ille videtur suspicari, sed Participium.

182. [*longissima est igitur — spiritu potest*]. Idoneis, ut mihi videtur, de causis tota haec particula pro insititia habenda est. Primum attendamus ad sententiarum seriem. Quod enim sequitur (*sed hic naturae modus est, artis alius*), eo referendum, quum dicebatur quid *hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset:* istic enim erat *naturae modus*, non in *longissima complexione verborum:* quumque, *natura* monente, utatur orator *clausulis et interpunctis verborum*, alius, i. e. genere ipso diversus est modus *artis*, quae praescribat, quibus pedibus sit utendum. Tum explorandum est verba ipsa, quae usurpantur, conveniantne sanae Latinitati. Verbi causa, *complexio verborum* nusquam a Cicerone appellata est, quum saepe potuisset: supra, I. § 162, et infra, § 186, *continuatio verborum* dicitur, et Orat. § 204, in pluribus eiusdem generis non tamen appellat *complexionem;* conf. ibid. § 212, 221,

spiritu potest.] Sed hic naturae modus est, artis alius. Nam, quum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum. Sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, et minuti pedes. Quare primum ad heroum nos [dactyli, et anapaesti, et spondei pedem] invitat; in quo impune progredi licet duo duntaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum, aut similitudinem versus incidamus: *altae sunt geminae, quibus—*: hi tres [heroi] pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt. Probatur autem ab 183
eodem illo maxime paeon, qui est duplex; nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, *desinite*, *incipite*, *comprimite:* aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt, *domuerant*, *sonipedes.* Atque illi [philosopho] ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire. Est autem paeon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius iudicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa; ut,

---

224, 226, et passim: et mox, § 191, occurrit *circuitus verborum aut brevior, aut longior.* Quod autem dicitur illa complexio verborum *volvi uno spiritu*, defendi nullo modo potest: et non tantum *unus spiritus* absurdum est (quamquam ita recentiores loquuntur), sed hoc quoque, si spiritus intelligendus est *volvere verba.* Contra, ut *cadere*, ita *volvi*, Verbo neutro, de ipsa oratione dicitur, sed longe diversa sententia, Orat. § 229: conf. infra, § 186, diversumque est *evolvere*, § 209.

sed sunt insignes percussiones eorum numerorum. Non satis esse puto, et requiro *sed sunt nimis insignes* —. Conf. Orat. § 218.

[*dactyli et anapaesti — pedem*]. Assentior viris doctis, qui haec pro glossemate habent; item mox *heroi.* — Tum, in his, *altae sunt geminae*, Ellendtius non male coniicit lectum fuisse *arae.*

in principia — decore cadunt. Non indigebat Verbum *cadere* hac syntaxi: conf. § 175. Corrigendum, *in principiis.* Conf. Orat. § 204.

183. *illi* [*philosopho*]. Satis est interpretationem putidam indicare. Iterum, in fine §, *ille* appellatur Aristoteles, qui nomine appellabatur § 182. Tum eadem interpolatio notanda in § 187, *illis* [*philosophis*].

quod est acrius iudicium. Praestabit

Quid petam praesidi, aut exsequar? quove nunc?

a quo numero exorsus est Fannius, *Si, Quirites, minas illius*—. Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari.

48 Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque
184 desiderant, quam est illa poetarum, quos necessitas cogit, et ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, ut nihil sit ne spiritu quidem minimo brevius aut longius quam necesse est. Liberior est oratio, et plane, ut dicitur, sic est [vere] soluta; non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere. Etenim, sicut ille suspicatur, ex istis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa. Et, si numerosum est in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus; recte genus hoc [numerorum], dum modo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam, si rudis et impolita putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et

---

fortasse *quarum est* —: ut supra correximus, *quorum est sensus acerrimus*. Cf. II. § 357. III. § 160.

184. *non ut fugiat tamen*. Elegans est Ruhnkenii coniectura, *fluat*, quod ipsum est § 190.

sic est [*vere*] *soluta*. Sed, tum *vere* h. l. improprium est, tum, etiam si recte diceretur, inutile propter praeed. *plane*: nec dicebatur oratio *vere oluta*, sed tantum *soluta*. Neminem latebit unde falsum hoc natum sit.

assentior Theophrasto, qui putat. Dixi, ad § 64, corrigendum esse, *quum putat*.

185. *genus hoc* [*numerorum*]. *Numeri* nihil huc pertinent: sed, qui interpolavit, scripsit, credo, *numerosum*, ipsum emblema inutile.

profluens. Hoc diversum est ab illo, quod modo *fluere* dicebatur: conf. II. § 64.

profluens, quid est aliud causae, cur repudietur, nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa? quod fieri, nisi inest numerus in voce, non potest, numerus autem in continuatione nullus est: distinctio 186
et aequalium, et saepe variorum intervallorum [percussio] numerum conficit, quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus, in amni praecipitante non possumus. Quod si continuatio verborum haec soluta multo est aptior atque iucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta, membra illa modificata esse debebunt: quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus (sic enim has orationis conversiones Graeci nominant): qua re aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et iucundius, longiora.

Atque haec quidem ab iis [philosophis], quos tu ma- 49
xime diligis, Catule, dicta sunt: quod eo saepius te- 187
stificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. Quarum tandem? inquit Catulus, aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? At enim vereor, inquit Crassus, ne haec 188
aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos ea maiora ac difficiliora videri velle videamur. Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me, aut horum

---

186. [*percussio*]. Recte inclusum a Kayserο.

quod si continuatio verborum —. Quoniam hoc postremum velut extra ordinem adiicitur iis, quae modo de numero et de genere numeroso dixerat, in quibus hoc erat, *numerum in continuatione nullum esse*, nunc quoque *continuatio verborum haec soluta* intelligi debet ea, quae numero careat, i. e. distinctione et aequalium, et saepe variorum intervallorum. Hanc autem peculiarem praeceptionem, quid tamen in *continuatione verborum* servari oporteret, aptius iungi posse existimo sic: *et, si continuatio* —.

infringitur. Idem verbum in simili re usurpatur Orat § 230.

188. *difficiliora istis — esse videantur*. Exspectaveram *his*, nempe, qui aderant. — Mox, *ac difficiliora* si abessent, ego non requirerem.

quemquam putas a te haec opera quotidiana et pervagata exspectare: ista, quae dicis, dici volumus, neque tam dici, quam isto dici modo; neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione re-
189 spondeo. Ego vero, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello me invenisse [eloquentem]. Sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo diminueretur.

190 Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem quum exercitatione, tum stilo (qui et alia, et hoc maxime ornat ac limat), formanda vobis oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur, nec sunt haec rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda: efficiendum est illud modo vobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius, ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus oratio est; quae tamen ipsa membra sunt nu-
191 meris vincienda. Neque vos paeon, aut herous ille conturbet: ipsi occurrent orationi, ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati: consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut [sententiae verbis finiantur, eorumque] verborum iunctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo, aut paeone priore, aut cretico, sed varie distincteque considat: notatur enim maxime similitudo in conquiescendo: et,

189. [*eloquentem*]. Tollendum esse satis indicavi ad Orat. § 44.

190. *quum exercitatione, tum stilo.* Quoniam alterum dicendo, alterum scribendo continetur, necessario *tum — tum* requiritur. Nihil valet in his Codd. auctoritas. Mox appellat *consuetudinem scribendi atque dicendi.* — *Modo vobis* correxi, pro *m. nobis.*

neque semper est utendum —. Sententia sic inchoatur, tamquam si novum quid praecipiatur: sed non est, nisi explicatio eius, quod modo dictum erat. Itaque legere malim *neque enim semper* —.

quasi conversione verborum. Offendit illud *quasi*, Substantivo eidem praepositum, quod modo simpliciter appellaverat. Placeret *quasi circumscriptione verb.*, quo utitur Cicero Orat. § 204.

191. [*sententiae — eorumque*].

si primi et postremi [illi] pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora; quod in iis maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacumque est parte titubatum: in oratione autem pauci prima cernunt, postrema plerique; quae, quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur, aut aurium satietate. Duo enim, aut tres fere sunt extremi servandi et notandi pedes (si modo non breviora et praecisa erunt superiora), quos aut choreos, aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum vicissitudines efficient ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciamus, opera dedita facere videamur. Quod si Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur; quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur!

Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec

50 191 192 193 194 195

Recte haec inclusit Kayserus, quae nihil pertinent ad rem, neque ipsa per se defendi possunt.

193. *aut ei pari cretico*. Non puto Praepositionem abesse posse, sed legendum *aut in pari cr.*

quod faciamus. Sic mihi corrigendum videbatur vulg. *faciemus*.

194. *in oratione*. Satis mirari non possum Ellendtium, qui Praepositionem omittendam censuerit. Et tamen non ferenda mihi videtur ista sententiae enuntiatio, in qua suspiceris aliud quid esse, cui *exercitatio et consuetudo* opponantur. Contra, requiritur quod opponatur Antipatro et poetis. Hoc habebimus, si legemus, *quanto id facilius nos, exercitatione* —.

195. *ne quis admiretur*. Corrigendum, *miretur*, scil. tamquam incredi-

vulgus imperitorum in audiendo notet. Quum in omni genere, tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus [ac rationibus] recta ac prava diiudicant; idque tum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in [verborum,] numerorum vocumque iudicio, quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quem-
196 quam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo non modo catervae atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiician-
51 tur? Mirabile est, quum plurimum in faciendo inter-
197 sit inter doctum et rudem, quam non multum differat

---

bile: ita mox, § 197, recte *mirabile*. Alibi de illa confusione dixi.

quae sint in artibus [ac rationibus]. Haec postrema delenda esse, monui ad I. § 82, et viderat iam Schutzius. Minime opponuntur haec illis, ubi dicitur *sine ulla arte aut ratione*. Intelligendum erat, *artes*, quae h. l. plurali numero appellantur, esse opera arte facta, id quod exempla sequentia confirmant: nec vulgus de singulis artibus iudicat (*quotus enim quisque est* — ut dicitur § 196), sed in eo, quod cerni aut audiri potest, quid rectum ac pravum sit diiudicat. Nihil huiusmodi valet in *rationibus*

idque tum faciunt. Correxi vulg. *quum*.

in [verborum] numerorum vocumque iudicio. Idem h. l. commissum, quod supra, § 174, notavi, ut *verbis* vitiose *numeri vocesque* adiungerentur. Sed, *in communibus infixa sensibus verba* non erant, nec *verborum* (*earum rerum*) expertem quemquam esse noluit natura. Igitur illud *verborum* abiiciendum est.

quod ea sunt in communibus infixa sensibus. Novi *communem sensum* (ut I. § 68), non item *sensus communes*, ut neque oculos, neque aures communes. Corrigatur, *in omnium inf. sensibus*.

197. *nisi naturam moveat*. Bene retentum ab Ellendtio et Piderito: alii *natura*. Obiectum notandum erat, et

in iudicando. Ars enim, quum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet, nihil sane egisse videatur: nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces, quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur, et languescimus, et ad hilaritatem, et ad tristitiam saepe deducimur; quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, maioribusque nostris, ut epularum sollemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant, maxime autem a Graecia vetere celebrata [quibus utinam similibusque de rebus disputari, quam de puerilibus his verborum translationibus maluissetis]. Verum, ut in versu vulgus, 198
si est peccatum, videt, sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit: sed poetae non ignoscit, nobis concedit: taciti tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent (nam id quidem nuper vel posse, vel audere coepimus), terna, aut bina, aut nonnulli singula etiam verba di-

---

ars ipsa est subiectum. Mox, naturam appellat *mentes nostras*.

[*quibus utinam — maluissetis*]. Quum rectissime demonstravisset Ellendtius haec, ut quae maxime, hinc aliena esse, tamen Pideritius satis verbosa annotatione eadem, ut a Crasso dicta, defendit.

198. *si est peccatum, videt*. Aptius fortasse, *audit*. Diversum est *cernunt*, quod mox dicitur.

sed poetae non ignoscit, — taciti tamen —. Ex uno tantum libro profertur *si*, pro *sed*. Scilicet *tamen* illud, quod subiicitur, per se iam indicat postrema haec in unam sententiam cum praecedd. esse continuanda, hoc modo: *et, si poetae non ignoscit, nobis concedit, taciti tamen —*. Quod scripsi *taciti* non aegre ferent, qui reputabunt *tacita cernere* satis inepte dici. Tum, *diximus* mutandum in *dixerimus*.

itaque illi veteres — uterentur. Rursus haec sic edi solent, ut divellantur, quae necessario erant copulanda. Totius sententiae hoc consilium erat, ut appareret quid veteres illi, quamvis circuitus conficiendi artem nondum tenerent, tamen natura duce sequerentur. Locus sic constituendus est: *itaque illi veteres, — quum circuitum — conficere non possent, — terna autem, aut bina, aut nonnulli singula — dicerent, in illa infantia —*. Mutavi *dicebant* in *dicerent*, quoniam hoc quo-

qui in illa infantia naturale illud, quod aures
unum flagitabant, tenebant tamen, ut et illa es-
t paria, quae dicerent, et aequalibus interspiratio-
is uterentur.

posui fere, ut potui, quae maxime ad ornatum
ionis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum
de verborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de
nero atque forma. Sed, si habitum orationis etiam
quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quae-
, sed tamen teres, et enuis, non sine nervis ac
is, et ea, quae ps utriusque generis qua-
n mediocritate laud lis tribus figuris insidere
idam venustatis, non illitus, sed sanguine dif-
sus debet color. [Tu enique hic nobis [orator]
conformandus est et v , et sententiis, ut, quem-
modum, qui utuntur a s aut palaestra, non so-
m sibi vitandi aut fe rationem esse habendam
tant, sed etiam ut cum venustate moveantur, sic
rbis quidem ad aptam co positionem et decentiam,
ententiis vero ad gravitat orationis utatur [ut ii,
201 qui in armorum tractatione versantur]. Quod quidem
vos etsi facitis, tamen admonendos puto, ne quid esse

---

que in protasi dictum accipiendum erat: tum abieci *qui*.

199. *exposui fere* —. Haec recapitulatio complectitur praecedentem disputationem inde a § 142, quum § 96 iam eadem breviter significavisset.

200. [*tum*] *denique hic nobis* [*orator*] *ita conformandus est* —. Recte interpretantur, qui putant nunc inchoare Crassum novam praeceptionem de figuris verborum et sententiarum: sed corrigenda sunt, quae vitiose scribuntur. Neque *tum* h. l. recte ponitur, quoniam nihil agitur temporis ordo; neque *denique*, quia nihil haec ad praecedentium absolutionem pertinent. Perperam quoque dicitur *oratorem conformandum* esse: neque enim de huius institutione, sed de *oratione* agitur, et absurdum est *hic orator*, de quo in praecedd. silentium fuerat, sed omnia ad *orationem* referebantur, quae (ut § 190, et I. § 17) *conformanda* est. Hinc coniicio, hoc scripsisse Ciceronem: *tandem haec* (i. e. quae modo dicebantur de habitu orationis) *nobis ita conformanda sunt et verbis, et sententiis, ut — ad gravitatem orationis utatur*. Eodem modo § 103, ubi *haec formanda* item plurali numero dicitur. Sed mox requiritur *sic orator verbis* —.

[*ut ii, — versantur*.] Iure conten-

aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdum factis, raro autem etiam vetustis; in perpetua autem oratione, quum et coniunctionis levitatem, et numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum.

Formantur autem et verba, et sententiae paene innumerabiliter, quod satis scio notum esse vobis. Sed inter conformationem verborum, et sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris, sententiarum permanet, quibuscumque verbis uti velis. Nam et commoratio una in re permultum movet, et 53
illustris explanatio rerumque, quasi gerantur, sub 202
aspectum paene subiectio, quae et in exponenda re plurimum valet, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur: et huic contraria saepe percursio est, et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio, et distincte concisa brevitas, et extenuatio, et

---

dunt viri docti hoc ineptum esse emblema.

201. *quod quidem vos — sententiarum atque verborum.* Secutus sum Kayserum, qui acute vidit corrigendum esse totum hunc locum transpositis duabus sententiis, ita ut illis demum subiicerentur haec, *formantur autem et verba, — uti velis*, quae in libris priorem locum occupant. Series ipsa sententiarum hoc inventum commendat. In verbis ipsis tamen unum alterumque notandum est. Sic *quod — etsi facilis*, ideo in vitio est, quoniam perincommode illud *facere* refertur ad praeced. *sententiis ad gravitatem uti;* nec profecto, si *facerent*, erant *admonendi.* Hinc mihi in mentem venit Crassum post illam recapitulationem, § 199, sq., sic dixisse: *quae quidem vos etsi fastidiatis, —*, quippe qui ipse, supra, talia *odiosiora*, et *minutas res* appellavisset: cf. § 51, 148, 187. Tum, *oratoris* mutandum in *oratorium*, quoniam *esse oratoris* hoc tantum dici potest, quod eum perficere et obtinere oportet: pro *mirabile* legendum esse *admirabile* dixi ad § 26 et *interdum*, pro *interdumque; vetustis*, pro *pervetustis;* postremo, *coniunctionis levitatem*, pro *lenitatem:* quorum pleraque, ut commendaveram, suscepit Kayserus.

huic adiuncta illusio, a praeceptis Caesaris non abhor-
205 rens, et ab re digressio, in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit, propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, seiunctio, et reditus ad propositum, et iteratio, et orationis apta conclusio: tum, augendi minuendive causa, veritatis superlatio, atque traiectio, et rogatio, atque huic finitima quasi percontatio, expositioque sententiae suae: tum illa, quae maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis dissimulatio, quae est periucunda quum in oratione, non contentione, sed sermone tractatur: deinde dubitatio: tum distributio: tum correctio, vel ante, vel post
206 quam dixeris, vel quum aliquid a te ipso reiicias: praemunitio est etiam ad id, quod aggrediare, et traiectio in alium: communicatio, quae est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio: morum ac vitae imitatio, vel in personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, et aptum ad animos conciliandos vel maxime,
206 saepe autem etiam ad commovendos: personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi: descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulsio, anteoccupatio: tum duo illa, quae maxime movent, similitudo et exemplum, digestio, interpellantis coercitio, reticentia, comminatio, vox quaedam libera, atque etiam effrenatio, augendi causa, iracundia, obiurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non ut superior illa digressio, purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecra-

---

203. *superlatio atque traiectio.* Atqui *traiectio* ad ordinem *verborum* pertinet: conf. Herenn. IV. § 44, ipsaque *transgressio*, cuius ea species est, commemoratur mox, § 207, in *verborum* figuris. Propterea suspicor veram lectionem esse *reiectio* (an *abiectio*), ut sit μείωσις, quae αὔξήσει aut ὑπερβολῇ opponatur.

205. *interpellantis coercitio.* Ut Kayserus, suscepi acutam Pideritii correctionem, pro *interpellatio*, *contentio*, secundum Orat. § 138.

206. *orationis — est vel ad usum*

tio. His fere luminibus illustrant orationem sententiae.

Orationis autem ipsius, tamquam armorum, est vel 54
ad usum comminatio et quasi petitio, vel ad venusta- 206
tem ipsa tractatio. Nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias, et paullum immutatum verbum atque deflexum, et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio, et in eadem verba impetus, et concursio, et adiunctio, et progressio, et eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio, et revocatio [verbi], et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia: est 207
etiam gradatio quaedam, et conversio, et verborum concinna transgressio, et contrarium, et dissolutum, et declinatio, et reprehensio, et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casibus ponitur, et quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, et ad propositum subiecta ratio, et item in distributis supposita ratio, et permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipatio, et continuatum, et interruptum, et imago, et sibi ipsi responsio, et immutatio, et diiunctio, et ordo, et relatio, et digressio, et circumscriptio. Haec enim sunt fere, atque horum similia, 208
[vel plura etiam esse possunt,] quae sententiis orationem verborumque conformationibus illuminant.

Quae quidem te, Crasse, video, inquit Cotta, quod 55
nota esse nobis putes, sine definitionibus, et sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa qui-

---

comminatio. Non offendor, quod nusquam alibi apud Ciceronem vel *comminari*, vel *comminationem* legi memini: sed ipsum illud, quod eo Nomine indicatur, alienum est ab hac definitione, quia *minis* certe nihil obtinetur. Corruptum esse suspicor ex *cominus actio.*

208. [*vel plura etiam esse possunt,*]. Non ad unum omnia Crassum enumeravisse ipse indicaverat iam illo *fere*, addito praesertim *atque horum similia.* Abiiciatur inficetum emblema, in quo non tantum *esse* plura, sed *esse posse* dicuntur. — Tum, ut Kayserus, correxi

dem, quae supra dixi, nova vobis esse arbitrabar, sed
209 voluntati vestrum omnium parui. His autem de rebus
sol me ille admonuit ut brevior essem, qui ipse me
praecipitans me quoque haec praecipitem paene evolvere
coegit. Sed tamen huius generis demonstratio est et
doctrina ipsa vulgaris, usus autem gravissimus, et in
210 hoc toto dicendi studio difficillimus. Quam ob rem,
quoniam de ornatu omni orationis sunt omnes, si non
patefacti, at certe commonstrati loci, nunc quid aptum
sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non
omni causae, nec auditori, neque personae, neque
211 tempori congruere orationis unum genus. Nam et causae capitis alium quemdam verborum sonum requirunt,
alium rerum privatarum atque parvarum; et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, [aliud
iudicia,] aliud sermones, aliud consolatio, aliud objurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Refert
etiam qui audiant, senatus an populus an iudices,
frequentes an pauci an singuli, et quales: ipsi quoque oratores qua sint aetate, honore, auctoritate
[debet videri]: tempus, pacis an belli, festinationis
212 an otii. Itaque hoc loco nihil sane est, quod praecipi
posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, et

---

illuminant, pro vulg. *illuminent*; conf. ad Orat. § 128.

209. *sol me ille admonuit*. Hoc quidem loco recte Perfectum ponitur: contra, in loco I. § 28, corrigendum fuit, *admonet*. Ceterum, illa, *his de rebus ut brevior essem*, aliquanto lenius divelluntur, quam fieri videmus supra, § 145.

211. [*aliud iudicia*]. Quoniam modo iam *causae capitis* et *rerum privatarum* ponebantur, quae certe iudiciorum sunt (conf. I. § 201), inepte iterum *iudicia* inculcantur. — Porro, corrigendum *sermo*, pro *sermones*: reliqua quoque genera Singulari numero significantur.

[*debet videri*]. Non dicitur Latine *videri*, pro attendi, considerari: et parendum fuerat Lambino, qui ista omittenda censuerat.

tempus, pacis an belli. Requiro *tempus quod sit, pacis an b.*

213. *summos saepe superare*. Non sane scite dicitur *mediocris saepe potest summos superare*, aut *potest saepe superare*. In Praeterito recte diceretur, saepe factum est ut mediocris summum superaret. Suspicor *saepe*

tenuioris, et item illius mediocris ad id, quod agemus, accommodatam deligamus. Ornamentis iisdem uti fere licebit, alias contentius, alias summissius; omnique in re posse, quod deceat, facere artis et naturae est, scire quid quandoque deceat, prudentiae.

Sed haec omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio, 56
inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus 213
orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur [quum rogaretur, quid in dicendo esset primum], huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet, qui, quum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte dicta: quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum? [Ex] quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eamdem aliam fore putaret actore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, 214
melius meministi, quod me puero tantopere efferretur,

---

corrruptum esse ex *ipsos*. Supra, § 145, eodem modo correxi.

[*quum rogaretur, — esset primum*]. Latinitas sane postulabat, *quum quaereretur ex eo —:* et conferendus est locus I. § 133. Sed totum hoc confictum est e Brut. § 142, ubi recte non tantum *primum*, sed *secundum* et *tertium* ponitur. H. l. simplici commemoratione defungitur, ut Orat. § 56: istaque omittenda censeo.

ut legeret illam etiam, quae — dicta. Primum, minus recte h. l. suscepta videtur Coni. *etiam:* tum, post *dixerat*, non accurate subiicitur *quae erat dicta:* et praeterea, *contra* satis putide insertum est. Inutilibus omissis, vehementer suspicor legendum esse, *ut legeret illam ab Demosthene pro Ctesiphonte dictam.* Ellendtius edidit *edita*, Kayserus *dicta*, quibus auctoribus neuter significavit.

[*ex*] *quo satis significavit.* Delenda est Praepositio.

214. *quid fuit in Gracco — efferretur* —. Laudo Kayserum, qui fidenter Lambini correctionem receperit, quum vulgo legeretur *ferretur*. Nempe

quo me miser conferam? quo vertam? In Capitoliumne? at fratris sanguine madet. An domum? matremne ut miseram lamentantemque videam, et abiectam? Quae sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Haec ideo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt, imitatores autem veritatis, histriones, occupaverunt.

57 Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas;
215 et ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum, quia animi permotio, quae maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est ut obscuretur ac paene obruatur, discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae
216 sunt eminentia et prompta, sumenda. Omnes enim motus animi suum quemdam a natura habent vultum, et sonum, et gestum: corpusque totum hominis, et eius omnes vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces, ut chordae, sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum, contractum, diffusum, continenti spiritu, intermisso, fractum, [scissum,] flexo

---

ferri neque per se est omnium ore ferri, neque cum *tantopere*, illo praesertim sensu, iungi poterat. Sed *efferebatur*, i. e. praedicabatur, et cum admiratione vulgabatur, quid? non ipse Gracchus, sed totum illud, quod pronuntiaverat: unde consequitur nulla distinctione illa Gracchi verba ab *efferretur* distinguenda esse. Quaerit Crassus, qua re Gracchi illa verba tanto studio circumferebantur? Respondet, non propter ipsa, sed quod tanto cum dolore acta essent.

215. *et ea si satis* —. Susceperunt meam correctionem novissimi Editores: antea edebatur *sed ea*. Confirmatur scilicet id, quod praecedit, sequiturque correctio, *rerum quia* —. Sed praeterea, una litera iterata, unaque addita, legendum censeo, *et ea si satis sine actione efficeret* —, i. e. utcumque ageretur.

sono attenuatum, inflatum: nullum est enim horum 217
generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Ili
sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores.
Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat, acutum, 58
incitatum, crebro incidens:

impius hortatur me frater, ut meos malis miser
mandarem natos: —

et ea, quae tu dudum, Antoni, protulisti,

segregare abs te ausus? et
ecquis hoc animadvertit? vincite: —

et Atreus fere totus. Aliud miseratio ac moeror, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce:

quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
domum paternamne? anne ad Peliae filias?

et illa,

o pater, o patria, o Priami domus!

et quae sequuntur,

haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

Aliud metus, demissum, et haesitans, et abiectum: 218

---

216. *omnes enim motus animi — habent vultum.* Sic correxi, pro vulg. *habet*, quoniam *motus* necessario Plurali numero dicitur, ut mox, § 220, sq. et passim: et *suum quemdam* est a reliquis diversum. Et ut *voces*, ita *vultus* quoque Plurale est: conf. II. § 148. —

continenti spiritu, intermisso, fractum [*scissum.*] Kayserus haec ita distinxit, quasi *fractum* et *scissum* inter se opponerentur. Si verum esset *scissum*, vix diversum esset a *fracto*. Sed vix concedi potest Ciceronem in genere dicendi notando usum esse illo verbo: tum, si *fractum* recte cum *intermisso* (*spiritu*) iungitur, credibile est post *continenti spiritu* excidisse aliud Adiectivum, v. c. *plenum*, cui *fractum* opponeretur. — Supra, I. § 261, est *continenda anima.*

multis sum modis circumventus, morbo, exsilio, atque inopia:
tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat:
alter terribilem minitatur vitae cruciatum et necem:
quae nemo est tam firmo ingenio, et tanta confidentia,
quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

219 Aliud vis, contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis:

iterum Thyestes Atreum attractatum advenit:
iterum iam aggreditur me, et quietum exsuscitat.
maior mihi moles, maius miscendum 'st malum,
qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Aliud voluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum:

sed mihi quum tetulit coronam ob colligandas nuptias,
tibi ferebat; quum simulabat se sibi iam facis dare,
tum ad te ludibunda docte et delicate detulit.

Aliud molestia, sine commiseratione grave quoddam, et uno pressu ac sono obductum:

qua tempestate Helenam Paris innuptis iunxit nuptiis,

---

220. *laterum inflexione*—. Credibile non est sic haec intelligenda esse, ut *verba exprimantur laterum inflexione*. Potius est ut sumamus illam *significationem* explicari enumeratione eorum, quibus gestus perficeretur, per Nominativos; ut legendum sit, *laterum inflexio haec fortis ac virilis* —, ut mox *manus*, et *brachium*, et *supplosio pedis*, nempe subsequi debet.

manus autem minus arguta digitis subsequens —. De gestu una praeceptione absolvit, quae finitur in verbis *aut finiendis*. Sed abiicienda est Coniunctio *autem*: tum, quaeri potest, quum *minus arguta* dicitur, minus, quam quid? Distinguendo etiam ista corruperunt Editores. Legendum: *ma-*

Ego tum gravida, expletis iam fere ad pariendum mensibus:
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non 59
hic verba exprimens scenicus, sed universam rem et 220
sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta digitis subsequens verba, non exprimens: brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis, supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore 221
sunt omnia: in eo autem ipso dominatus est omnis oculorum. Quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere: neque vero est quisquam, qui eadem connivens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quemdam dicit actorem aversum solitum esse dicere, qui in agendo contuens aliquid pronuntiaret. Quare oculo- 222
rum est magna moderatio: nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum inten-

---

nus non nimis arguta digitis, subsequens verba —. Ita, § 222, *non nimium*. Quod olim in Legg. I. § 27 conieci, non probari video Feldhuegelio: nunc acquiesco in vulgato.

221. *quo melius — laudabant*. Multo aptius hoc exemplum reiicietur in finem huius §, post verba *aliquid pronuntiaret*: quo ordine restituto, sic demum illa, *animi est enim omnis actio*, recte subiicientur superioribus.

Tauriscum quemdam. Creditum est hucusque *Tauriscum* hominis nomen esse. Fortasse non opus est. *Tauriscus*, gentis nomen, in Alpium lateribus, apud Polybium, II. 5, 8.

222. *motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis*. Cor-

tione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis; quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad mo-
223 tus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet: is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data: quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est, sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet: iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt, et in se ipsi indicant.

60 Ad actionis autem usum atque laudem maximam
224 sine dubio partem vox obtinet; quae primum est optanda nobis; deinde, quaecumque erit, ea tuenda. De

---

rigendum videtur, *aptos*, i. e. qui conveniant generi orationis.

223. *quare etiam hac imperiti* —. Videtur sermonis ratio hunc ordinem postulare, *quare hac etiam imperiti* —.

sententiaeque — hominum sensus praetervolant. Sensus Plurale ita I. § 60 et 83.

224. *ad actionis autem usum — obtinet.* Nullo modo admittenda mihi videtur haec syntaxis, ut *vox* dicatur *maximam partem obtinere ad actionis laudem.* Sed verum verbi obiectum obscuratum est praeposito *ad*, quo deleto sanam sententiam habebimus hanc: *actionis autem usum atque laudem magnam sine dubio partem vox obtinet*, i. e. tuetur: in quo mutamus *maximam*, quod nimium est, in *magnam*

de quo [*illud*] *iam nihil* —. In his *illud* aliquanto molestius est, mox (*sed illud videtur*) suo loco positum. Tum, cogitando, in his, *ad hoc praecipiendi genus*, supplendum est *pertinet.* Sed notanda breviloquentia, qua omittitur Infinitivus *disputare:* eoque confirmatur, quod supra, § 48, censui, verba *ut disputemus* omittenda esse.

equidem magno opere censeo serviendum. Kayserus, unum alterumque librum secutus, edidit *equidem tamen magn. opere.* — Sed neque *quidem* et *tamen* ita copulari licet; et quoniam aegre caremus Dativo in hac sententiae parte, corrigendum censeo, *cui quidem.*

225. *cum eburneola — fistula qui staret.* Kayserus, melius quam superiores, distinctionem omittit ante *qui:*

quo [illud] iam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur; equidem magnopere censeo serviendum. Sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis in rebus, quod maxime est utile, id, nescio quo pacto, etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius, quam crebra mutatio, nihil perniciosius, quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad aures nostras, et actionis suavitatem, quid 225
est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius? Itaque idem Gracchus (quod potes audire, Catule, ex Licinio, cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum) cum eburneola solitus est habere fistula qui staret occulte post ipsum quum contionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret. Audivi mehercule, inquit Catulus, et saepe sum admiratus hominis quum diligentiam, tum etiam doctrinam et scientiam. Ego vero, inquit Cras- 226
sus; ac doleo quidem illos viros in eam fraudem in

---

dicitur enim *stare cum fistula* (ut *stare cum telo*), fistula instructum esse.

saepe sum admiratus hominis quum diligentiam cet. Facile intelligitur, quum istud de Gracchi fistula saepe audiret ex Licinio Catulus, hunc *admiratum esse hominis diligentiam* vocis moderandae; nam de hac re una nunc sermo erat. Non tam perspicuum est eum *doctrinam* quoque Gracchi *et scientiam* inde admirari potuisse. Ubi porro attenditur ad perpetuam consuetudinem usurpandae formulae *ego vero* in respondendo, quae vel ad affirmandum, quod alter quaesivisset, vel ad corrigendum refertur (de quo notavi ad II. § 290 et 362, conf. II. § 31 et III. § 47), ineptissime hanc respondendi formulam nunc Crasso tribui reperietur. Ideo coniiciebam Catulum non nisi hoc dixisse, *saepe sum admiratus hominis diligentiam*, Crassum autem respondisse, *ego vero etiam doctrinam et scientiam*, tum addidisse, *ac doleo quidem tales viros* —; nam *illos* ut diceret fieri non poterat, ubi unius tantum C. Gracchi mentio facta erat.

226. [*ratio vivendi*]. Bene haec aliena hinc esse visa sunt: quo pertineant apparet ex iis, quae supra notavi, ad § 122. — Tum omisi haec, ut Kayserus, *et ea incitatur*, quae edi solebant ante verba *in civitate*. Apparet, credo, illud *incitatur*, quod in multis adeo Codd. abest, non nisi corruptelam esse sequentium *in civitate*: ne ipsum quidem illud Verbum huius erat sententiae.

re publica esse delapsos: quamquam ea tela texitur in civitate [ratio vivendi], ac posteritati ostenditur, ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum, et te ad Gracchi fistulam refer, cuius ego nondum plane rationem intelligo.

61 In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium,
227 sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem utile et suave est: nam a principio clamare agreste quiddam est: et illud idem ad firmandam est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet, et tamen ab ipsa contentione revocabit: est item contra quiddam in remissione gravissimum, quoque tamquam sonorum gradibus descenditur. Haec varietas, et hic per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur, et actioni afferet suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum huius consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

228 Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coegerunt: scitum est enim causam conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas. Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego possum iudicare, ita divinitus, ut non a Graecis sumsisse, sed eos ipsos haec docere posse videare. Me

---

227. *et tamen.* Henrichsenius corrigebat, *et iam:* mihi aptius videtur corrigere, *et clam.*

et se tuebitur. Concedi non potest ut dicatur *varietas se tueri.* Corrigendum suspicor, *et ipsam tuebitur*, ut *vocem tueri* modo dicebatur, § 224.

228. *quae tu oratione complexus es.* Improprie de longa et multiplici Crassi disputatione dicitur eum illas *laudes oratione complexum esse:* quamquam recte dicitur v. c. *paucis verbis complecti;* verum hoc nunc non agitur: sed complexus erat *in oratore*, i. e. in oratoris vi et nomine definiendo eas laudes tamquam suas ac proprias ei tribuisti. De verbo *complecti* nonnulla notavi supra, ad § 75: conf. § 126.

229. *fore dicis? inquit* —. Et adiecto illo *dicis* facile caream: et quod correxi *recte confidis*, pro *r. rides*.

quidem istius sermonis participem factum esse gaudeo; ac vellem ut meus gener, sodalis tuus, Hortensius, affuisset: quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore. Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse iam iu- 229
dico, et tum iudicavi, quum, me consule, in senatu causam defendit Africae, nuperque etiam magis, quum pro Bithyniae rege dixit. Quamobrem recte vides, Catule: nihil enim isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesse sentio, quo magis est tibi, 230
Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum [ac laborandum]: non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati, sed et ingenio peracri, et studio flagranti, et doctrina eximia, et memoria singulari: cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio; vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix honestum est. Sed iam surgamus, inquit, nosque curemus, et aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus.

---

nunc quoque tueor, probatum, ut video, Kaysero.

230. *vigilandum* [*ac laborandum*]. Improprie in hac sententia ponitur *laborandi* verbum: sed ne *elaborare* quidem, quod quis fortasse illi verbo substitui vellet, recte cum *vigilandi* verbo iungitur, quippe quod non sine obiecti quodam indicio dici solet.

vestrae quasi succrescit aetati. — Abutitur figura Livius X. 13. 7., ubi Fabius Maximus dicit, *se gloriae seniorum succrevisse, et ad suam gloriam consurgentes alios laetum aspicere.*

ab hac contentione, i. e. post hanc disputationis contentionem, eaque omissa. Sed extrema laborant. Nam credibile non est post illa, *nosque curemus*, illatum esse *curae* vocabulum, quod et diversae est significationis, nec, ut *contentio disputationis*, ita *cura disp.* probari potest. Frustra Lambinus pro eo, quod libri afferebant, *curamque*, coniiciebat *curaque:* totum corruptum est, legendumque *animos nostros relaxemus*, quo composito utitur quoque supra, I. § 29.

INDEX ANNOTATIONIS.

A.

ab Isocrate. II. 57
abdicare. abdicere. II. 102.
Ablativus absolutus. II. 4.
abundans doctrina. I. 85. abundans varietate? II. 58.
ac tamen, *an* attamen. I. 148. 241. 252.
accipere genus causae? II. 114.
Accusativus cum Infinitivo suspensus ab interposito ut ferunt. II. 270. 353. III. 3.
acies. I. 157.
ad gratiam. I. 15. — ad laudationem aptum? II. 343. — consilium ad vitae studia? III. 56. — ad vulgus? III. 66.
adhibere (rebus) memoriam, vocem, vires? II. 149. — adhib. motus? II. 189. adhib. *Dativum postulat.* II. 337.
aditu (ab hoc), *an* ab hac ianua. I. 204.
admirari *an* mirari. I. 237. II. 227. III. 159. 195. 201. — admirari in quo. III. 101.
admixtus *an* admissus. III. 12.
admoneri memoriam? II. 358.
admonet *an* admonuit. I. 28. III. 209.
admonita, *an* monita. II. 64.
aeternitatem conservare? III. 20.
afferre permotionem. II. 186. — afferre ostentationem? III. 45.
afficiuntur animi, *an* animis. I. 87.
affluere ingenio? III. 57.
agere, *an* scribere, *in Icti munere.* I. 212. — aguntur, *an* augentur. II. 317.
aggredior in causa ad animos pertractandos? II. 186.
agitatio (rerum)? III. 88.
agnoscere, *an* cognoscere. II. 177.
Alcibiadis *an scripta extiterint.* II. 93.
aliquis, *cum contemtu.* I. 105.
aliter (est). III. 52.
ambulare, *an* inambulare. II. 20.
amplitudo. dignitas. III. 7.
an vero. I. 37. 250.
angustiae temporis. I. 3.
annuit ut se daret? II. 285.
appellare nomine. I. 239.
applicationis ius. I. 177.
ardentes studiis? III. 131.
arguere. II. 329.
argumentum emittitur. II. 214. — argumentum difficile. II. 294.
Aristotelis *libri rhetorici.* II. 160.
ars *et* res *confusa.* I. 6. 128. 213. — artium homines. I. 124. artium artifices. I. 128. — ars armorum. II. 84. — artes, *opera arte facta.* III. 195. — artes rhetoricae. III. 75. — artes exponere. ibid.
ascensu ingredi? I. 261.
assentior, *an* censeo. I. 261.
assequi. I. 48.
assidere, *de Sophistis?* I. 102.
assidui tundentes? II. 162. — assiduum opus, labor. ibid.
atque. I. 63.
attentio animi? II. 150.
attingere. III. 25.

aut. I. 35.
auctor. auctoritas. I. 198. — auctoritas gravitatis? I 214.
audite vero. II 28.
audivi, *an* vidi. III. 3. 198.

B.

beati. II. 144.
brevi. III. 24.
breviloquentia. III. 224.
brevitas ad verbum unum contracta? III. 156.

C.

cadere, *qua syntaxi*. III. 182.
caedes facta. II. 106.
capere pecunias. II. 135.
caput et fons. II. 117.
Catonis *Origines*. II. 51.
causa. I. 181. — causae amplissimae? ibid. — causa constat ex crimine? II. 104. — in causa dicere. II. 247.
causae a pluribus defensae. I. 207.
celeritas *cum* dicto *coniuncta*. II. 340.
ceram, *an* terram olere. III. 99.
certare. I. 175.
certe. III. 22.
Cicero emend. (Acad. Prior. II. 114) I. 2. — (Arch. 2.) I. 10. — (Offic. I. 109) II. 90. — (Brut. 138) II. 154. — (Offic. III. 36.) II. 335.
civitate (in) versari. III. 111.
clamator. I. 202. — *an* declamator. II. 86.
clarissimi philosophi? II. 157.
coepimus, *an* suscepimus. III. 9.
coercitio. III. 205.
cogere. I. 57.
cogitare, *an* collocare. I. 18. — cogitare, *an* excogitare. II. 219. — cogitare, *an* commentari. III. 17.
cogitatione attingere? III. 9.
cognitio magna? I. 185.
cognoscere, *an* agnoscere. II. 177.
colorari natura. II. 60.
comice. III. 39.
commeruisse? I. 232.
comminatio? III. 206.
commonstrare. II. 174.
comparatione coniungi. III. 32. — comparatio, *et* contentio. ibid.
complecti. III. 75. — complecti oratione. III. 228.
complexio verborum? III. 182.
conferre usum, scientiam alíquo? I. 211. — conferre se et convertere? III. 120.
conficere motus animorum? II. 324. — conficitur simile. III. 156. — iustitia confecit? III. 168.
conformare oratorem? III. 200.
confundere, *an* fundere. II. 322.
coniicere in os calculos? I. 261.
Coniunctivus. I. 7. 44.
conquirere, *an* quaerere. I. 202.
consequi eloquentiam? I. 109. III. 147. — consequi vim numerose dicendi. III. 176. — consequi *pro* pertinere ad? III. 106.
conservare, *an* servare. II. 81.
consilium senatus rei publicae? III. 3. — consilium publicum. ibid.
consistit (causa) in iure civili? I. 181. — consistere in loco. I. 261.
conspectus animi? III. 161.
constituere, *an* instituere. I. 86. II. 99. — constituere alicui. I. 265. - constituere narrationem? II. 328.
constituta poena temeritatis, *an* temeritati. III. 11.
construere verba casibus? III. 40.
consuetudo ad refellendum? I. 263.
consulere honestati? II. 335.
contineri. II. 30.
continuatio verborum soluta. III. 186.
contio, *an* contentio. II. 227.
contrita, *an* trita. I. 137.
controversia verbi. I. 107. — controversia inter hominum sententias? II. 335. — controversiam constituere. II. 104. *Syntaxis* ibid.
copiosissime. I. 41.
Crassi (L.) *commoratio Athenis*. I. 45.
Crassus (P.) Dives. I. 170.
creber frequentia? II. 56.
crimen infitiari? I. 181. — in crimine ponere? II. 199. — crimen facinoris? II. 104.

cum (stare) fistula. III. 224.
cura disputationis? III. 230.
curare et quaerere? III. 57.
curiam (in) venire. III. 6.

D.

dare se in aliquam partem? III. 60.
debet, *an* decet. I. 196. 220.
debilitari a cognoscendo? II. 142.
decernere splendorem? I. 194.
decet. II. 85.
decorant leges virtutem praemiis? I. 194.
deditus philosophiae? I. 227.
deducere. I. 135. II. 71.
defensio contra quem? II. 221.
deferre ad aliquem. I. 69. — deferre. I. 135. — deferre in forum, *an* afferre. II 146.
definitur (ars) ex rebus? I. 108.
defluere in mare. III. 69.
defugere, *an* fugere. II. 292.
Demosthenes *Platonis auditor*. I. 89.
denique. I. 142. II. 58.
deplorare sermone. I. 26.
deprehensus, *an* prehensus. I. 207.
describere mores. III. 76.
desperare, *cum Accusativo, aut cum Infinitivo*. III. 95.
determinare, *an* terminare. III. 175.
detrahere. I. 35.
dicendi *an* disserendi varietas. III. 67.
dicere ius, *an* de iure. II. 143.
dicta, *an* edita oratio. III. 213.
dictum dicere? II. 244.
dicunt, *in fama tantum valet*. II. 194.
difficilis apud homines? III. 84.
diffluere, *an* affluere. III. 131.
diffusa (late). I. 187.
diloricare tunicam? II. 124. cf. II. 195.
dilucide, *an* lucide. II. 108.
dimittere, *an* omittere. II. 303.
disceptatio dicendi? II. 291.
discere ius, *an* de iure. II. 143.
disputationes causarum forensium? III. 141.
dissentire mecum. I. 5.
dissimulantia. dissimulatio. II. 270. — dissimulatio non intelligendi? II. 275.
dissociare aliquem ab aliquo? III. 72.
distinguere historiam. II. 54.
dividere. III. 19. — dividere causam. II. 80.
divortia doctrinarum. III. 69.
docet usus. docet natura. I. 123. — docere, *an* movere. I. 194. — docendi, *an* dicendi genus. II. 365.
doctiores, *an* docti. II. 84.
doctissimi homines. II. 175.
domare libidines? I. 194.
domestica exercitatio. I. 157.
dona naturae? I. 114.
dubito (non). I. 61. 172.
ducitur disputatio, oratio. II. 130. ducere inventa ex —. II. 146. — ducere vitam nullam, *adi.* esse. II. 20.

E.

educere dictionem? I. 157.
efferre in album. II. 52. — efferre verbis. III. 52. 146. — efferre, *an* ferre. III. 4. 214.
efficere, *de oratore*. I. 120. II. 85. — efficere artem ex rebus? I. 186. — efficere laudationem? II. 348.
effingere mores. II. 184.
efflorescere ad gloriam? III. 11.
effluere. II. 300.
ego vero. II. 290. 295. 362. III. 90. 224.
egregius in dissimulatione? II. 270.
eiusmodi esse. II. 2.
elaborare, *an* laborare. II. 8. 295. — elaborare in gestu discendo? I. 152.
elegantia inanis? III. 141.
elementa puerorum. I. 163.
eloqui. loqui. I. 48.
eludere, *an* ludere. II. 222.
emissum telum. II. 219.
enim. quid est enim, *an* quid enim est. I. 51.
enumerare. I. 9.
errat oratio. I. 209.
error *falso additum* timori. II. 178.
eruere. II. 174.
esse dicunt. III. 65.
et quidem. II. 143. — et, *in concedendo*. II. 286.
etiam. I. 1. II. 65.

etsi. I. 72.
evadere. I. 126. II. 317.
evanescit memoria. II. 95.
evolare, *absolute*. II. 22.
ex Macedonia. I. 45.
exanimata (verba) exire. III. 41.
excellit unus e multis. III. 136.
excipere inclinantem. II. 187.
exempla petere, *an* repetere. III. 137. — exempla sumere II. 169.
exercitata oratio? III. 79.
exercitatio magna? I. 145. II. 96. — exercitationem instruere praeceptis? III. 105. — exercitationis consuetudo? III. 121.
expetere. II. 42.
exponere. I. 227. — exponere, *an* exquirere. II. 33.
exprimere sensa. I. 32. — exprimere verbis. I. 224.
exquirere, *an* requirere. I. 163.
exspectare. exspectatio. I. 166. III. 6. — exspectare, *an* spectare. II. 63. — exspectatio et silentium. III. 33.
exspoliati. expilati. III. 123.

F.

facetiae, *de toto genere*. II. 243. 248.
facies, *an* species. I. 127.
facilis in audiendo? I. 93.
facio ut. I. 28. — facere, efficere, *abund*. I. 126. 130. — facere, *interpolatum*. II. 70.
facultas poetica, rustica. I. 69.
familiaris. I. 162.
ferri, *an* efferri. III. 4. 214.
ferunt, *sine subiecto*. II. 154.
florere copia? III. 130.
fontes continentur legibus? I. 193. — fontes legum? I. 195.
fortasse etiam, *in concedendo*. I. 254.
frangere (vi) genera philosophorum? III. 62.
frequens. I. 243.
fugit oratio, *an* fluit. III. 184.
fuisse, *an* floruisse. II. 270. III. 56.
funera patriae. III. 12.
Futurum, *in praecepto*. I. 48. 50.

G.

Genitivus: multi omnium generum II. 38.
genus ingenii. I. 5. — genus oratorum I. 39. — genus dicendi. II. 29. — generum quaestiones. II. 66. — genera rerum? II. 71. — genera causae et naturae? II. 145.
Gerundium passive positum. II. 281. 341. 343. — *Gerundium*: exprobrando invehi? II. 305.
gloria praestare. III. 8.
Graecia (Magna). II. 154.
gravitas convertitur? I. 31. — gravitas sermonis. I. 255.
gymnasia Graeca. II. 20.

H.

habere in se. II. 343.
haud scio an. I. 77.
Hermodorus. I. 62.
hic, *sine Nom. proprio*. I. 62. II. 296. — hic, *an* hicce. I. 193. 262. — hoc populo. II. 4.
homo (liber). I. 72. — homines ceterarum artium. I. 124. — homines, *an* omnes. II. 310. — homo, *ubi non addi soleat*. III. 28.
Hypsaeus. I. 166.

I.

ignarus in —? I. 88.
ignominia levare? II. 268.
ille, *Nomini adiectum*. I. 170. 171. — illud. I. 63.
illigatus. II. 61.
imagines cum similitudine. II. 266. — imago verbi? II. 358.
imbuere natura? II. 289.
imitatio. II. 252.
impellere impetum? II. 312. — impelli voluptate? III. 98. 99.
importunus. III. 18.
impudentiae nomen? I. 120.
in oratoribus irridendis. I. 47. — in iure civili. I. 170. — esse in iure. II, 143. — in libris civitas. I. 224. —

in possessionem consistere? II. 200. — in oratore. II. 314. — in virtute mirabilia. in virtute laudari? II. 344. — in pueritia. III 74. — in aedilitate? III. 92. — in philosophia eruditus? I. 67. — in quibus, *temporale*. I. 91.
incensus. II. 11.
incidere, *an* incedere. III. 102.
incitare, *an* excitare. II. 147.
inclinantem excipere. II. 187.
incomptus, *an* incomitatus. I. 234.
incondite fundere, *an* incondita. III. 175.
incontroversum? I. 241.
incumbere, *an* impellere. III. 55.
incunabula. I. 23.
inducere in mores? II. 121.
inferre commotiones. II. 216.
infinitae disputationes? I. 194.
infinite quaerere. III. 109.
Infinitivus obiecti conversus in ut *cum Coniunctivo*. II. 196. — *Infinitivus Passivi an Activi*. II. 236. 347. — *Infinitivus obiecti loco*. III. 94.
inflammare? II. 2, 2. — inflammare res. II. 332.
infringitur verborum ambitus. III. 186.
infucatus. III. 100.
infusum. II. 300.
ingenium summum, *similiaque*. I. 104. excellentis ingenii. I. 106. — ingeniis, *an* ingenio valere. I. 115. II. 6. III. 57. — uberrima ingenia? ibid. — ingenia. III. 95. — ingenii ostentatio. II. 333.
inopportunus, *an* importunus. II. 20.
inscientia, *an* inscitia. I. 99. 233.
insistere aliquid? III. 176.
instituere artem? I. 186.
intendere, *an* tendere. II. 89. 179.
interpellatio. II. 39.
interpuncta. II. 177. 328.
interspirationes. III. 173.
intueri. I. 6.
ipse. I. 25. — ipse ille. I. 45. — ipse is. I. 98. — ipse, *corruptum in* saepe. II. 144. — ipse, *de domino causae*. III. 48.
ironia. II. 270.
irridere, *an* ridere. I. 91.
is — qui. II. 157. III. 60.
ita. I. 28. 246.
itaque. II. 217.
item, *an* idem. III. 181.
iter. itinera. I. 203. — iter antiquitatis? I. 256. — iter disputationis. II. 234.
iudicare ex poetis? III. 100.
iudicia. III. 211. — iudiciorum poena? I. 102.
Iulii nomine **Caesar** indicatus. II. 229.
ius, *an* ius civile. I. 40. 236. 241. — in iure. I. 42. 248. — in iure civili. I. 170. — esse in iure. II. 143. — ius commune civium. I. 56. — ius civile. I. 172. 179. 185. — iuris scientia. III. 135.

L.

labi, *an* labare. I. 202. — labi ad ornamenta? III. 125.
laborare. *Syntaxis*. II. 73. III. 230. — laborare, *an* elaborare. II. 295.
lacessere, *an* laedere. II. 302.
laetitiam percipere? I. 197.
largiri. I. 68.
laus orationis. II. 341.
lenior, *an* lentior. II. 317.
lente ferre. II. 190.
lex in XII tabulis? I. 167. — lex Thoria. II. 284.
liberatus admiratione? II. 362.
linguae motus? I. 156.
literae nullae. III. 60.
lites, *an* controversiae. III. 75.
locis (aliquot). III. 22.
loqui, *an* colloqui. I. 133. II. 367.
ludere causam? II. 222.
ludus ad discendum? II. 89.
lux veritatis? I. 157. — lux ingenii? lucem porrigere? II. 184.

M.

magistratum, *et* magistratus petere. I. 112.
magnitudo causarum. I. 15.
magnus in iure civili? I. 237. — magna

eloquentia? II. 58. — magnus risus. II. 253. — magnus ad quid? III. 147.
malum facere in causa. II. 296.
mediocris doctrina? III. 77.
memoriae recordatio. I. 4. — memoriae proditum est. I. 261.
mentes excitare? II. 82. — in mentem intrare. II. 109. — mente satiari? III. 100.
ministrae, *an* ministratrices. I. 75.
minus, *an* nimis. III. 220.
miror, *an* admiror. II. 227. 316. 362. — mirabiliter, *an* admirabiliter. III. 15. 26.
mirum silentium, *an* merum. II. 78.
moderata oratio. II. 34.
modo, *an* tantummodo. III. 52.
modus. III. 166. - modis, *an* modo vincire verba. III. 176. — extra modum. III. 41.
monumenta. II. 201.
mos hominum? II. 68. — morem afferre? III. 80. — mores imitari. II. 251. — mores civitatum. I. 224. — in mores nostros inducere? II. 121. — mos maiorum. mores m. I. 39.
motus animorum, *an* mores. I. 219. — motus animi, *Plural.* III. 216.
Musca, *Semproniorum cognomen.* II. 247.
mysterium? III. 64.

N.

natura (rerum). I. 17. — natura, *an* naturae hominum. I. 47. III. 76. — natura colorari. II. 60. — natura generum, *an* rerum. II. 136. 145. — natura rerum, *an* ingeniorum. III. 95. — natura dicendi. II. 307. — natura et utilitas. II. 331. — natura an opinione. III. 114. — naturae ratio. III. 122.
naturale. I. 117.
natus, *an* ortus. III. 12.
ne. nihilne. I. 150. II. 303. 305.
necis socius, *an* conscius. II. 170.
nefarium crimen? II. 199.
negatio excidit. II. 105.
neminem esse oratorem? II. 122.
nihil sciri. I. 222. — nihil percipi posse. III. 67.
nimirum. I. 16.
nimis progredi? III. 128.
niti, *an* eniti. II. 207.
nomen oratoris. II. 5. III. 54.
Nomen proprium tollendum. II. 88.
nomion. I. 250.
non, *post* nisi vero. I. 242.
notare memoriam? II. 359.
novata verba. III. 154.
novi, *an* cognovi. II. 101.
nudatus. I. 172. II. 350.
num quod. I. 37.
numerare. I. 9.
numeri ac voces? III. 25. — numerus verborum? III. 174. 195.

O.

oblivionis silentium. II. 7.
obscurari. II. 95. — obscurari, *an* obrui. II. 360.
observare, *an* servare. I. 97. 109. II. 229.
occupatissima civitas? III. 131.
Octavius (Cn.) I. 166.
offendere aliquid, in aliqua. re. I. 129.
officina rhetorum? II. 57.
omnis disputatio, *an* omnes disputationes. I. 209. — omnes res divinae. I. 212. 213.
opinionis arbitrium? I. 108.
opinor. II. 270.
optare se esse. I. 87.
optimus (non). I. 115.
opus (unum). II. 162.
oratio, *an* orationes. III. 173. — oratoris, *an* oratoriis. I. 242. — vis oratoria, *an* oratorum. III. 54. 201.
oratoria laus? I. 130.
ordo inferior? I. 181.
ornamentum. ornatus. I. 199. II. 320.
ornare, *an* exornare. I. 221.
ornatissime facere? I. 119.
ortus, *an* natus. III. 12.
otium. I. 14. III. 131. — otium, *an* oleum. I. 81. — otium nimium? otiis abundare? III. 57.

P.

partes orationis. II. 310. sq. — pars orationis. III. 103.
partitio artis. I. 22.
percipere artificia? I. 127. — percipere cogitationes? II. 357.
Perfectum Indicativi pro Plusqperf. Coniunctivi. III. 12.
periculis, *an* periculo liberare. I. 32. — pericula. III. 122.
περίπατος. III. 109.
perpolita. II. 84.
perreconditus? I. 135.
personae bene positae? II. 359.
perspicere, *an* prospicere. I. 161.
pertractare animos. II. 186.
pervenire. II. 30. — pervenire ad summos honores? II. 85. — pervenire, *an* venire. I. 96.
pervertere, *an* evertere. III. 7.
PHILISTUS *an* PHILISCUS. II. 94.
placet. videtur. *syntaxis*. II. 2.
plenus. plenissimus. I. 2. II. 312.
poetica? III. 174.
pondus nocendi habere in vita? II. 302.
portuosus. III. 69.
posse, *in definitione*. I. 41. — *absolute, de facultate*. I. 89. 120. 126. II. 85. 192. III. 52.
praeclara comparatio. II. 348.
praeesse scientiae? I. 186.
praestare. II. 124.
prima quaestionum genera. III. 116. — prima genera. II. 41.
princeps eloquentiae? princeps esse vult? I. 13. III. 60. 63. — princeps, *cum Adiectivo?* I. 225. — princeps ex omnibus? III. 128.
pristinus. I. 29.
pro me est. III. 75.
proferre in lucem. I. 157.
proficere. II. 89. — proficitur. II. 206.
profiteri de aliqua re? I. 212. III. 128.
profluens. II. 158. — profluere. fluere. III. 185.
Pronomen servat genus Substantivi, ubi vocabulum indicatur. II. 193.
pronuntiatio. II. 34. — pronuntiare. III. 140.
proponere, *an* exponere. I. 15.
proprius et suus. I. 217. II. 39.
provocare, *absolute*. I. 32.
pudoris significatio. II. 182.
puncta argumentorum. II. 177.

Q.

qua tempestate. III. 153.
quamquam, *cum Coniunctivo*. II. 1.
quanta haesitatio? II. 202.
quasi. III. 190.
que. in eoque, *an* inque eo. I. 126. — que. *vitio additum*. III. 64.
qui, *i. e.* quamquam. I. 82. — qui quidem, *sequ. Indicativo*. II. 105. 291. — qui quum, *an* cui quum. II. 278. 285. — qui res iudicant. II. 156.
quidam. I. 12. 69. II. 40. — quiddam, *an* quoddam. III. 177. 227.
quidem. II. 74. 300. — ille quidem. III. 55.
QUINCTILIANI *Ciceronem interpretantis error*. III. 156.
quisque. II. 291.
quoque etiam? I. 164.
quum, *iteratum*. I. 82. 291. — quum, *an* quod. III. 64. — audivi quum diceret. III. 168. 184.

R.

ratio oratoris? I. 82. — ratio verborum, rerum. II. 47. 64. — rationes. II. 74 — ratio dicendi, *an* discendi. II. 141. — ratio orationis. II. 184. III. 126. — ratio vivendi. III. 226. — ratio *et* consuetudo. III. 48. — ratione, *et* recte. *confusa*. III. 159. 160.
rebar. III. 82. 153.
recordatio memoriae. I. 4.
recuperare. III. 110.
refercire, *an* confercire. I. 163.
referre praeterita verba. II. 110.
refutandi et respondendi formae. I. 246.
rei. II. 78. 116. 183. 321.
relinquere in scriptis? II. 194.

remissionis lenitas. II. 212.
remotus a re publica. II. 56.
renovare, *et* revocare. II. 199.
repetere (longe), *an* petere. III. 160.
requirere, *an* quaerere. I. 207. II. 214.
res. rerum omnium natura. I. 219. — res Graecae, *an* literae. II. 152. — res, *an* artes. Ibid.
retinere in civitate. I. 32. — retinere antiquitatem? III. 42. 45.
revocare, *an* resecare. II. 88.
rhetorices partitio. I. 142.
rhetoricus. I. 85. 87. 133. III. 75. 80.
rogare, *pro* quaerere ex? III. 213.
ruborem, *an* pudorem praestare. II. 242.
ruere, *an* irruere. II. 301.

S.

saepe. saepissime. I. 99. 214. — saepe, *an* ipse. II. 193. III. 145. 213.
salutem (ad) vocare. II. 35.
satietas similitudinis. II. 177.
satisfacere arti. I. 170.
Scaevola *auditor Panaetii.* I. 75.
scientiam (habere) ut possis efficere? I. 186. — scientia. ars. II. 32.
scissum. III. 216.
sed enim. sed nimirum. I. 16. — sed. I. 37. — sed, *post* potius, *pro* quam. II. 317.
sedem habere. III. 19.
seiunctum ab opinione? I. 108.
sensa. I. 32.
sensus animorum. I. 60. — sensus et dolor. III. 96. — sensus (oculi, qui), *an* quorum sensus. III. 160. 183. — sensus communes? III. 195. — sensus dicendi. II. 184. — sensus videndi, *an* oculorum. II. 357. — sensus, *Plural.* I. 83. III. 223.
sententias, *an* sententiam extorquere. II. 74.
sentire, *an* censere. II. 4.
series disputationum, *an* disputationis. II. 68.
sermo cohortationis? II. 89. — sermonem habere. III. 1. 16. — sermo, *an* sermones. III. 211.
servare, *an* conservare. I. 35. II. 81. 329. III. 45. 172.
severe ludere. II. 269.
si, *an* etsi. I. 216.
sic se res habet. II. 23.
significare. I. 122. — significare a quo? III. 213.
significatio. II. 182.
silentium. III. 33. — silentium fit ceteris, *an* a ceteris. III. 143.
similis mihi, *an* mei. III. 47.
similitudo, *in duo distracta.* II. 265.
solere (saepe). I. 72.
solum, *requirit additum Genitivum.* III. 151.
sonus vocis. II. 54.
spe (a) revocare? II. 337.
species in dicendo? II. 294. — species virtutum? III. 55.
spectare ad quid? II. 132. — spectare eloquentiam? III. 147. — spectante Roscio. II. 233.
spiritu (uno) pronuntiare? I. 261. II. 72. III. 182.
stomachari cum aliquo? II. 267.
structus, *an* instructus. II. 315.
studia, *an* studium. I. 3. 135. 207. II. 363. — in studio versari? I. 256. — studium dicendi, *an* discendi. II. 1. — studium doctrinae. II. 2. — studium ludusque? III. 58.
stupefactus? III. 53.
subactio. II. 131.
subeundus usus? I. 157.
subiectum in fine sententiae positum. I. 255.
subsidium senectutis, *an* senectuti. I. 255.
sumere. assumere. I. 53. 59.
summi labores, *an* maximi. III. 14. — summa omnia facere: tribuere. II. 85. III. 15. — summus pictor? II. 358. III. 84. — summus (vir) in scientia? III. 138.
superior. II. 58.
suspicere, *an* suspicari. III. 22.
suspicio est ut videatur? II 268.
sustinere personam. II. 251.
suus proprius. I. 56.
syntaxis. II. 90. — *syntaxis distracta.* III. 145.

T.

tacita cernere? III. 198.
talis, tantus in dicendo? II. 51.
tam. I. 41.
tanta natura? I. 196. — tantus ad iudicandum? II. 122.
tantum. tantum non. I. 46.
Tauriscr. III. 221.
tendere, *an* intendere. I. 135. II. 179.
testamenta rupta aut rata. I. 173.
testimonium. III. 60.
Thucydidis *exsilium*. II. 56.
tinctum (arte)? II. 120.
tota eloquentia? II. 26.
tractare usum forensem? II. 348. — tractare de re? III. 106.
tradere immortalitati? III. 60.
traiectio III. 203.
transferre alio disputationes? III. 141.
tribuere et dare. I. 57. — tribuere cui eloquentiae nomen? III. 54. — tributum, *an* attributum. III. 144.
tueri vocem. III. 227.
tum. I. 25. 28.
turpissime dicere? II. 101.

U.

umbratilis. I. 157.
universa (de) re tractare? III. 106.
unus e multis. I. 132. III. 136. — unius operis. II. 40.
usurpare. III. 110.
usus, *sine add. Genitivo*. II. 204. — usum communicare? I. 60 — usum percipere. II. 11.
ut — sic. I. 198. — ut dixi. II. 193. 211. 260. — ut, *in exemplis*. I. 73. 153. — ut, *an* videlicet. II. 327. — ut auderent, *an* audere. III. 94.
uti, *pro* ut. I. 119. 130.

V.

vagatur oratio. I. 209.
veniam dare. I. 163.
veritatem imitari? II. 94.
vero. I. 36.
versari, *an* servari. I. 39. 263. — versari in re publica. I. 201.
vetera. III. 29.
vicit, *an* vincit. II. 56.
videre vitia in quo. I. 116. — videre ex aliqua re? I. 194. — vide. II. 367.
videri, *pro* attendi? III. 211.
vim nocendi habere in ingenio? II. 302. — vis doctrinae. III. 75. — vis oratoris. I. 21. 64. 219. III. 66.
vitare acclamationem? II. 339.
volo esse. I. 112. — velle quid. II. 206.
voluntates civium. II. 131. — voluntates *et* naturae. III. 28. — voluntas nocendi? II. 302.
volvi, *de oratione*. III. 182.
vox (summa)? I. 261.
vulgaris orator? III. 79. — vulgare, commune. II. 315.
vultus, *Plural*. II. 148.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

I. § 2. Quod de usu Superlativi (*plenissimus*) dixi, revocat mihi in memoriam alium Superlativum, *perfectissimus*, de quo notavi ad Orat. § 3: quodque istic Positivum commendavi, firmatur hoc exemplo Leg. Manil. § 36, ubi eadem Adiectiva iunguntur, *summus atque perfectus*. In Bruto, § 35. pro Superlativo ponitur *plane perfectus*: tum de Orat. I. § 59. *plenus atque perfectus*.

I. § 3. *consulatu devenimus*. — Ex hoc loco, et ex III. § 7., *o fallacem* cet. duo versus effinxit poeta epigrammatis in Anthol. Lat. T. I. p. 301, si iudicium sequimur Ruhnkenii ad Vell. Paterc. II. 18. 3; qui tamen, pace viri incomparabilis dicam, nimium progreditur in eiusmodi imitationum propaginibus demonstrandis.

I. § 13. *eloquentiae princeps* si recte damnatur, dubitare licebit de eo quoque, quum Tusc. V. § 47. Socrates dicitur *princeps ille philosophiae*.

I. § 15. Ubi editum est, *qui* (*usus frequens*) *omnium magistrorum praecepta superaret*, necessario corrigendum est, *superat*, quoniam concedi non potest hoc voluisse Ciceronem, ipsos illos, de quibus loquitur, ita iudicasse, ideoque causis agendis operam dedisse, quod *usus superaret*. Contra, ita ipse Cicero pronuntiat.

I. § 21. *Oratoris vis* rursus alio modo intelligitur infra, § 142. Hac opportunitate corrigamus, *oratoris*, pro *oratorum*, infra, § 263. conf. § 138. 142. 193. et 214.

I. § 22. *eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum aut deliberationum versaretur*. Offendor eo, quod dicitur *in disceptationibus deliberationum*. Corrigendum est, *et in deliberationibus*, quem casum Voss. servat, et, ut mihi notavi, Ruhnkenius probabat. Sic infra, § 141, *partim in iudiciis, partim in deliberationibus*.

I. § 32. *Arma, quibus vel tectus ipse*. Cognovi nuper Piderítii de h. l. opinionem, proditam in Novis Annalibus Philol. anni superioris, ex qua locus sic esset constituendus, — *quibus vel integer intactusque ipse* —, et conferri iubet tum Livium IV. 38. 6. tum Orat. I. § 202. In his nihil equidem video, quo ista opinio commendetur: sed locum iterum consideranti, quum recte *provocare* et *ulcisci* inter se opponantur, perperam tertium praemitti videtur, *vel tectus ipse*, cui nihil opponatur; neque enim *inermem*, aut *non tectum* cogitare potuit. Abiec-

illis, quae satis luculenta sunt (vel et esse), legendum: quibus ... quo posuis.

I. § 38. De Gracchis: omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum paratis. Fieri potest (quae Ruhnkenii opinio est) ut haec ob oculos habuerit Velleius Paterc. II. 2. 2, sic de Ti. Graccho scribens: lumina ... virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit: sed castae et integrae Latinitati manifestam ... substituit: quaeque eodem loco de Gracchi innocentia et sanctitate dicuntur, sordent prae iis, quae de Rutilio apud Ciceronem legimus Orat. I. § 229.

I. § 40. ... aetas nostra — (quod interdum pudeat) iuris ignara est. Usus hoc exemplo Coniunctivi (pudeat) Seyffertus, in recentissima Editione Tusculanarum, ut obtineat istic, V. § 113, recte legi quod credibile sit ... discedoque a meo et Tischeri iudicio, quum Scholic. Hypomn. IV. p. 114. dixissem est substituendum esse. Non sunt talia quaestionis multitudine exemplorum dirimenda, nisi horum eamdem esse rationem constet, quae syntaxin regat in eo loco, de quo quaeritur. Si contendisset Seyffertus isto loco legendum esse quod credibile sit, valere potuissent aliquo modo exempla, quae affert, in quibus omnibus est Praesens Coniunctivi. Sed diversa est eorum natio; quoniam Nat. D. III. § 62. quod miserandum sit laboratis dicitur, pro illa laboratis ut miserandum sit: et ad Div. IV. 3. 4, ubi de Servio patro dicitur, in quo ille existimat, quod facile appareat, quum me colat et observet, tibi quoque in eo se facere gratissimum, hoc certe facile apparet, illum Coniunctivum (appareat,) suspensum esse e constr. infinita, existimat se facere, et corrigendum fuit, quam, pro quum me colat: neque quod Relativum est, sed Coniunctio. In hoc autem De Oratore loco, quod interdum pudeat, est pro adeo ut id interd. pud.

I. § 41. *Copiosissime* recurrit tamen infra, III. § 129, quo tamen ipso loco equidem facilius ferrem *copiose*.

I. § 46. Quod *tantum non* ut in Cicerone susciperetur commendavi, video nunc formam hanc loquendi non indignam Cicerone visam esse Freinshemio (in Indice Flori v. *tantum non*), neque Gronovio (cuius auctoritatem indicat Orellius ad Ep. ad Q. frat. I. 1. 3. 11). Praeterea, quidni susciperet Cicero ex optimo Graecorum sermone illud μόνον οὐκ?

I. § 68. *Duo illa relinquamus* —, *nihil oratori* — *relinquemus*. Non eleganter unum Verbum *relinquendi*, tam brevi intervallo diversa posuit potestate: prius enim erit pro *omittere*, *non attingere*, ut Prov. Cons. § 6, posterius eodem modo ponitur I. § 22.

I. § 75. Repudiavi Nonianum *ministratrices*. Et omnino cavendum est, ne in Tulliani sermonis iudicio nimium tribuamus istius, quamvis docti, Grammatici. Portenta lectionum aliquot ex eo haec notari possunt: I. § 66. *tecum seram vocavit*, pro *tecum communicabit*: II. § 94. servat emblema, *magister istorum omnium*: ibid. § 177 *interiuncta*, pro *interpuncta*: III. § 100. *cinnis* pro *cincinnis*: Orat. § 21. *ut cinnus*, pro *vicinus*: ibid. § 40. *Theodectes*, pro *Theodorus*: ibid. § 125. *iactuosae*, pro *actuosae*.

I. § 85. Vindicavi correctionem meam, *omni abundans doctrina*: addique poterat hoc exemplum, Nat. D. III. § 23, *omni doctrina eruditus*. Sed

Tusc. IV. § 2, corrigendum est ubi editur, *erat illis in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras*, in quibus quod mihi vitiosum videtur non tollitur Madvigii correctione, *sapientiae nobilitate:* nam, ut recte dici concedo *Pythagoras fuit praestanti sapientia*, ita ferendum non est eum *in conspectu fuisse praestanti sapientia:* et Ablativus tum demum se tuebitur, si legatur *praestans sapientia.*

§ 94. Antonius statuebat *eloquentem* esse eum, *qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet.* Ponitur sane aliquoties *augere*, pro *amplificare* (ut Partit. Orat. § 52. 54.), sed utrumque absolute dicitur, nec adiungi sibi patitur Adverbium. Corrigendum est, *agere.* Confundi ista inter se exemplo est varia lectio apud Ellendtium I. § 143, indeque correxi in II. § 317.

94. Explicare neglexi, quod ad § 12 susceperam, quid mihi videretur de *communi quadam opinione hominum:* quae, propter adiectum Pronomen, intelligenda mihi videtur opinio, quae quoque tempore exsistat, et alias alia esse possit; ut, contra, *communis opinio* si nude dicitur, ad certum tempus revocanda est, ipsumque *opinionis* vocabulum, sicut *opinari*, certum obiectum requirit, id quod in *sensu communi* cogitari nequit, qua locutione non nisi perpetuus animi habitus indicatur: conf. II. § 68. Rursus, Pronomen additum recte se tuetur in his, § 159, *quae-populari quadam trutina examinantur*, ubi *trutinae* appellatio et similitudo erat excusanda.

§ 106. Quod correxi, *duo excellentis ingenii adolescentes*, pro *excellentes ingeniis*, conferendum ad hunc locum Tusc. I. § 3, ubi constanter edi solet, *si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt*, quamquam Plural. *ingenia* non nisi, per figuram, de ipsis hominibus usurpatur, ut ibid. § 33: itaque istic vel *si quae magna ingenia*, aut *si qui magni ingenii* corrigendum erat, et *summo ingenio* restituendum Fin. I. § 1, nisi concedatur dici posse quosdam *magnis eruditionibus*, aut *praeclaris doctrinis* fuisse.

§ 111. Verba *quasi unus e togatorum numero*, recte interpretatur Ellendtius, qui agnoscere videtur *togatos* ita appellari istic oppositos magistris et artificibus, qui Graeci esse solerent. Ita apud Livium, XLV. 39. 2, auratis purpuratisque opponitur *L. Paullus in turba togatorum unus privatus*, in quibus non tollendum est postremum verbum (*privatus*), sed relinquendum scriptori, qui minus intelligeret, quid sobria et casta Latinitas repudiaret.

§ 122. Quod de Verbo *significare* dixi, confirmatur Orat. § 139, ubi *significatio* opponitur *orationi.*

§ 126. Quod in annotatione dixi de interpolato verbo *facere*, eamdem interpolationem deprehendi in nonnullis codd. apud Orellium, III § 115.

§ 132. *unus e multis* quis dicatur intelligitur e Bruto § 274.

§ 145. Displicebat mihi hoc, quod *exercitatio magna* dicitur. Nempe diversum est si Plurali numero *magnae exercitationes* appellantur, ut II. § 96. et *maximae*, Brut. § 303: quod autem est III. § 105, *etiam maior est illa exercitatio*, nihil aliud dicitur, nisi plus etiam posse illam exercitationem, quae —." Ipsam autem in genere sic appellatam *exercitationem* non posse *magnam* dici, ut neque *amplificationem*, ceteraque eiusdem generis, nunc quoque mihi videtur. Video nunc

idem displicuisse Ellendtio, in loco II. § 96. Tamen dicitur summa exercitatio Tusc. II. § 9.

I. § 150. *hanc ipsam (commentationem) profecto assidue ac diligens scriptura superabit.* Manifestum est *scriptura* nomine ipsum scribendi laborem et exercitationem indicari. Sic, Trebatio scribens, ad Div. XV. 21. 4, *quum vero ea, quae scriptura persecutus es, sine summo amore cogitare non potueris* —. At in eadem sententia *scriptionis* usus verbo, Brut. § 92, *nulla res tantum ad dicendum profecit, quam scriptio:* quamquam solet eo verbo indicari ipsa libri compositio, ut Graecum συγγραφή. Aliud exemplum diversae terminationis videmus in *coniectus* et *coniectio* et *coniectura*, quae tamen permutationem non patiuntur: et in longe plerisque istiusmodi derivatis una terminatio servatur, ita ut neque *lectura* Latinum sit, neque *pictio:* nec raro diversae terminationis nomina in eadem re fungi videmus, ut supra, I. § 114, *conformatio quaedam et figura*, quae nihil aliud est, nisi *species* et *forma.*

I. § 155. Minus apte h. l. *Graecae orationes* appellari dixi, quoniam ita dicendae erant orationes, quas Romanus homo Graece scripsisset. Ita Tusc. V. § 112, de Aufidio, qui *Graecam scribebat historiam*, sicut Brut. § 81. de Albino dicitur, *qui Graece scripsit historiam.*

I. § 158. Sequi debueram alteram lectionem, *cognoscendae historiae*, i. e. res gestae. Singulari numero *historia* non nisi de tota disciplina dicitur, aut de ipso scriptoris opere, atque ita supra, § 51—57, et infra, § 165: conf. Brut. § 77. 101. 228. 262. 286. 325. Orat. § 66 et 207, tum infra, III, § 211, cuius loci auctoritate corrigendus est alius, Orat. § 37.

I. § 166. *pro quo ipse diceret.* Quidni, *dicebat*, sicut modo, *defendebat?*

I. § 172. Quod dixi de perpetua consuetudine *iuris civilis* appellandi, non evertitur eo exemplo, quod est III. § 136, ubi simpl. *ius* appellatur, nempe *universum*, quo *ius pontificium* quoque continebatur. Contra, I. § 236, in uno Codice perperam interpolatum erat *civilis*, post *iuris.*

I. § 189. Nunc haud scio an totus ille locus, quem ut parenthesin inclusi, insititius sit, *genus autem est-subiiciuntur.* Primum, ista non decent illam brevitatem, qua Crassus hanc disputandi partem absolvere volebat, meliusque locum tuentur Invent. I. § 32. Tum, ne reliquorum minus elegantem compositionem attingam, prava Latinitas est quum *partes* dicuntur *ex generibus emanare*, totaque illa *partium* explicatio otiosa erat, quum iam praecederet, *genus complectitur partes:* et *pars* proprie dicitur *subesse generi*, Invent. l. c. et § 42.

I. § 202. Sicut *labantem populum* correxi, pro vulg. *labentem*, eodem modo nunc rectius edi solet *labantem rem publicam*, in Philipp. II. § 51.

I. § 207. Quod dixi, corrigendum esse, *studio*, pro *studiis*, confirmatur II. § 363, fin. (*horum adolescentium studio morem gerere*), et III. § 37, *omnium vestrum studium.* Sed eodem modo corrigendum fuerat I. § 204. init., *istorum studio.*

I. § 209. Deleta Praep. *in*, legendum, *principio*, sicut est § 210.

I. § 211. Scribendum, *tum ex nostra* —.

I. § 219. Per errorem in textu servavi *de moribus hominum*, quum recipere in animo esset Ernesti correctionem, *de motibus animorum.*

I. § 224. *Mores civitatum.* Apte hac locutione utitur Livius, XLV. 23. 14, *tam civitatium, quam singulorum hominum mores sunt*, cet. Sed pror-

sus idem pervertit Latinitatem, quum III. 31. 8. scribit, legatos missos esse iussosque *Solonis leges describere et aliarum Graeciae civitatium instituta mores iuraque noscere:* in illa sententia non nisi Singul. *mos* usurpare licet. Melius idem Livius XXVI. 22. 9. Manlio in comitiis haec verba tribuit: *neque ego vestros mores consul ferre potero:* et ab his universorum *moribus*, civitas ipsa *bene morata* appellatur, ibid. § 14 et XLV. 23. 10, et apud Ciceronem supra, I. § 85. Sed Livius, ut istic abutitur plurali nominis numero, eodem modo peccare mihi videtur in aliis nominibus: veluti V. 25. 3, *ab horum (patrum) aetatibus dignitatibusque et honoribus violandis dum abstinebatur:* nam universorum aetas et dignitas et honor appellari poterat, non singulorum *aetates* cet.

I. § 231. Pro *oratoriam*, e Schutzii correctione assumendum erat *ornatam*.

I. § 236. *Istam* [*iuris*] *scientiam*. Sic, § 248, *istam scientiam*, sine varietate.

I. § 237. Quod conieci, *quae posita essent in iure civili*, commendatur eo, quod est § 238, *causas in iure positas*.

I. § 242. *Non arripuisti patrocinium aequitatis et defensionem* [*testamentorum ac*] *voluntatis mortuorum*. In Pideritii iudicio de hoc loco primum miror servatum *nonne*, et interrogandi formam: tum, quod *ac* et *mortuorum* abiicit, ita ut servet *testamentorum voluntatis*. Quid hoc est, quod *testamento* tribuitur *voluntas?* quae non nisi hominis cogitari potest.

II. § 4. Nimis arcte circumscripsi, qua in re diceretur *censere*, quoniam universe est sententiam pronuntiare: igitur erravi quoque in annotatione ad Legg. p. 465. et 524, ubi Madvigii auctoritatem indicavi. Maneat ideo *censebat*, quod verbum sic et multis aliis locis usurpatur, et Tusc. I. § 72. et 100. III. § 11. 33. et 52.

II. § 5. Non iniuria, ut opinor, reprehendi id, quod edi e libris solet, *eloquentiae nomen*. Sed eodem nomine reprehendendum erat quod I. § 120, prostat, his verbis; *non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus*. Quis enim ipse appellatur *impudentia?* Imo, *impudentiae crimen effugere* legendum censeo. Sic loquitur Flacc. § 7.

II. § 9. *praesentium memoria teste*. Ita, Brut. § 103, *memoria patrum teste*.

II. § 20. Errore, post *temporis*, excidit *qui loci*.

II. § 42. Quod dixi de verbo *expetere*, revocat mihi in memoriam locum Tusc. V. § 85, ubi dixeram (Scholic. Hypomn. IV. p. III) legendum esse, *laudem cum dolore expetendam esse*. Seyffertus tamen defendit vulgatum *petendam*, quasi id esset *parandam*. Sed in philosophorum illis disputationibus non nisi de *fugiendis*, aut *expetendis* rebus disseritur, non de *petendis*, aut *parandis*.

II. § 43. *quod et a Crasso tactum est, et Aristoteles adiunxit*. Syntaxin hanc defendit Madvig. Emendat. Liv. p. 62.

II. § 44. Nihil pertinet ad interpretandum Ciceronem: sed de laudatione funebri operae pretium est conferre Livium II. 61. 9. et V. 50. 7.

II. § 45. Casu factum est ut exprimerem, *unde omnia ornate dicendi praecepta sumuntur*. Multo praestabat, quod novissimi Editores tenuerunt,

unde omnia ornamenta dicendi s., sicut *dicendi ornamenta* appellantur infra, § 50 et 122. Improprie *praecepta sumi* dicitur.

II. § 51. *ut noster Cato, ut Pictor, ut Pi*[illegible]. Magis idoneo loco ista et Graecorum, et Romanorum historicorum nomina ponuntur § 53. Apius igitur, omissis illis, legetur, *ut nostri*. *Erat enim* —.

II. § 64. Quod in historia scribenda commendatur *genus orationis fusum atque tractum* (de quo Ellendt. ad § 202), de industria explicat Aquila Romanus p. 158. ed. Ruhnk.

II. § 65. Quem abusum Coni. *etiam* in Ellendtio notavi, is non defenditur exemplo Ruhnkenii, qui, quum suam ad Velleium p. 12. b. proposuisset emendationem, hoc addit: „quod etiam Burmanno in mentem venit." Scilicet constat ab eo contemni solere Burmannum.

II. § 72. *qui tamquam machinatione aliqua*. Repudiavi Madvigii coniecturam, *aut tamquam* —, quoniam mihi videbatur, propter ea, quae proxime antecederent (*qui - in quo* —), hanc quoque admonitionem ordiri oportere a Relativo: praeterea postulabatur ut enumerationis, non permutationis forma servaretur.

II. § 72. In hac annotatione, nescio qua incuria, scripsi „Gr. φρόνημα non nisi Plurali numero *spiritus* dici." Volebam *animos*. Diversum est Singulare, *animus*, cui alii scriptores substituerunt *spiritum*, ut Livius XXI. 1. 5, *ingentis spiritus virum*.

II. § 73. *plena animi* [*plena spiritus*]. Livianum est ut, pro *animo*, *spiritus* dicatur: de Appio reo (II. 61. 6.) *idem in oratione spiritus*.

II. § 78. Quod correxi, *merum silentium*, pro *mirum*, aliis verbis, in eodem argumento, dicebatur supra, § 65, *explicat nemo*.

II. § 80. *dividere* poni pro *diligenter definire* et *proponere*, efficias exemplo Orat. § 115., de ambiguis, *quo modo quidque eorum dividi explanarique oporteat*.

II. § 88. Notavi Nomen proprium pluribus locis tollendum esse. Ita Crassus, III. § 133. (*de patre et de socero meo*), non addidit nomina ipsa: sed, ut in remotiori memoria, *proavi generi mei*, *Scipionis*, § 134. Quumque aliquoties, ubi unus de iis qui sermonis participes erant indicaretur, post Pron. *hic* Nomen proprium abiiciendum dixerim, (sicuti III. § 141, *qui hunc Alexandro-doctorem accierit*, non interposuit *Aristotelis* nomen,) tollendum III. § 173 quoque est (*huic Catulo*), et fortasse ibid. § 139 (*hunc Dionem*).

II. § 92. *quem probavit*. Suscipiendum, *quem probaverit*, nisi praestet *probabit*.

II. § 101. *turpissime dicere* non tantum, quod nimium sit, istic improbandum, sed etiam quod a sententia alienum, siquidem *turpiter dicere* ipsius sententiae, quae pronuntiatur, turpitudinem significat; conf. I. § 227. Sic *elate loqui*, Tusc V. § 24: quemadmodum dicitur *honesta oratio*.

II. § 121. Quod olim conieceram, ut legeretur *in nostras aures*, post repudiavi, nonnihil tamen commendationis nanciscitur ex hoc loco Orat. § 106, *ieiunas huius — orationis aures civitatis accepimus*.

II. § 140. Quod *oratores*, velut subiectum, tollendum esse dixi, commendatur hac forma in § 145, *ut eam materiem — studiosi qui essent dicendi* (non *oratores*) — *comprehenderent*.

II. § 142. Recipiendum fuerat, *in Bruti*.

II. § 144. *Saepe* vitio ortum est ex vero *ipse*, in Bruto, § 199.

II. § 157. Notavi, in quibus usurparetur *clarissimi* appellatio: conf. supra, I. § 253. Orat. § 142. ad Div. X. 25. 2.

II. § 176. Minus recte dixi de illa particula, quam demonstraveram non esse huius loci, eam inserendam esse § 184, post hanc sententiam, *genere enim — esse videamur*, quum debuissem scribere eam substituendam esse illis verbis. In verbis ipsis, *qualem se videri velit*, suspicari licet illud *videri* interpolatum esse: conf. quae notavi ad I. § 112.

II. § 190. Quod *lente ferre* vindicavi absolute dictum sine addito obiecto, quamquam est ubi hoc addi oporteat (ut Att. II., 13. 2.), confirmatur simili hoc, quum dicitur *lente agere*, de quo memini me alicubi notare ad Rosc. Amer. 26., et quod Livius sequitur I. 10. 2.

II. § 193. Quod vindicavi *illum aspectum*, prae *illud a.*, contuli cum Madvigii iudicio de loco Liviano XLV. 4. 4 (Emendd. Liv. p. 593), ubi haec verba de Paulo Aemilio prostant: *postquam regem Persea consuli Paulo salutem legit.* In his, propter Accusativum, prorsus scilicet perverse positum, corrigi vult Madvigius, *postquam a rege Perse consuli P. salutem legit.* Primum quaero, si *regem Persea legit* improbandum est, quo modo defendatur *salutem legit?* Tum, quoniam non alia de causa risit Aemilius, quam quod in ipsa inscriptione illarum literarum offendebat nomen *regis*, quo se tum satis ridicule ornabat Perses, recte Latine ipsum illud vocabulum significare dicebatur *postquam regem Persea legit*, quod Graece diceretur τὸ Πέρσευς βασιλεὺς ἀναγνούς.

II. § 197. Verba, *et quaestore*, fortasse defenduntur coll. infra, § 202. fin.

II. § 198. *vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen* —. Improprie Genitivus ille iungitur cum *venia*. Aptius, credo, legetur, *excusanti*.

II. § 202. Quod *ad audiendum* dixi Passive accipiendum esse, eam syntaxin commendarunt viri docti, indicati a Ruhnkenio ad Vell. Paterc. II. 15. 1.

II. § 214. Vid. ad III. § 151.

II. § 225. *gestu omni et imminenti.* Probare non possum quod Pideritius servavit (ex uno cod.) *g. o. ei imminenti*, multoque minus totius loci interpretationem, in Novis Annalibus expositam. Mihi nunc inexplicabile est quid sit *gestus omnis:* et postremum vocabulum suspicor initium esse pravae lectionis, quam statim exceperit vera, *imminenti.*

II. § 229. *Hic, quum arrisisset ipse Crassus* —. Primum, tollenda virgula post Pron. *hic:* tum, *Crassi* nomen eiiciendum. Plane similis ratio huius loci, quae III. § 46.

II. § 239. Corrigendum, secundum libros, *in quo non modo illud* —.

II. § 249. *ex iisdem autem locis nascuntur omnia.* Orellius merito, ut mihi videtur, offensus est illo *omnia:* non tamen accipio eius correctionem, ut legatur *alia omnia.* Sed manifestum esse puto nullam aliam sententiam h. l. enuntiari potuisse, nisi hanc, *ex iisdem locis et gravia nasci et ridicula;* quod tamen isto modo dicere non licebat. Quumque hoc idem modo dictum sit (*quoscumque locos — posse duci*), equidem ista abiicienda potius, quam nescio qua arte ita corrigenda, ut suum locum recte tueantur.

II. § 250. *Africano illi maiori.* Vitio operae expresserunt *illo.* In aliis libris

est *superiori*: quod quare neglexerim apparet ex mea interpretatione ad II. § 58. conf. Orat. § 153. Iterum infra, § 262, *Scipio ille maior* (alterum appellat *hunc Aemilianum*, § 270), et § 284. *Appius maior ille.*

II. § 251. Improbavi illud *mores imitari*: et sane aliquanto melius diceretur *naturas imitari*, ut ex sqq. apparet: et Orat. § 139. est *naturarum imitatio.*

II. § 276. Probandum erat, quod affertur, *ego non agnosco vocem — tuam*?

II. § 299. Vitio operarum expressum est *pollicitum*: oportebat *pollicitus.*

II. § 305. Praetuli sic edere, secundum Lambini Codices, *quod me oratorem peteres, non adversarium*, quum novissimi Editores sequantur alteram lectionem, *quum ministratorem peteres.* — Credibile non est hoc (*ministratoris*) nomine Antonium de se usum esse, quo (ut e Flacc. § 53. intelligitur) is demum indicatur, qui alii quid subiicit quo utatur: Sulpicium autem in accusatione ita designasse Antonium, quod Pideritius sumere videtur, prorsus alienum est. Hoc castigabat Antonius in Sulpicio, quod hic Antonium non tamquam adversarium in causa peteret, sed ipsum qui adversarii causam ageret petisset: itaque non incidisse se in illud vitium, quod modo indicaverat, ut *litem suam faceret* et *locus efferretur iracundiae*, sed tulisse illud lente, quod *oratorem* non confunderet cum *adversario*, cuius causam ageret.

II. § 307. *quae oratorum iudicio comparatur.* Corrigendum, *oratoris*, ut § 308, *proprium oratoris prudentiae.*

II. § 312. *narratione exposita.* Praestat altera lectio, *re narrata et exposita. Narratio* universe dicitur, ubi partes orationis in arte enumerantur: cf. § 326, sqq.

II. § 320. Pro *ordiri*, restituatur *exordiri.*

II. § 324. Hoc praecipitur oratori: *tantum impelli iudicem primo leviter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio.* In his *incumbendi* verbum tribuitur *orationi*, quippe haec in *oratoris* potestate est: proprie enim et *impellere*, et *incumbere* de ipso oratore dicuntur: conf. III. § 55. Tenuit hanc Latinitatem aliquoties Livius, sed eam corrupit subinde, veluti III. 16. 5. de malo a tribunis et a plebe metuendo, *id prope unum maxime inclinatis rebus incubuit.*

II. § 328. *Interpuncta*, inquit Ellendtius, similibus illustravit Ruhnkenius ad Vellei. Pat. p. 52. Sed is nihil illustrat, verum excitato et hoc loco, et alio, Orat. § 53, in quorum utroque *interpuncta* appellantur, his exemplis obtinere vult apud Velleium recte servari *dispunxit*, quod non esse corrigendum, ut legatur *distinxit*; illud enim et exquisitius esse, nec minus accommodatum sententiae. De postremo hoc non assentior. Quid enim Velleius? *Neque quisquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit.* Omitto verbum ipsum *dispungendi*, quo recte, ut ipsa compositio indicat, utitur Seneca, Benef. IV. 32, de rationibus acceptorum et expensorum, ita ut sit plura et varia capita rationum in certa genera disiungere et distrahere: sed ne *interpungere* quidem isto loco recte usurpasset Velleius, quoniam *interpungimus* ea, quorum effectio in nostra potestate est, quae nostra opera aut arte creamus: tam autem incongruum est *negotia publica interpungere otio* (opor-

tebat, *otiis*), quam *prosperum vitae curum interpungere calamitatibus*. Quanto elegantius Laelii et Scipionis otia descripsit Cicero Orat. II. § 22, sq. Quid, quod ne illud quidem dicit Velleius, sed *intervalla dispunxit*, quo quid falsum magis cogitari potest? Qua opportunitate corrigendum in ipso Cicerone, ubi, Orat. § 53, editur *distincta alios et interpuncta intervalla, morae respirationesque delectant;* recte, modo distinguatur post *interpuncta:* nam *interpungi intervalla* ferendum non est, contra *intervallis distingui* recte dicitur Orat. III. § 186. Somn. Scip. § 18, revocandum est *intervallis — distinctus*, prae vulg. *distinctis*.

II. § 329. *ordine temporum servato*. Praetuli hoc, prae altera lectione, *conservato*, quod in singulis causis, narratio quum instituitur, *servat* orator ordinem temporum: contra, in illa memoriae arte, locorum ordo *conservat* ordinem rerum, ut dicitur § 354, ubi eodem modo libri dissentiunt. Eodem modo correxi Orat. § 120.

II. § 330. Praestabit altera lectio, *nec dubium*, omisso *si*. Mox, praeferam, *narrari oportet*.

II. § 335. Sine distinctione legatur, *praesidii militum*.

II. § 343. Quod corrigendum dixi, *ad laudandum* (conf. supra ad § 202), eadem ratio me movet ut in Bruto § 43, *materies ad ornatum* corrigendum censeam sic: *m. ad ornandum*. Sic Tusc. IV. § 82, *ad patiendum*.

II. § 353. Correcta distinctione legatur, — *ullo modo, Simonides* —.

II. § 358. Post *acribus* vitio operarum excidit *insignitis*.

II. § 365. Vitium operarum corrigendum, legendumque, *ut ita ista esse*.

III. § 3. Recte, ut mihi videor, *vidi* mutandum censui in *audivi*. *Saepe audivi* est quoque I. § 239. II. § 22, Brut. § 194: et Scaevola, I. § 38, non se *vidisse*, sed *audisse Sempronios* dicit. Similiter corrigebam I. § 45. Confusionis exemplum est item I. § 218. Et credibile est illa Perfecta facile confundi potuisse in Codicibus, unde nata est Ruhnkenii correctio adhibita huic loco, in Brut. § 181: *quid enim est quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur nec aliorum nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere praetermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus:* quod postremum *vidimus* ille mutare volebat in *audivimus*. Novissimi Editores non sine causa verba illa, *eorum-vidimus*, ut glossema, abiicienda esse viderunt: sed tanto maiore fiducia ita pronuntiavissent, si animadvertissent inepte hoc l. dici *aliquando videre* (aut *audire*), tanquam si forte fortuna, casu, et incerto tempore eos audivisset Cicero: tum oportebat eos illam correctionem initio loci adhibere, ut legeretur, *quos ipsi audivimus*. Praeterea, corrigendum istic est, *praetermittemus*, quo Futuro opus esse tum reliqua arguunt, tum quod paullo post subiicitur, *ita de unoquoque dicam*. Conf. ibid. § 203.

III. § 4. Melius alii Codd., *si L. Crassum vis coercere*.

III. § 8. *ut mihi non erepta L. Crasso — videatur*. Manifesto beatam praedicat mortem Crassi, sicuti Catuli (ad Att. II. 24), et postea Hortensii (Brut. § 329); et miror, quum haec postrema duo exempla afferret Ruhnkenius ad Velleium Paterc. II. 49. 1, illud ab eo ne-

glectum esse; magis etiam, quod is non offenditur ea locutione, qu utitur Velleius, quum dicit, *si prius gratulatus ero Q. Catulo — qui morte functi sunt.* Omitto ipsum illud, *mortem cui gratulari*; sed hoc, si liceret, aliquanto melius aequali conveniret, quam Velleio, quum ii, quibus gratulatur, multis annis ante quam ipse natus esset, interiissent.

III. § 17. Vitium operarum corrigatur, ut legatur, *quamque eum in cogitatione.*

III. § 18. *ut vobis hoc praesertim nemus putem diutius posse debere.* Concedo in Pearcii iudicium, qui ex Ascensiana edidit *deberi*. Sic Tusc. II. § 67, *sed tibi hoc video non posse deberi:* et omnino ratio ipsa postulat Passivum.

III. § 21. *Ubi enim perspecta via est rationis eius, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur.* Improprie dicitur *causas atque exitus alicui cognosci:* ratio potius ipsa erat *perspicienda*, i. e. cognoscenda. Proprium erit *continentur*, i. e. cohaerent inter se.

III. § 29. Non servavit discrimen inter *vetera*, et *antiqua* Livius, qui IX. 34. 14. *quid ego antiqua repetam?* Melius idem XXVI. 41. 9. *vetera omitto.*

III. § 31. *Sulpicius et Cotta.* Manifesto haec Nomina interpolata sunt.

III. § 47. *mihi — simillimum.* Propter ea, quae Seyffertus disputat ad Tusc. V. § 56, *mihi* praestare videtur.

III. § 48. Quod emblema indicavi, *ut disputemus*, eiusdem generis est illud, § 97, *ut caveatis.* Memini me idem monere ad Tusc. I. § 52. et III. § 76 (Scholic. Hypomn. IV. p. 78 et 95) quibus nunc haec addo, eodem Lib. III. § 77, tollendum esse *decere*, § 80. verba *ut videremus*, IV. § 60. et *quum doceas*, et *si doceas*, et fortasse § 76. *demonstrandum:* conf. § 83.

III. § 50. Vitio operarum editum est *easdem autem simulac*, pro *easdem res autem s.* Tamen dubium videtur an *res agere*, in hoc argumento, recte dicatur. Omisso illo Nomine, *easdem* commode intelligemus *causas*, ex antecedentibus. Quam diversum sit id, quod de Graeco transtulit, *actor rerum* (§ 57), explicari non est necesse.

III. § 54. *negavit adhuc se vidisse.* Perperam offendebar Adverbio *adhuc*, quo eodem utebatur Antonius supra, I. § 94. Collocatio fortasse Adverbii reprehendenda erat. Eodem modo est Tusc. II. § 51.

III. § 54. Quod bene correxisse mihi videor II. § 5, *eloquentis nomen*, pro *eloquentiae n.*, oblitus eram quum hic locum illum excitavi.

III. § 80. *praeceptis illius cognitis.* Difficile est hinc efficere, Aristotelem (quoniam ad hunc pertinet Pron. *illius*) praecepta edidisse, quibus doceret, quo modo in omni causa duae contrariae orationes essent explicandae, quoniam huius facultatis non nisi exempla in dialogis reliquit. Neque mox in Arcesila aut Carneade ulla praecepta commemorantur, quibus cognitis horum disserendi facultatem orator assequi posset. Explicari mihi velim, quo modo tria illa verba tuenda sint.

III. § 80. Quod in Praefatione disputavi de interpretando *Aristoteleo more*, confirmari puto hoc exemplo.

III. § 81. *Coracem istum veterem.* Infra, § 182, Catulum alloquens, iure Crassus appellat *Aristotelem vestrum:* conf. § 187, init.

III. § 99. Vitio operarum relicta est prava distinctio, sic corrigenda, — *sensibus, unguentis* —.

III. § 100. *omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.* Sensus est: in quacunque earum rerum quis maximam voluptatem attigerit, huic finitimum est fastidium. Sed, ut neque *fastidia* scripsit, ita fieri non potest ut Plurali numero *voluptates maximas* appellaverit. Corrigatur, *voluptati maximae.*

III. § 100. Ubi, pro *non mente*, correxi *monente*, indicari poterant, quibus id firmaretur, hi loci, Tusc. I. § 29. 30 et 31.

III. § 106. Distinctio sic corrigenda, — *nec potest, ut in depeculatorem* —.

III. § 107. *dicendi animos.* Perperam, ut mihi videtur, Kochii correctio commendatur, ut legatur, *dicendi copiose.* Postulabatur sane in oratore eo, qui nunc describebatur, illa *copia*: sed modo ante iam dictum erat in ancipitibus disputationibus *copiose disseri* licere, tum, Plural. *animi* huius loci erat, cui Gr. φρένας respondet.

III. § 109. *horum superius illud genus causam aut controversiam appellant.* Concedi non potest ut verba *causae* et *controversiae* sic inter se permutentur. Scribendum videtur, *causae controversiam*, ut II. § 78.

III. § 116. Vitio operarum excidit *ut*, ante *aequumne sit.*

III. § 120. Desero interpretationem, quum explicabam, quid esset *aliquo se convertere*, et multis aliis exemplis refutatam, et I. § 6. et 8.

III. § 127. *de naturis rerum.* Recte appellari *naturas hominum*, notavi ad I. § 47: sed, quoniam physica philosophiae pars indicatur, scribendum *de natura rerum*, ut mox, sequ. §.

III. § 130. Quum dixisset Catulus apud Graecos summos dicendi doctores uno tempore fuisse, addit, *ex quibus intelligi potest ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis, oratorisque nomen apud antiquos in Graecia maiore quadam vel copia, vel gloria floruisse.* In hac verborum compositione, *que* post *oratoris* omittendum censeo, quoniam id, quod nunc subiicitur, ab ipso illo Verbo *dicis* suspensum est. Sed quid est *quadam* vel *copia*, vel *gloria florere?* Simplex et trita locutio non utitur illa excusandi forma. Corrigendum est *quondam*, quod, quum semel corruptum esset in *quadam*, peperit inscitam interpolationem, *apud antiquos.* Hoc ipsum (*apud antiquos*) dicebatur supra, § 107: modo tamen, § 126, appellaverat *veteres doctores auctoresque dicendi:* et nunc perperam iunguntur *apud antiquos in Graecia.* Hoc ipsum autem copiose demonstraverat Crassus supra, § 56. sqq. Desero autem, re iterum pensitata, suspicionem meam, minus recte dici *oratoris nomen copia florere*, quod sic interpretari et licet, et necesse est, oratori *plurimas maximasque res*, quas dicendo tractaret, subiectas esse. Sed corrigendum restat, *ex quo*, pro *ex quibus.* Quod in eo genere falsum relictum erat, III. § 100 (*ex poetis iudicare*), sustulimus: diversum est *ex scriptis iudicium fieri*, II. § 92.

III. § 133. Fieri potest ut temere offenderim in verbis *de agro colendo.* Certe agricultura Romae non tantum in honestissimis studiis censebatur, sed honestissimorum etiam res fortunasque attingebat. Confirmavit mihi hanc opinionem Plinius H. N. XVIII. Cap. 1—4.

III. § 135. Quod dixi de *iuris civilis scientia*, non evertitur e Bruto § 152. et 175. neque ex Orat. § 141, sq.

III. § 143. Quod requisivi *a ceteris silentium*, conferendum ad meliorem distinctionem loci in Bruto § 290. Quod autem id praestare dixi, eam rationem tenet Livius quoque, ut VIII. 20. 6. et XXI. 5. 9. — De ipso *silentio* notavi supra, ad § 33. *Silentium* commemorari vel cum, vel sine assensu audientium, exemplo est Livius XXI. 10. 2. et III. 72. 1.

III. § 150. *plenum quoddam*. Praestabit *quiddam*, quod bene aliis similibus locis servatur.

III. § 151. Necessario, quod multi libri habent, corrigendum, *evitare*, de quo non dubitare oportebat Ellendtium. *Vitari vitium* ab oratore nemo cernere poterat, sed *evitari*. Utriusque verbi discrimen exposuit Madvigius Emendatt. Liv. p. 464.

III. § 151. Tollenda videtur interpolatio, ubi legimus, *hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet, bonis hic verbis* cet. Illa iudicia singulos oratores tangebant, neque *de oratoribus* proferebantur, quae verba abiicienda sunt, putide inculcata. Recte Plural. *oratores* ponitur ibid. § 214: sed paullo ante, § 211, fin., praestabit Singulare, *ipseque orator, qua sit aetate:* item II. § 140, ut legatur, *ut eos omnes diligens et memor et sobrius orator percurrens animo — habere debeat.*

III. § 153. *inusitata sunt, prisca fere ac vetusta*. Minus recte Ellendtius ad h. l. defendit Velleium Paterc., qui, I. 16. 3, appellat *priscam illam et veterem comoediam*, et "iure, inquit, priscam, quod toto genere plane mutato in desuetudinem abiit." Nempe genus illud non cessit populi moribus mutatis, nec nisi male dicendi licentia lege coërcita est: igitur, quamquam *vetus*, non tamen *prisca comoedia* illa erat: sed Velleius fortasse secutus est Horatium Serm. I. 4. 2. Conf. quae notavi ad Legg. III. § 20.

III. § 159. E v. l. haud scio an corrigendum sit, *mirandum*, sicut aliquoties supra correxi.

III. § 161. Desero id, quod commendabam, ut legeretur — *in conspectu, animo quae cernere — non possumus*. Vulgatam commendat hoc exemplum, Orat. § 101, *speciem, quam, etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus.*

III. § 166. *Modum* sane pro *figura* appellat, ut § 173 (*modus et forma verborum*), recte: nec video, quo modo vel in Quinctiliano, in eadem re, *motus*, vel in Aquila Romano *mores* defendi possit: vid. Ruhnken. p. 141.

III. § 174. Indicavi locum Tusc. IV. § 69, ubi *poetica* appellaretur. Sed istic *poeticam* interpolatum esse contendo: nam et non nisi comoediam significari videmus, et, quae istic praedicantur, ipsis poetis (ut III. § 3), aut poesi conveniunt, non item *poeticae*.

III. § 175. *spiritu, non arte, determinat*. Videri potest illud *de*, in *determinat*, ortum esse e prava iteratione pracced. syllabae: sed potius dicendum est compositum illud alienum esse a consuetudine orationis Tullianae, et proprium recentioris Latinitatis: ipse perpetuo simplici Verbo utitur, ut Brut. § 34: *spiritu verborum comprehensio terminatur.*

III. § 203. Errore expressum est unius Cod. falsa lectio; corrigendum, *rationis apta conclusio.*

III. § 205. In enumeratione eorum, quibus sententiarum figurae continentur, ponitur hoc quoque: *personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi.* Dubitabam primum, an recte *lumen* diceretur *gravissimum;* tum, dicine posset *lumen augendi;* postremo, quid omnino *personarum* illa *inductio* pertineret ad amplificationem, quum praesertim uno tenore subiiciantur haec, *descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulsio,* quorum nihil est, quod *augendi causa* proponatur. Videtur autem dubitationibus illis sic occurri oportere, ut sumamus *lumen* (quamquam alibi saepe servari solet translationis proprietas, quum dicitur *luminibus illustrari orationem*) h. l. per abusum pro *figura*, aut *forma*. Crebro enim his aliisque verbis designare solet ea, quae Graecis σχήματα dicebantur, nec tantum simpliciter *lumina verborum et sententiarum* appellare, sed (ut Orat. § 181) *quasi formas et lumina*, et (supra, III. § 96) *verborum sententiarumque flores et quaedam insignia et lumina in ornatu*, sicuti *florem* et *lumen* in eadem re coniuncte appellat Brut. § 59. et 66, et 233, et ibid. § 275, *lumina* appellat *tamquam insignia in ornatu*. Itaque h. l. non repudiandum est quod dicitur *gravissimum lumen*, i. e. ea forma sententiae, quae plurimum gravitatis continet. Quod autem dicitur *lumen augendi*, ferri nullo modo potest, siquidem nullum alium Genitivum adsciscere solet Nomen *luminis*, nisi eius rei, in qua lumina illa exstant, ut *l. orationis*, aut *dicendi*, et *verborum* aut *sententiarum:* tum manet id, quod dixi, illam *personarum inductionem* referri non posse ad amplificationem. Haec vitia ut vitentur, duorum Codd. Bambergensium lectionem restituendam censeo, *lumen agendi*, i. e. in ipsa actione. De verborum illorum (*augere* et *agere*) confusione in libris dixi ad II. § 317: tum ipsum illud, *graviter agere*, ponitur Brut. § 89.

III. § 206. *armorum est vel ad usum comminatio.* Sero demum animadverti Schutzium corexisse *communitio*, prae qua meam coniecturam desero (quamquam haud dissimiliter Caecin. § 43, *neque ictu cominus, neque coniectione telorum*, et Tusc. IV. § 50, *video utrumque cominus ictu cecidisse contrario.* Livius XXVII. 1. 10, *cominus acies.* Plinius H. N. II. § 172, *media terrarum — cremata cominus ardore.*) Supra, I. § 32, *tenere arma, quibus* [*vel*] *tectus ipse* [*esse*] *possis vel provocare improbos —:* eodemque modo Orat. 288, *caute vitare*, et *petere vehementer* inter se, in eodem argumento, iunguntur: conf. I. 202.

III. § 213. Minus considerate fortasse dubitavi de illis, *quum rogaretur.* Certe eodem modo Tusc. V. § 108.

III. § 223. *sententiaeque saepe acutae — praetervolant.* Non oportebat dici illud *saepe* fieri, quasi aliquando tamen acuta sententia a non acuto homine exciperetur. Sed, quum verbis et sententiis constaret oratio, et huic actio opponeretur, scripsisse mihi videtur *sententiaeque ipsae acutae* —, i. e. quamvis acutae. Vocabulorum istorum confusionem supra aliquoties indicavi.

III. § 225. *qui inflaret celeriter eum sonum, quo* —. Vix ferendum est illud *celeriter inflare sonum*, quod non nisi in continuato flatu, et in pluribus sonis dici posse videtur, quorum alius alium *celeriter* excipere t. Nec credibile est, Graccho contionante, fistulatorem illum

INDEX ADDENDORUM.

abundans doctrinâ, an *doctrina*. I. 85.
a ceteris silentium. III. 143.
aetates, *dignitates*, similiaque Pluralia. I. 224.
animi, *animus*. II. 72.
Aristoteleus mos. III. 80.
augere, an *agere*. I. 94. *augendi*, an *agendi lumen*. III. 205.
aures civitatis. II. 121.
causa aut controversia. III. 109.
censere. II. 4.
CICERO. (emend. ad Div. IV. 3. 4.) I. 40. (Fin. I. 1.) I. 106 (Tusc. V. 85.) II. 42. (Brut. 181.) III. 3. (Tusc. IV. 69.) III. 174.
clarissimus. II. 157.
cominus cum Substantivo. III. 206.
communis quaedam opinio. I. 94.
Coniunctivus, *quod pudeat*. I. 40.
conspectus animi. III. 161.
convertere se aliquo. III. 120.
copia florere. III. 130.
copiosissime. I. 41.
debere, an *deberi*. III. 18.
determinare, an *terminare*. III. 175.
dicendi animi. III. 107.
disceptationes deliberationum. I. 22.
dividere. II. 80.
emblemata. III. 48.
etiam. II. 65.
exercitatio magna. I. 145.
expetere. II. 42.
facere, interpolatum. I. 126.
Gerundium. passive. II. 202. 343.
Graecae orationes. I. 155.
historiae, an *historia*. I. 158.
imitari mores, an *naturas*. II. 251.
incumbere. *impellere*. II. 324.
inflare celeriter. III. 225.
ingenium, an *ingenia*. I. 106.
interpuncta. *interpungere intervalla*. II. 328.
iuris civilis scientia. III. 135. *ius civile*. I. 172.
labare. *labi*. I. 202.
laudatio funebris. II. 44.
lente ferre. II. 190.
LIVIUS (not. XLV. 4. 4.) II. 193.
lumen augendi. III. 205.
maior, *superior Africanus*. II. 250.
ministratrices. I. 75. *ministrator*. II. 305.
mirari. III. 159.
modus, pro *figura*. III. 166.
mores civitatum. I. 224.
narratio exposita. II. 312.
naturae, an *natura rerum*. III. 127.
nomen eloquentiae, *impudentiae*. II. 5.
Nomen Proprium tollendum. II. 88. III. 31.
NONII MARCELLI errores. I. 75.
orator, an *oratores*. II. 307. III. 151.
partes ex generibus emanant. I. 189.
Passivum et Activum cum eodem obiecto. II. 43.
perfectissimus. I. 2.
plenissimus. I. 2.
poetica. III. 174.
positum in iure civili. I. 237.
praecepta, an *ornamenta sumere*. II. 45.

princeps eloquentiae, philosophiae. I. 13.
principio, an *in princ.* I. 209.
prisca et vetus comoedia. III. 153.
provocare, *ulcisci*, opposita. I. 32.
quadam, an *quondam.* III. 130.
ratione causas cognoscere. III. 21.
relaxare. III. 230.
relinquere. I. 68.
res agere. III. 50.
rogari. III. 213.
saepe, ortum ex *ipse.* II. 144. III. 223.
scriptura. scriptio. I. 150.
servare, an *conservare.* II. 329.
significare. I. 122.
silentium. III. 143.
similis mihi, an *mei.* III. 47.
spiritus. II. 73.
studium, an *studia.* I. 207
succrescere. III. 230.
tantum non. I. 46.
togati. I. 111.
turpissime dicere. II. 101.
unus e multis. I. 132.
VELLEIUS PATERCULUS n
2. 2.) I. 38. II. 328. III.
venia excusationis. II. 198.
vetera, *antiqua.* III. 29.
vester. III. 81.
vidi, an *audivi.* III. 8.
vis oratoris. I. 21.
vitare, an *evitare.* III. 151.
voluntas testamentorum. I. 24
voluptates, an *voluptas.* III. 1

Apud FRED. MULLER prodiit antea:

Q. HORATII FLACCI Carmina, ed. P. HOFMAN PEERLKAMP. Editio altera emend. et aucta. 1862. 8°. maj. / 5.60

——— Satirae, recensuit P. HOFMAN PEERLKAMP. 1863. 8°. maj. . . . . f 2.25

——— Epistola ad Pisones. Edidit et annotat. illustravit P. HOFMAN PEERLKAMP. 1845. 8°. maj. f 2.—

LYSIAE Orationes et Fragmenta, in usum studiosae iuventutis emend. C. G. COBET. 1863. 8°. min. . . . . / 1.20

THEOPHILI Paraphrasis Justin. Institutionum, sec. vers. Lat. REITZII. Acc. Justiniani Institutiones, rec. SCHRADER. 1860. 8°. maj. . . . . / 4.50

XENOPHONTIS Historia Graeca, in usum Scholarum emend. C. G. COBET. 1862. 8°. min. . . . . / 1.20

socer - father-in-law
gener - son-in-law

commentariolum - notebook

dedo, dedere, dedidi, deditum

disco, discere, didici

vigeo - vigui

incunabulum

ambulatio - a garden walk.

caerimonia -

percello, -ere, culi culsum

irretitum - "ensnared"

discepitare

dis[illegible]

pistrinum -

[illegible] - noun

[illegible]

3 2044 076 905 80.

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
BOOK DUE
FEB 3 - 1986
1867525
CANCELLED
JAN 1 5

CANCELLED
JUN 1 1985
MAY 1 1985
159544
DNOF 5/8/85

WIDENER
SEP 10 2005
BOOK DUE
CANCELLED